COLLECTIO

LATINORVM SCRIPTORVM

CVM NOTIS.

TAVRINI
MDC[illegible]XXV
PER IOSEPHVM PO[illegible]PA.

VALORE DEL PRESENTE TOMO XXXVIII

A NORMA DEL I.° MANIFESTO D'ASSOCIAZIONE

Fogli di stampa n.° 34 1/2 a 20 cent.	L.	6 90
Legatura alla rustica.	»	25
Ritratto dell'Autore	»	50
	L.	7 65
Spese di porto e dazio per gli Associati esteri.	»	

In ragione di 25 cent., come da Manifesto 25 aprile 1825, importa. . . . . L. 9 36 1/2

Spese di porto e dazio per gli Associati esteri . . . . »

Tutti li volumi fin qui pubblicati compreso il presente pei primi Associati, importano . . . L. 277 75

Pei secondi, come sovra . . . . » 343 88 1/2

AVVISO

DELL' EDITORE

A seconda delle promesse fatte nell' ultimo mio avviso premesso alli tomi 35 e 36 di questa edizione, presento ora a miei Associati li tomi 37 e 38, cioè il 4.° delle opere di Quintiliano, ed il 1.° delle opere di Tito Livio; e del corrente mese ne darò due altri a compimento de' 6 tomi che dovevo dare nel 1.mo semestre del 1825; potrà ognuno rilevare da ciò che sono in grado di dare anche due tomi ogni mese, e che se talvolta per qualche non preveduta circostanza si ritarda la pubblicazione di qualche tomo, si compensa col pubblicarli più speditamente in appresso, ma non verranno mai meno le mie promesse.

Al primo tomo delle opere di Livio, siccome a tutti gli autori di questa raccolta, doveva precedere la prefazione latina stesa dalla dotta penna della persona che dirige la parte letteraria di questa intrapresa, ma dessa non essendosi potuta ultimare

per l'epoca della pubblicazione del detto 1.° tomo, prevengo li miei Associati che la rimetterò loro colla distribuzione del 3.° tomo per non ritardare la regolare distribuzione dei tomi. Valgono queste mie premure a rendere questa mia intrapresa viepiù gradita a' miei Associati, la quale pongo sempre sotto la loro protezione.

Del corrente anno si pubblicherà il seguito delle opere di Quintiliano, ossiano le Declamazioni, e contemporaneamente il seguito di Tito Livio.

Torino 10 giugno 1825

GIUSEPPE POMBA.

TITI LIVII

PATAVINI

OPERA OMNIA



TITVS LIVIVS

ex antiquo desumtum

TITI
LIVII
PATAVINI
OPERA QVAE EXSTANT OMNIA

EX RECENSIONE

G. ALEX. RVPERTI

CVM SVPPLEMENTIS

FREINSHEMII

TOMVS PRIMVS

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXV.

PROOEMIVM

§. I.

De Livii aetate et vita.

T. *Livius*, si Chronico Eusebii fides habenda, natus est anno Vrbis conditae DCXCV, et obiit eodem, quo Ovidius anno V. C. DCCLXX p. Ch. n. 17, quadriennio post mortem Augusti Imp. Natale ei solum fuisse Patavium, Venetorum Opp. in Gallia Transpadana, (h. Padua) quod ab Antenore ad Timavum fl. (h. Timavo), a quo tamen longe abest, conditum poëtae dicunt, praeter alios docent Simmachus Epist. IV, 18, Sidonius in paneg. Anthemii V, 188, et Statius Silv. IV, 7 extrem., ubi *Timavi alumnus* vocatur. Eodem spectant verba Martialis Epigr. I, 62, 3. *Censetur Apona* (Patavina) *Livio suo tellus Stellaque, nec Flacco minus.* Nam Aruntius Stella elegiographus et Valerius Flaccus, qui Argonautica scripsit, fuere Patavini (unde hic etiam in Epigr. I, 77, 2, *Antenorei spes et alumnus Laris* dicitur), et Aponus fons prope Patavium, cuius aquas salubres et calidas celebravit Claudianus in Idyll. VI, (al. Epigr. VIII), neque audiendi sunt, qui a Martiale Aponum designari vicum Patavio proximum (h. Abano) contendunt. Quamquam enim Livius ita *Patavinus* eodem modo appellari

potuit, quo Catullus *Veronensis*, Virgiliusque *Mantuanus*, etsi ille in lacus Benaci paeninsula Sirmione, hic Andibus in Agro Mantuano est natus; tamen, si non ipse vicus, certe illud nomen eius serioris videtur originis esse, nec probabile est, tam ignobilem locum non modo Livii, sed etiam *Stellae* et *Flacci* fuisse patriam, neminemque praeter Martialem rei omnino memoria dignissimae mentionem fecisse.

De Livii parentibus, educatione, studiis, rebus domesticis, muneribus publicis, vitae genere moribusque, vix quidquam explorati memoriae proditum reperitur; neque est, quod valde id doleamus. Nam verum est iudicium Valckenaerii, quod in Praefat. ad eius Diatr. de Aristobulo nuper Luzac memoravit: Vti fuere apud Antiquos, qui nec statuam sibi poni, nec marmore memoriam sui ad posteros propagari vellent, quum egregia facinora sibi pro omni monimento satis esse existimarent; similiter Valckenaerius, qui nec pingi se, nec fingi voluit, arbitrabatur, viri, eruditione insignis omnem memoriam esse debere in libris, quibus conscribendis nomen suum futuris saeculis commendasset, aut in discipulis, quos excellenti disciplina ad communem civium informasset utilitatem; cetera, quae res domesticas, parentes, uxorem, liberos, amores, amicitias, lites, fortunas vel prosperas vel adversas spectent, haud magis digna esse, quae futuris saeculis innotescant, quam quae vel mercatoris praedivitis

fuerint, vel viri cuiusque in suo ordine arteve sua spectati »: Hinc et brevissimi erimus, exemplo eorum, qui vitam Livii exposuere, Vossii, (de hist. Lat. I, 19), Fabricii (Bibl. Lat. I, 11), Sigonii, Mulleri, Funcii, Hambergeri aliorumque. Verbosior quidem est commentatio Iac. Phil. Tomasini de vita Livii, (Patav. 1630, Amst. 1670, et in Drakenb. edit. Liv. Tom. VII, pag. 4 sqq.) sed minus habet in recessu, quam fronte promittit, et pro certis ac veris subinde dubia et falsa substituit. Quo refero, Livium Claudio Caesari adolescenti praeceptorem fuisse datum; partem historiae ab eo contextam esse Neapoli; illi duas fuisse uxores totidemque filios et filias quatuor, harumque minimam natu nupsisse L. Magio rhetori; eundem saturum honorum, annis et studiis fessum accensumque amore patriae post Augusti discessum e vita, Patavium remigrasse, ibique anno imperii IV Tiberii ipsis Kal. Ianuariis mortalitatem explevisse; quin et ibidem sepulcrum ossaque eius adhuc superesse. Prius colligit ex Sueton. Claud. 41 pr., ubi legimus, hunc Caesarem T. Livii hortatu hist. scribere aggressum esse; alterum ex Pighii Herc. Prodicio pag. 330, qui saepius Livium, Horatium, Statium, Claudianum, Senecam aliosque praeclari ingenii viros Neapolin studiorum causa secessisse monet; reliqua ex Senecae prooem. lib. V Controv., in quo L. Magius, T. Livii gener, laudatur, ex Eusebii et Hieron. Chronicis, qui historicum nostrum Patavii

tam natum quam mortuum dicunt, et ex IV Inscriptionibus monimentorum publicorum, quarum prima est: TIT. LIVIVS C. F. SIBI ET SVIS T. LIVIO T. F. PRISCO ET T. LIVIO T. F. LONGO ET CASSIAE SEX. F. PRIMAE VXORI, secunda V. F. T. LIVIVS LIVIAE T. F. QVARTAE L. HALYS CONCORDIALIS PATAVI SIBI ET SVIS OMNIBVS, tertia T. LIVIVS T. L. OPTATVS AN. XV, quarta V. F. T. LIVIVS T. LIB. ET LIVIAE LEVINVS L. F. STELL. . . . . . VENONIAE EXORATAE. P. LIVIAE FIRMAE ET FESTO FILIO ET FIRMAE FILIAE (1). Altera est epitaphium, Patavii anno Ch. 1413, apud aedem D. Iustinae effossum una cum capsula plumbea ossibus plena, e quibus an. 1451 Alphonsus, Arragoniae rex, os brachii a republica Patavina dono accepit. Nullam vero harum inscriptionum, excepta forsan prima, ad historicum nostrum, tresque posteriores ad eius aliusve T. Livii libertos esse referendas, adeoque omnem corruere fabulam de ossibus Livianis Patavii repertis, post Gudium docuere iam Morhofius aliique modo laudati in nota 1.

Livius et eloquentiae et philosophiae studiis deditus fuisse videtur. Hoc ex eo probabile fit, quod libros edidit philosophicos (v. mox §. 2),

(1) Has inscriptiones praeter Tomasinum memorant Dan. Ge. Morhof. in cap. 3 dissert. de Patavinitate Liviana, (Kilon. 1685, inter alias eius Diss. Hamb. 1699, et in Drak. edit. Liv. Tom. VII, pag. 27 sqq.) Sertor. Vrsat. in Monim. Patav. p. 27 et 202 sqq. Io. Mabillon. Mus. Ital. Tom. I, pag. 30. Trewenschroeder. Fast. Liv. pag. 304. Pet. Servius Miscell. p. 131, et Laur. Pignor. in Orig. Patav. c. 17.

illud ex historia, quam scripsit; ex qua etiam colligas, eum rei militaris civilisque haud expertem fuisse, neque omnem de rebus belli et pacis tam prudenter iudicandi facultatem ex sola Graecorum lectione hausisse. Eundem in interiorem Augusti Imperatoris amicitiam pervenisse, patet ex Tacit. Annal. IV, 34. Quantam vero sui famam excitaverit, vel ex eo intelligitur, quod Gaditanus quidam, eius nomine gloriaeque commotus, ad visendum ipsum ab ultimo terrarum orbe Romam venit, statimque, ut viderat, abiit; vid. Plin. Ep. II, 3, et Hieron. Epist. 103. Cui non adversantur haec Suidae in v. Κορνοῦτος verba: Δύο συγγραφεῖς Ῥωμαῖοι ἦσαν, Τῖτος Λίβιος, οὗ διαῤῥεῖ πολὺ καὶ κλεινὸν ὄνομα, καὶ Κορνοῦτος. Τοσαύτη δὲ ἦν ἡ διαφορότης ἐς τούσδε τοὺς ἄνδρας τῶν ἀκροωμένων, ὡς τοῦ μὲν Κορνούτου παμπλείστους ἀκούειν, θεραπείᾳ τε καὶ κολακείᾳ τοῦ ἀνδρὸς συῤῥέοντας, καὶ διὰ τὴν ἀπαιδίαν, ἐλπίδι κληρονομίας, τοῦγε μὴν Λιβίου ὀλίγους, ἀλλὰ ὧν τι ὄφελος ἦν, καὶ ἐν κάλλει ψυχῆς καὶ εὐγλωττίᾳ. Ὁ χρόνος δὲ ὁ ἄπρατός τε καὶ ἀδέκαστος, καὶ ἡ τούτου φάλαγξ καὶ ὀπαδὸς καὶ ἔφορος ἡ ἀληθεία τὸν μὲν ἀνέφηναν καὶ ἐξεκάλυψαν, ὥσπερ κεκρυμμένον θησαυρὸν, καὶ κεχανδότα πολλὰ καὶ ἐσθλὰ, Τῖτον Λίβιον· τοῦ δὲ πλουσίου καὶ μέν τοι καὶ περιῤῥεομένου τοῖς χρήμασι λήθην κατεχεύσατο, τοῦ Κορνούτου.

§. II.

De Livii scriptis

Quot qualiaque ingenii et doctrinae monimenta evulgaverit Livius, ignoramus. Praeter *historiarum libros* non nisi tria eaque paucis memorantur a

Quintil. Inst. Orat. X, 1. *Epistola ad filium scripta* a Seneca in Ep. C. *Dialogi*, quos hic non magis philosophiae adnumerari posse dicit, quam historiae, et *Libri ex professo philosophiam continentes*. Horum vero aliorumque, quos forte composuit, librorum iactura minus deploranda videtur, quam quod longe maxima pars eius operis, quo nominis sui memoriam immortalitati commendavit, iniuria maligni fati nobis erepta est *Histor. Romanam* sive, ut ipse XLIII, 13, modeste forsan, et Iulius Firmicus (de error. profan. relig. p. 419) appellat, *Annales* (1) Livius ab Vrbe cond. ad annum 744, seu ad bellum in Germania a Druso gestum huiusque mortem persequutus erat non CXL ut vulgo olim credebatur, sed CXLII libris. Id diserte tradit Petrarcha (de rebus memor. I, 8, vel de otio ac solitudine quorumdam virorum cap. 8); neque obstat numerus *Epitomarum*, qui perversam illam opinionem divisionemque librorum in *Decadas*, a nullo veterum Grammaticorum, nedum ab ipso auctore, memoratam, peperisse videtur; nam Epitomas librorum CXXXVI et CXXXVII intercidisse, tum ex eo probabile fit, quod in Exc. Pithoei et in MSS. Berg. et Sigon. numerantur CXLII Epitomae, atque in fine Epit. CXXXV vacuum relictum est spatium, in quo hae leguntur notae: *generaliter et communiter hic est defectus*

(1) De *Historiarum* et *Annalium* discrimine disputavi in Prooemio de Taciti vita et scriptis pag. 13 sqq.

quorumdam librorum, et *hic deficit*, tum ex multitudine annorum memorabiliumque rerum (v. c. ludorum saecularium, tribuniciae potestatis Augusti, templi Iani ab eo bis clausi etc.), quam ab Auctore Epitomarum silentio praetermissam fuisse, non facile erit, qui sibi persuadeat. Ex illis autem CXLII libris Livii non plures hodie quam XXXV, et nonnulli (XLI, XLIII, XLIV, XLV) ne integri quidem restant: quorum decem priores historiam Romanam ab originis Vrbis ad annum 460, reliqui, XXI-XLV, ab anno V. C. 536 ad annum 586, seu ab initio belli Punici II ad finem bellorum cum Perseo Gentioque gestorum complectuntur. Harum reliquiarum praestantia mirum quantum exacuit librorum, qui periere, desiderium sensumque ingentis, quam fecimus, iacturae; quae tribuenda est tum moli operis, cuius describendi laborem refugiebant ignavi monachi, in una alteraque Decade aut Epitomis acquiescentes, tum Caligulae Imperat. et Gregorio M. Pontifici, quos codicum Livii abolendorum consilia agitasse tradunt Sueton. Calig. 34, et Rich. Montacutius in Praef. ad Analecta.

Integer Livius superstes fuit Saec. IV, et V, forte et XII in Anglia: nam loca librorum deperditorum, a nobis in vol. IV edit. Gotting. Fragmentis inserta, non modo a Symmacho et Sidonio, sed etiam a Gulielmo Malmesburiensi s. Sommerseto laudantur, nisi is ex aliis illa scriptoribus desumpsit.

Saepius etiam Saec. XV, et XVI percrebuit fama, totum Livii opus in Gallia, Novergia, Scotia, Bremae aliisque locis repertum esse, et versiones saltem Arabicas in Bibliothecis Constantinopolitanis Arabumque latitare (1). Sed adhuc omnis spes, opera et impensa ad vanum et irritum cecidit. Neque iactura, quam passi sumus, penitus resarcitur *Supplementis Io. Freinshemii* (2) et *Epitome Liviana*, etsi neque huic neque illis parvum est pretium, et continua ex iis historiae Roman. series cognosci potest. Freinshemius idem Livio, quod Curtio, officium praestitit, omnesque eius lacunas, et maiores, et minores, tam solerter feliciterque ex Epitome modo memorata et Graecis Latinisque rerum Romanarum auctoribus explevit, ut ipse iactanter quidem, at vere profiteatur, *se neutiquam metuere, ne quis ex omnibus his scriptoribus qui sunt in hominum manu, aliquid efficiat in hoc genere concinnius, copiosius, verius*. Illae *Epitomae Librorum Livii*, quarum duas desiderari, 136, et 137, supra monuimus, a quo confectae sint, non habemus dicere. Nonnulli eas ipsi tribuunt Livio, alii Iunio Maximo, quem historias Sallustii Liviique in Epi-

(1) V. Morhof. de Patavin. Liv. cap. 1, et Fabric. Bibl. Lat. I, 11, p. 296 sqq.

(2) Eorum primi decem libri vulgati sunt Holmiae 1649; deinde sexaginta Argentorati 1654, denique universi a Ioann. Douialio, Clerico, Crevierio, Drakenborcho, Bipontinis et Maubem. Livii editoribus.

tomen redegisse docet Statius Silv. IV, 4, plerique L. Annaeo Floro; quae coniectura inde nata videtur, quod idem aliam rerum Romanarum epitomen scripsit, sed vel eam ob causam, et propter diversitatem tum stili, tum narrationis rerum gestarum, parum probabilis est. Quod ad ipsam Epitomes huius Livianae indolem attinet, si genus dicendi spectes, quo singula enuntiantur, id quidem Liviano non par censendum concinnitate, et seriorem passim aetatem redolet, verum plerumque purum est, ac tersum; si res, quae traduntur, auctor eius longe plurimas deprompsit ex ea historia, quam velut tabulam primis extremisque lineis adumbrare in animum induxerat. Nonnunquam vero non modo inter eum et Florum, sed ipsum quoque Livium discrepare videbis. Quod tantum abest, ut omnino reprehendi possit, ut doctum potius arguat virum, qui non serviliter iisdem semper insistat vestigiis, sed quaedam ex aliis etiam fontibus, nec sine iudicio, hauserit; nisi forsan recte censeas, ab eo, qui librum aliquem in epitomen cogat, requiri, ut paucis indicet, ubi et cur dissentiat. Minus probandum videtur, quod persaepe ab illo et ordo rerum narrandarum mutatur, et silentio praetereuntur memorabilia. Hinc non exemplo reliquorum Livii editorum libris eius XXXV totidem praemisi epitomas, sed omnes ad calcem reieci, illisque alia, substitui breviaria., ad seriem rerum perspiciendam accommodatiora. Nihilo tamen secius auctor sim

magistris scholarum, ut cum tironibus hoc potius Romanae historiae compendium, quam quod Eutropio, aut Floro et Velleio, debemus, cum iuvenibus adulta aetate ipsum Livium legant. Quem in finem Epitomen quoque hanc Livianam cum notis virorum doctorum meisque seorsum typis excudendam curabo.

Quibus annis Livius opus suum et inchoaverit et absolverit, nemo facile dicat. Neque tamen vana est coniectura virorum doctorum (1) qui ex eius lib. I, cap. 19 colligunt, si non omnes historiae libros, certe primum ab eo compositum fuisse ante an. V. C. 730, quo Augustus iterum clauserit templum Iani. Verba Liviana sunt: *Ianus bis post Numae regnum clausus fuit; semel T. Manlio consule, post Punicum I perfectum bellum; iterum quod nostrae aetati dii dederunt ut videremus, post bellum Actiacum, ab Imperatore Caesare Augusto, pace terra marique parta.* Satis autem constat, Ianum principe Augusto non modo an. V. C. 725 post pugnam Actiacam, sed et an. 730 in decimo eius consulatu, Cantabris devictis, clausum fuisse (2). Quod si iam eo tempore, quo Livius illa

(1) Lipsii Elect. I, 20; Vossii de historia lat. I, 19; Hanckii de scriptor. rerum Rom. I, 9; Dodwelli Annal. Vellei. pag. 65, qui Livium an. V. C. 725 exorsum esse historiam suam; et a. 745 ultimam ei manum imposuisse suspicatur. Cf. et Io. Masson. de templo Iani reserato pag. 51 sqq. et 165.

(2) Quin tertio Ianum clausum esse an. V. C. 731 in XI consulatu Augusti, viri docti modo laudati aliique contendunt, provocantes ad inscriptionem lapidis, Emeritae in Hispania re-

scripsit, factum esset, is haud dubie in gratiam Augusti, magni amici, idem memorasset, quod dixit Suet. Aug. 22: *Ianun Quirinum, semel atque iterum a condita Vrbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, ter clusit.* Quid vero? nonne Plutarchus haec scire potuit? et tamen idem, quod Livius de templo Iani scripsit: *ἐπί γε τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος ἐκλείσθη, καθελόντος Ἀντώνιον, καὶ πρότερον, ὑπατευόντων Μάρκου Ἀτιλίου καὶ Τίτου Μαλλίου.* Audio: sed nihil aliud inde confici poterit, quam illum more suo Liviana paene ad verbum expressisse, nulla mutationis rerum ratione habita; neque locus eius Liviano plane respondet: nam, quod Lipsius iam Elect. I, 20, notavit, Graeco scriptor non idem, quod Romano, propositum fuit, ut enumeraret, quoties Ianus fuisset clausus. Omitto alia haud graviora argumenta Massoni, quibus loco in nota 5 laudato probare conatur, Livium serius historiae scribendae consilium cepisse.

§. III.

De exteriore forma et indole historiae Romanae a Livio scriptae.

Minime incommodus hic locus* videri possit,

perti, ad Oros. lib. VI, et Suet. Aug. 22, ubi tamen Cel. Wolf. iam haec monuit: « Tertio ut clauderetur, decretum quidem a Senatu, sed Dacorum et Dalmatarum irruptione irritum factum. Ipse Aug. in Ancyr. lapide: *Ter me principe claudendum decrevit senatus.* Ita rem destinatam Suetonius posuit pro facta, non praeter morem ».

permulta praefandi tum universe de varia et historiarum et historicorum veteris recentiorisque aevi indole, et de utilitate ac fide eorum recte aestimanda, tum in primis de antiquioribus rerum Romanarum auctoribus et de Livianae historiae forma, fructu, fontibus, virtutibus ac vitiis. Sed ampli huius campi, in quo latius evagari posset disputatio nostra, fines sunt coarctandi, et illud paene silentio praetereundum, hoc paucis expediendum est.

Livius historiam Romanam ab Vrbis origine ad sua deduxit tempora. Quam ante eum iam multi pertexuerant tum versibus, ut *Q. Ennius*, epicae poëseos Romanorum parens, cuius libri XVIII Annalium Rom. ad populum in theatro et Virgilii adhuc temporibus cupidius Aeneide eius legebantur (1) *L. Accius* s. *Attius*, familiaris D. Bruti et Pacuvii aequalis, poëta tragicus (2), et *A Furius;* tum prosa oratione, et quidem Graeca *P. Rutilius Rufus*, orator, philosophus, historicus, tribunus plebis et legatus Q. Mucii in Asia (3), *A. Postumius Albinus*, consul cum L. Lucullo an. V. 602. literatus et disertus (4), et *C. Acilius* (5), Latina *Q. Fabius Pictor*, auctor antiquissimus, qui Livio aliisque in primis fide dignus est visus, quia temporibus belli

(1) Vid. Gell. XII, 5; Martial. V, 10; Vitruv. IX, 3.

(2) De eius annalibus v. Cic. Brut. 18; Gell. III, 11; Macr. Sat. I, 7; Priscian. lib. VI.

(3) V. ad Liv. XXXIX, 52, 1.

(4) V. Cic. Brut. 21, et Acad. Qu. IV, 45; Plut. in M. Cat. pag. 343; Gell. XI, 8; Polyb. XL, 6, 1, ubi cf. Schweigh.

(5) V. ad Liv. XXV, 39, 6.

Punici II. senator fuit et, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραφε (1), *M. Porcius Cato Censorius* Tusculanus, orator, ICtus, consul a. V. 557, censor an. V. 568. vir summi ingenii, (v. Liv. XXXIX, 40.), qui senex scripsit VII libros Originum, in quibus multam industriam comparere multamque doctrinam, Nepos Cat. 3, dicit, *L. Calpurnius Piso frugi* s. Censorius, consul a. V. 620, qui gravis auctor dicitur Plin. II, 53, cuiusque annales laudant Livius I, 55; II, 58; IX, 44; X, 9; XXV, 39; Gell. VI, 9; XI, 14; XV, 29; et alii, sed Cicero de Or. II, 12, et de legg. I, 2, exiliter, ut Catonis et Fabii Pictoris, scriptos esse censuit, *C. Sulpicius Gallus* praetor a. V. 583, consul a. 586. Graecis literis eruditus, eloquens et astrologiae peritus (v. ad XLIV, 37, 3), cuius historiam Rom. Plutarchus in Rom. p. 28 memorat, *L. Cassius Hemina*, quem a. V. 607 floruisse, Censorin. c. 17, docet, et cuius annales citant Gell. XVII, 21; Macrob. Sat. I, 16. Nonius et alii, *Clodius Licinius* s. *Licinus*, historicus languidus et inscitus (2), *C. Fannius*, Laelii Sapientis gener, et Panaetii discipulus, moribus et ipso dicendi genere durior, cuius historiam non ineleganter scriptam et neque nimis infantem, neque perfecte disertam, in compendium redegit M. Brutus,

(1) V. Liv. I, 44, 55; II, 40; VIII, 30; X, 37; XXII, 7; Dion. Hal. I, 6, et lib. VII, pag. 415. Fidem eius a Polybio I, 14, 58, et III, 9, nimis elevatam, defendit Ernesti in Opusc. phil. crit. pag. 102 sqq.

(2) V. ad Liv. XXIX, 22, 4, et Cic. de leg. I, 12.

percussor Caesaris (1), *Sex. et Cn. Gellii*, Varroni aequales, historici languidi et insciti (2), *M. Terentius Varro*, legatus Pompeii M., Romanorum doctissimus et πολυγραφώτατος, cuius Annalium Charisius mentionem facit, *Q. Claudius Quadrigarius* (3), *Q. Valerius Antias*, qui Sullae temporibus vixit, et multos quidem scripsit annalium libros, sed in iis nullum tenuit mentiendi modum omniumque rerum numerum immodice auxit (4), *Q. Tullius Cicero* M. frater (5), *L.* aut *Q. Aelius Tubero*, M. Tullii Ciceronis adfinis et Q. Ciceronis legatus in Asia (6), *C. Licinius Macer*, orator, repetundarum reus Cicerone praetore, C. Licinii Calvi oratoris pater, haud ignobilis historicus, sed argutae loquacitatis et saepe in orationibus ineptae (7), *Cornelius Nepos*, qui tribus Chronicorum libris res Romanorum ab ultima eorum origine repetitas descripsit (8),

(1) Vid. Cic. Brut. XXI, 26, 87; Tusc. Qu. IV, 17; de leg. I, 2; ad Att. IV, 16; XIII, 8.

(2) V. Cic. de leg. I, 2, et Div. I, 26; Dionys. Hal. I, 7; Gell. VIII, 14; XIII, 22; XVIII, 12; Macrob. Sat. I, 16; Voss. de hist. lat. I, 8.

(3) V. ad Liv. XXV, 39, 8, et cf. VI, 42; VII, 10; VIII, 19; IX, 5; XXXIII, 10; XXXV, 14.

(4) V. loca Livii in Indice, et Gell. I, 7; III, 8; V, 21; VI, 8; VII, 9, 19; Macrob. I, 13; Plut. Rom. p. 25; Dion. I, p. 6.

(5) V. Cic. ad Att. II, 16; XIII, 13, et Corradi Quaest. pag. 278, edit. Lips.

(6) V. Liv. IV, 23; X, 9; Cic. ad Qu. fr. I, 1, 3; Gell. VI, 3, 4; X, 28; Dionys. I, et alii.

(7) V. Liv. IV, 7; XX, 23; VII, 9; IX, 46; X, 9; Cic. de leg. I, 2; Dionys. I, pag. 6; Macrob. I, 10, 13; Voss. de historia latina I, 10.

(8) V. Gell. XVII, 21 et alii.

aliique. Horum deinde exemplum post Livium sequuti sunt e Graecis *Appianus* et *Dio Cassius*, e Romanis *L. Fenestella* et alii. Multo autem plures sibi singulares historiae Romanae partes tractandas sumpsere (1), de quibus consulendi sunt Vossii de historicis Graecis et Latinis libelli. Ita solum bellum Punicum II, de quo decem libri Livii, XXI-XXX, agunt, praeter poëtas, Silium Italicum et antiquiorem, nescio quem (v. Ovid. ex Ponto IV, 16, 23), enarrarunt multi, v. c. Graece *Memnon* (2), *Chaerea* (3), *Silenus* Calatianus, qui diligentissime res ab Hannibale gestas persequutus est (4), *Sosilus* Iliensis aut Lacedaemonius, qui cum Sileno in castris fuit Hannibalis eumque Graecas docuit literas, sed iudice Polybio tonsorias plebeiasque fabulas divulgavit (5), *L. Cincius Alimentus* s. *Alimentius*, diligens vetustorum monimentorum et maximus auctor, qui captus ab Hannibale multa ex eo audivit, et deinde praetor creatus Siciliam provinciam obtinuit (6); La-

(1) Quo forsan et unus alterque eorum, quos supra recensui, aliique referendi, quorum *Historiae Romanae*, seu *Annales* simpl. memorantur.

(2) V. Phot. Biblioth. c. 224.

(3) V. Polyb. III, 20.

(4) Liv. XXVI, 49; Cic. de div. I, 24; Nep. Hann. 13; Voss. de hist. Gr. lib. III, p. 189.

(5) V. Nep. Hann. 13; Diodor. Sic ecl. XXVI, 3, qui eum Iliensem facit, et res ab Hannibale gestas VII libris exposuisse auctor est. Χαιρέας καὶ Σώσιλος οὐκ ἱστορίας, ἀλλὰ κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς ἔμοιγε δοκοῦσι τάξιν ἔχειν καὶ δύναμιν, Polyb. III, 20.

(6) V. Liv. VII, 3; XXI, 38; XXVI, 23; XXVIII, 27; VII, 29; Dion. I, 6, et VII, pag. 415; Voss. de hist. lat. I, 4.

tiue *M. Terentius Varro* (1), *L. Coelius Antipater*, scriptor luculentus iurisque civilis peritus, Fannio aequalis et L. Crassi oratoris magister, qui Silenum maxime sequutus, hist. belli Pun. II, a M. Bruto in compendium redactam, accuratius disertiusque scripsit superioribus, at sine nitore (2), *L. Arruntius*, qui Augusti temporibus idem bellum stilo Sallustiano descripsit (3). His scriptoribus annumerandi sunt *Dionysius* Halicarnassensis, qui Livio aequalis fuit, et *Polybius* Megalopolitanus, Scipioni Africano minori familiarissimus. Ille historiam Rom. ab origine Vrbis ad initium belli Punici I., hic a principio belli Punici II. ad finem regni Macedonici bellique a Romanis cum Perse gesti, persequutus est. Idem vero Polybius in libro I et II, quos προκατασκευῆς loco praemisit brevius bellum Punicum I. et Africanum Poenorum cum mercenariis suis militibus, resque a Romanis in Illyrico et Gallia Cisalpina, a Poenis in Hispania et ab Achaeis in Graecia ante an. V. C. 530 gestas exposuit, adeoque et telam contexuit a Dionysio Halic. et *Timaeo* abruptam, et eadem, quae Livius in altera maximaque, nobis relicta, operis

Historicum potius praetoris huius filium fuisse, suspicabatur Pigh. in Annal. ad ann. 434.

(1) Eius libros belli Punici II laudat Priscian.

(2) V. Liv. XXI, 38; XXII, 31; XXIII, 6; XXVI, 11; XXVII, 27; XXVIII, 46; XXIX, 27; Cic. de Oratore II, 12; de leg. I, 2; Brut. 26; de div. I, 24; ad Att. XIII, 8; Valer. Maxim. I, 7, 6; Gell. X, 1, 24; Fest. Charis. Serv. Non.

(3) V. ad Tac. Annal. I, 13, 1; Sen. Epist. 114; Voss. de historia latina I, 18.

sui parte, in lib. XXI-XLV, pertractavit. Eius deinde historiam ad suam aetatem continuavit *Posidonius*, Panaetii discipulus et magister Ciceronis, qui libros LII τῶν μετὰ Πολύβιον scripsit philosophico ingenio, quos laudant Strabo III, 163, Athenaeus IV, 36 sq. et alii.

Hos aliosque rerum Romanarum auctores cum Livio ita comparari posse, ut appareat, quomodo hic differat ab illis, et quantum unicuique debeat, quis est, qui non mecum optet? Sed omnium illorum, si Polybium, Dionysium, Appianum et Dionem, Graecos scriptores, exceperis, qui iam a multis inter se et cum Livio collati, at ipsi quoque misere mutilati sunt, nobis non nisi nomina et fragmenta aliquot, tanquam tabulae de naufragio, restant; neque de eorum indole quidquam nobis constaret, nisi Polybius, Livius aliique nonnunquam breve de iis iudicium tulissent. Eo in primis spectant duo Ciceronis loca de N. D. II, 12 sq. et de leg. I, 2 digna, quae hic legantur permixte et cum iis, quae supra dixi, conferantur, ut certe qualiscumque inde exoriatur veterum historicorum, qui Nostro praeivere, recensus simulque, quantum licet, intelligatur, quid quantumque inter eos et Livium intersit, et quae; iudice Cicerone, optima sit historiae scribendae ratio. *Qualis oratoris et quanti hominis in dicendo putas esse, historiam scribere? Si, ut Graeci scripserunt, summi: si, ut nostri, nihil opus est oratore; satis est, non esse*

mendacem. Atqui Graeci quoque sic initio scriptitarunt, ut noster Cato et Pictor et Piso. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi sequuti sunt, qui sine ullis ornamentis monimenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso et Vannius et Vennonius. Quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quam isti omnes, qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio? modo enim huc ista sunt importata, et, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. Paululum se erexit et addidit historiae maiorem sonum vocis vir optimus Coelius *Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt; et ultima tempora sic scripta sunt, ut ne legantur quidem. Sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam varietate locorum neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit*

illud opus; sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit, habuitque vires agrestes atque horridas, sine nitore ac palaestra: vicit tamen superiores: et admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic Gellii, Clodius, Asellio, nihil ad Coelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam. Nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum; nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis: in orationibus autem multus et ineptus ad summam inpudentiam. Sisenna, eius amicus, omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero nostro unquam est habitus, et in historia puerile quiddam consectatur; ut unum Clitarchum, neque praeterea quemquam de Graecis legisse videatur; eum tamen velle dumtaxat imitari: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Minime vero mirum, si literis nostris abest historia, et a nostris hominibus adhuc aut ignorata est, aut relicta. Est enim opus unum hoc oratorium maxime: et nemo studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi ut in causis atque in foro eluceat. Apud Graecos autem eloquentissimi homines, remoti a causis forensibus, cum ad ceteras res illustres, tum ad scribendam historiam maxime

se applicaverunt. Ipsa Herodoti, qui princeps genus hoc ornavit, eloquentia me quidem magnopere delectat. Et post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit; qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Deinde a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes, comes Alexandri, scripsit historiam; et hic quidem rhetorico paene more: ille autem superior leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat; vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior.

Quo tempore haec scribebat Cicero, nondum quidem vulgata erat historia Romana, qualem in votis habebat; sed iam natus Livius, qui ita desiderio et praeceptis eius satis fecit et, quod ille perfectissimum in hac re iudicabat, ita assequutus est, ut tam antiquioris quam recentioris aevi iudicio princeps habitus sit veterum historicorum et ingenium imperio populi Romani par, vel, quod in monimento Patavino, in honorem eius posito, elogium legitur, unus dignus, cuius invicto calamo invicti populi Rom. res gestae conscriberentur. Vivebat ille saeculo Augusteo, cuius elegantia et cultus respuebat ieiunos annales aridosque commentarios, et quo historia philosophico nondum ingenio elaborari coepta erat, quam ei for-

mam e Graecis quidem iam Posidonius et alii, e Romanis vero primus forte Tacitus, at multo scitius Hume aliique Angli induerunt, sed oratorius in illa desiderabatur ornatus. Nam historia eo potissimum consilio a Graecis olim Romanisque scribebatur, ut practica quaedam philosophia esset vel magistra vitae, prudentiae civilis ac militaris, virtutum atque praeceptorum, tam civibus et privatis, quam Principibus magistratibusque salubrium. Qui finis obtineri nequit, nisi ipsa quoque narratio rerum magnarum mirabiliumque, a magnis viris gestarum, ad sensus magnos affectusque sive graviores sive molliores suavioresque movendos accommodata est, et animi legentium tenentur subtilitate iudiciorum, sententiarum elegantia, gravitate, copia et acumine, orationisque varietate et elocutione, a qua praecipue eloquentes dicuntur, h. e. naturali venustate et urbanitate quadam, per illam, ut sanguis per corpus, diffusa. Quibus si accedit illa veterum historicorum, tam Graecorum quam Romanorum, ars, qua magni viri non modo agentes sed et ipsi causas, cur ita agant, scite exponentes inducuntur; quae lectio quaeve disciplina et iucundior, et utilior fingi potest? Hinc Cicero censebat, summi oratoris esse, historiam scribere, eamque huius doctrina sublevatam multo magis se commovere, et sucum quasi ac sanguinem, carnem ac colorem accipere, i. e. et suaviorem reddi et fructuosiorem. Neque assequor, cur in ea oratio, habitu oratorio vestita et hac arte animata, modo

neque nimis ea luxuriet, neque magis ornatus verborum, quam rerum veritatis ratio habeatur, minus probanda sit minusque placere queat, quam qua plurimi utuntur historici et antiquioris aevi et recentioris, qui vel res breviter simpliciterque seu ad captum puerorum accommodate exponere, vel doctis tantum hominibus consulere, disputare et argumentari, difficiliores modos expedire, obscura et recondita scrutari solent. Quis certe Livium reprehendat, quod sequutus sit sensum, iudicia moremque popularium suorum, quos in primis et delectare et edocere cupiebat? et quis non ad hunc finem exigat annales eius? Quid vero causae est, cur a nobis minor voluptas utilitasque ex eius aliorumque historiis antiquis percipiatur, quam a popularibus eorum capta est? A paucis illae eo modo ac fine leguntur, quo et solebant olim legi, et debebant. Longe enim plurimi eas non ad vitam formandam referunt, sed ad antiquitatis tantum notitiam et bene dicendi scribendique facultatem, sive, ut dicere solent, stilum. Alia etiam hodie est vitae, studiorum institutorumque ratio, quam olim fuit; neque aut finguntur amplius aut desiderantur oratores veteribus similes, nisi forte apud Britannos, sed verae eorum eloquentiae iam dudum successit ubivis umbratica et sacra, ex quo illa e foro et curia in scholarum umbram suggestumque ecclesiasticum relegata est. Alius denique est genius huius saeculi, quo ingenuarum artium antiquarumque literarum contemptus in dies invalescit, et

omnis paene humanitatis sensus exuitur. Sed cui non dictus Hylas?

§. IV.

De indole interiori historiae Livianae, et quidem 1. de eius virtutibus fontibusque.

Quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiae sit in scribendo? ne qua simultatis? Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo; et quum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis; hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita atque natura. Verborum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens, sine hac iudiciali asperitate et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. Ad vera haec praecepta Ciceronis (de Orat. II, 15), si exegeris annales Livii, animadvertes pro-

fecto, eum neglexisse nullam perfectae historiae legem, et omnibus exemplum ad imitandum proposuisse. Primaria historicorum virtus est studium veritatis, quam ille toto amavit affectu, et religiosissime coluit. Nam non modo omnem dedit operam, ut rerum narrandarum certam consequeretur notitiam, sed etiam ea, quae vera, saltem probabiliora, variis narrationibus solerter expensis, iudicarat, sine ira et studio, libere et aperte tradidit; adeoque verum referre et potuit et voluit (1). Prius patet ex eo, quod antiquiora ex monimentis publicis et, ubi ea deficiebant, ex scriptoribus fide dignis, recentiora ex iisdem fontibus hausit aut aliunde cognoscere potuit. Monimenta illa, quorum summa est fides, maxima apud Romanos cura et confici, et in tabulariis, aerario, Capitolio aliisque templis figi aut servari solebant, v. c. libri censuales, etiam antiquissimi, Tulliani, qui aetate Dionysii Halic. adhuc exstabant (2); senatorum, Equitum iudicumque catalogi; annales a pontifice maximo consignati, acta senatus et populi (3) fasti consulares et triumphales; tabulae triumphan-

(1) Cf. Lucianus de historia scribenda, et Ernesti comm. de fide historica recte aestimanda in Opusc. philol. crit. p. 64-101, ubi accuratius singula huc spectantia exposuit, et exemplis ex Livio aliisque petitis illustravit.

(2) V. Dionys. Hal. lib. IV, p. 225.

(3) De his annalibus et actis disserui in Prooem. ad Tacit. Ann. p. 16 sqq. Cf. Cic. de Orat. II, 12; Tac. Ann. III, 3; V, 4, 5; XV, 74; XVI, 22; Dio LVII, 16; Suet. in Aug. 36; in Caes. 20, ibique Exc. Ernesti.

tium in Capitolio fixae (1); leges, plebiscita, SCta, formulae pacis et foederum, aereis tabulis insculpta, quarum tria millia cum Capitolio conflagrasse tempore Vespasiani et ab eo restituta esse, undique investigatis exemplaribus, Suet. Vespas. 8 docet; literae a regibus, sociis, magistratibus provinciarum et ducibus exercituum ad senatum et ab hoc ad illos missae servataeque apud aerarium (2), quibus et modus et causae rerum gestarum ac numerus legionum, navium et imperatorum continebantur; magistratuum edicta et commentarii; inscriptiones statuarum, sepulcrorum etc. Horum vero aliorumque monimentorum neque inspiciendorum facultatem, neque indagandorum consulendorumque studium ac diligentiam defuisse Livio, vel id argumento est, quod passim ab eo memorantur, v. c. foedera et pacis conditiones XXI, 2; XXIII, 33; XXVI, 24; XXIX, 11, 12; XXX, 37, 43; XXXIII, 30; XXXIV, 35; XXXVIII, 9, 38; fasti et annales magistratuum, libri lintei, in aede repositi Monetae IV, 7; XIII, 20, 23; IX, 18; X, 38: XXXIX, 52; inscriptiones statuarum, tabularum, spoliorum et armorum in templis fixorum II, 33; IV, 20; VI, 29; X, 2; XL, 52; XLI, 28; laudationes funebres imaginumque tituli IV, 16; VIII, 40; leges, plebiscita et SCta multis locis in Indice citatis;

(1) Cf. Atilius Fortunat. in arte p. 2680 ed. Putsch.
(2) V. Dio Cass. lib. LIII, p. 509.

literae regum, sociorum, imperatorum magistratuumque provincialium etc. Ex his publicis monimentis multa etiam iis petiit locis, ubi id non diserte tradit, more veterum scriptorum, qui raro indicant fontes, unde sua hausere. Id tum ex eorum intelligitur reliquiis, quae etiam nunc a nobis comparari possunt, v. c. ex SCto de Bacchanalibus, ex quo complura, nonnunquam ad verbum, exscripsit (1); tum ex amplis proeliorum descriptionibus, quarum magna pars et literis imperatorum ad S. P. Q. R. missis deprompta videtur; tum ex eo, quod subinde ab illis, quae ex eius modi fontibus haud dubie ducta sunt, alia incertiora, ex fama aut traditione aut historicis et aliunde desumpta atque comperta, vel diserte discernuntur, ut IV, 20, et XXIX, 14, vel adiectis his veluti notis: *tenet fama*, *dicitur*, *tradunt*, *accepimus*, *ferunt*, *traditur memoriae* etc. v. c. I, 4, 16, 24, 31, 36; XLIV, 6, 22, et sexcenties alibi.

Praeter publica haec monimenta ac literas Livius etiam consuluit antiquiores historiae Romanae scriptores, et quidem fide dignissimos, qui vel senatui, ad quem tantum non omnia referri solebant, vel rebus gestis ipsi interfuerant, vel aliunde verum poterant cognoscere. Quinam hi fuerint, et quoties eorum iniecerit mentionem, iam supra

(1) V. ad Liv. XXXIX, 18, 5, et XL, 52, 3. Hinc SCtum illud ad calcem edit. Gotting. typis excudendum curavi.

diximus §. III, ubi locis laudatis addenda sunt multa alia, quibus *annales* simpl. memorantur, v. c. II, 54; III, 8; IV, 34; VII, 9, 18, 42; VIII, 18, 23, 30; IX, 15, 42, 44, 45; X, 2, 17; XXI, 25; XXII, 31; XXIII, 6, 47; XLII, 11; XLIII, 13. Neque hos auctores temere sequutus est, sed critico et subtili iudicio eorum fidem una cum rerum natura exploravit (v. c. Fabii I, 44, 55; II, 40; VIII, 30; X, 37; XXII, 7; Coelii XXI, 47, et Valerii Antiatis XXVI, 49; XXXIII, 10; XXXVI, 38), et notavit errores, ut IV, 20; IX, 15, 44; XXI, 38; XXII, 31, et in dubiis rebus dissensum commemoravit, exempli gratia I, 55; IV, 23; IX, 15, 46; X, 2, 9, 17, 30; XXI, 38, 46, 47; XXII, 31; XXV, 39; XXVI, 16, 49; XXVII, 7; XXXIX, 52; XLIV, 13, 15. Plurimum autem auctoritatis tribuit Polybio (1), et quidem, etsi id non diserte dixit, tantum, ut in libris XXI-XLV, pleraque ex eo desumpserit, et Graece ab eo dicta saepissime ad verbum paene verterit in Latinum sermonem. Neque meliorem profecto ducem habere potuit hoc praeclaro scriptore, artium belli pacisque peritissimo, quo non alius quisquam maiori studio verum et causas ordinemque rerum scrutatus est, quique non modo Romae, Scipionis Africani minoris, cuius lateri etiam in castris ad

(1) V. Liv. XXX, 45; XXXIII, 10; XXXIV, 50; XXXVI, 19: XLV, 45.

Carthaginem et Numantiam positis adhaesit, Laeliorum aliorumque intima familiaritate adiutus, antiquissima excussit monimenta et historicos, tam Romanos quam Graecos, diligenter contulit, sed etiam, ut plura ac certiora cognosceret, multas Asiae, Africae et Europae regiones lustravit, in his Alpes, Galliam, Hispaniam, omnemque fere Graeciam et Italiam (1). Verum ne hunc quidem servili modo imitatus est Livius; sed multa ab eo dicta vel omisit, vel fusius pressiusve narravit, et non solum longe ei antecelluit eloquentia et orationis venustate, sed et nonnunquam, quae ille tradidit, in dubium vocavit, v. c. XXXIX, 52.

Huic veritatis indagandae et facultati et studio accessit felicitas saeculi Augustei, quo cuilibet sentire, quae vellet, quaeque sentiret, dicere licebat.

Livius autem verum non modo tradere plerumque potuit, sed et semper voluit, ac neque ira et odio, neque adulatione, partium studio et amicitia, sive publica, sive privata, se adduci passus est, ut a veritate, qua nihil antiquius esse debet annalium conditori, vel transversum, quod aiunt, unguem recederet. Cuius rei locupletissimum continetur testimonium verbis Cremutii apud Tac. Ann. IV, 34: „*T. Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut* Pom-

(1) Cf. Polyb. III, 48, 59; IX, 25; XXII, 21; XXXII, 9; XXXIV, 7; XXXIX, 3; XL, 7 sqq. Idem dicit III, 33 se Lacinii reperisse tabulam aeneam, in qua Hannibal res a se gestas ipse descripserit.

PEIANVM *eum Augustus appellaret: neque id amicitiae eorum obfecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignes viros nominat.* Id vel solum sufficere videri possit ad retundendas criminationes vanas eorum, qui et sibi et aliis persuasere, a Livio iusto plus et Romanorum virtutes ac res augeri, peccata ac clades imminui atque celari, et hostium, in primis Gallorum Poenorumque, mores carpi et res bene gestas elevari; adeoque de his longe aliud nos iudicium laturos esse, si Gallicos Punicosque haberemus scriptores. Fac autem, eos exstare. Quinam tibi fidei digniores viderentur? hi, quos vel patria et ingenium suspectos redderent? an Livius, qui non minus candide popularium peccata, vitia et clades fatetur, (quod permultis facile exemplis evinci posset, si res iis indigeret) quam vere praedicat, etiam in hostibus, quae laudanda erant (1)?

Livius non solum dixit verum, sed etiam praeclare dixit, sive res, sive verba respicias. Quae quovis anno in republica Romana contigerunt, accurate et ordine, graviora fuse, leviora paucis exposuit; regionum, populorum, urbium indolem ac naturam bene adumbravit; hominum celebrium non modo res bene aut male gestas, sed et virtutes, vitia, vitam, ingenium, vere descripsit et egregie; quo modo acies instructa pugnaque commissa, quibus

(1) Cf. Ernesti in comment. supra nota 31 laudata §. XXXIII et XXXIV.

consiliis et qua ratione memorabilis res acta sit, qui eius eventus et quae huius causae fuerint, seu casus, seu temeritatis, seu sapientiae, quid in re publica constituenda, administranda et mutanda, quid in eligendo campo locoque castrorum, quid in ordinanda acie, in subsidiis disponendis, in procursu concursuve, in impetu hostis excipiendo et repellendo, quid ab equitatu et peditatu, huiusque et illius parte, bene aut male sit factum, scite et luculenter declaravit. Quae praecipuae sunt virtutes historiae πραγματικῆς et ἀποδεικτικῆς (1), cuius ille exemplum a Polybio sumpserat, et ad cuius normam Sallustius quidem et deinde alii iam singulas historiae Romanae partes conformaverant, Livius vero, quod sciamus, totam primus accommodavit. Haec omnia si exemplis, ex eo petitis, illustrare vellem et evincere; charta et tempus me citius deficerent, quam oratio et materies.

De Livii, historici omnium eloquentissimi, oratione eiusque indole et ornatu non est, quod multa addam iis, quae iam supra §. III dixi. Est ea non minus pulchra, numerosa, elegans et nitida, quam dulcis, iucunda, venusta et urbana; est dilucida, simplex et aequabilis, rebus et affectibus conveniens; in concionibus diserta et gravis, verborum saepe sententiarumque floribus conspersa, figuris et translationibus distincta, nonnunquam et poëtica; ut paucis

(1) Cf. Polyb. I, 2, 35; II, 37; III, 1, 7, 31, 32; VI, 5; IX, 2.

multa complectar, plane oratoria et Ciceroniana: quam bene *miram facundiam et lacteam ubertatem* dixit Quintil. Inst. Or. VIII, 1, 3, et X, 1, 32, ubi etiam §. 101 ita iudicavit: *Historia non cesserit Graecis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear, nec indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem: ita dicuntur omnia cum rebus, tum personis accommodata. Sed affectus quidem, praecipue eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consequutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis, quam similes.*

Praeter virtutes historiae Livianae modo memoratas ex ea spirant summum odium vitiorum, amor virtutis et animi candor, iudicium subtile et rectum, acer sensus veri, pulchri et honesti, artium pacis belique peritia, multiplex doctrina et copia tam egregiarum graviumque sententiarum, quam exemplorum praeceptorumque, in omni vitae genere et in arte militari ac politica utilium. Ex quibus omnibus facile intelligitur, quot et quantae utilitates ex tali historia capi queant.

Ceterum a nobis non totum opus Livianum, sed quarta tantum, quae restat, pars recte aestimari po-

test. Cuius si praestantia nobis tanta esse videtur, ut nemo veterum historicorum Nostro anteferatur; quanti faceremus integram eius historiam, quae et ἀρχὴν, et ἀκμὴν, et παρακμὴν seu φθορὰν reipublicae Romanae, tanquam in tabulis bene pictis expressas, oculis nostris subiecisset? quanto maioris posteriorem eius partem quam priorem? Nam in hac descripsit primum tempora antiquiora, quibus pleraque erant tenuia, incerta, obscura et fabulis involuta (1), deinde ea, quorum omnem paene memoriam Polybio debebat; in illa vero recentiora, quibus propior erat aut adeo aequalis, quorumque res memorabiles et ex limpidioribus hauriri poterant fontibus, et ingenio eius multo digniorem uberioremque subministrabant materiam, et a nullo scriptore, adhuc superstite, accurate et continuo ordine sunt expositae. Inde etiam

(1) Hinc frequentissime dubitat, quod iam Quintil. I. O. II 4, 19 monuit, passimque de varietate annalium veterum et de defectu monimentorum fide dignorum, caliginem priscis temporibus obfundente, queritur, v. c. II, 21; V, 21, VII, 2, in primis VI, 1: (*Quae ab condita urbe Roma ad captam eandem Romani gessere, quinque libris exposui; res cum vetustate nimia obscuras, veluti quae magno ex intervallo loci vix cernuntur, tum quod parvae et rarae per eadem tempora literae fuere, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum, et quod etiam, si quae in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monimentis, incensa urbe pleraeque interiere*); et VIII, 40: (*Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta, et publica monimenta rerum confusa. Nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur*).

primis X libris quadringentos et sexaginta annos, reliquis XXV non nisi quinquaginta persequutus est, et in illis non raro improbabilia immiscuit et fabulosa, in his, Polybio duce, et certiora tradidit, et historiam, quae vulgo pragmatica vocatur, scribere adgressus est, et, quod Cicero de Coelio dixit, paulo inflavit vehementius; ita ut hi plane dissimiles sint illis, et, labore longius procedente, studium eius non elanguisse, sed simul cum materia crevisse videatur. Quare non est quod dubitemus, quin virtutes eius maxime enituerint in XCVII libris XLVI-CXLII, qui iniuria maligni fati nobis erepti sunt, quibusque res, annis tantum CLVIII gestas, ab a. V. C. 586-744 complexus est.

§. V.

2. *De vitiis historiae Livianae.*

Non est quod vel mireris, si in vastae molis opere bonus quandoque dormitat Homerus, vel dissimiles, quos egregio inspersos reprendas corpore, naevos. Neque tamen audiendi, qui iudicio aut inepto aut nimis moroso ducti omnia, etiam praeclara, vituperare amant. Illorum numero, praeter eos, qui Livii fidem veritatisque studium in dubium vocarunt, et iam supra §. IV confutati sunt, habendus Caligula Imp., qui teste Suet. c. 34: *non minore livore ac malignitate, quam superbia saevitiaque, paene adversus omnis aevi homines grassans, cogitavit de Homeri carminibus abolendis*, *atque*

Virgilii et T. Livii scripta et imagines, paulum afuit, quin ex omnibus bibliothecis amoverit: quorum alterum, ut nullius ingenii minimaeque doctrinae, alterum ut verbosum in historia negligentemque carpebat (1). Horum C. Asinius Pollio, vir clarissimus quidem belli pacisque artibus (2), sed asperi tetricique ingenii et perpetuus aequalium praestantissimorumque scriptorum obtrectator, qui, quamvis ipse dura, sicca, aspera et salebrosa oratione uteretur (3), Livio *Patavinitatem* exprobravit (4). Qua criminatione quidam designari putant nimias Patavinorum laudes, alii odium in Gallos, alii orthographiae insolentiam (5), alii Pompeianarum partium studium (6), alii redundans et Asiaticum dicendi genus seu frigidam et elumbem prolixitatem, a Romana virilitate alienam (7), alii aliud. Sed ex

(1) Negligentiae Livius inepte arguitur: verbositatis vitio non plane absolvendus videtur; quod infra monebimus.

(2) V. ad Tac. Ann. I, 12, 3.

(3) V. auctor dialogi de Orat. c. 21, et Senec. Exc. Controv. ex lib. IV princ.

(4) V. Quintil. Inst. Orat. I, 5, 56, et VIII, 1, 3.

(5) Cui coniecturae favet, quod Quintil. I, 7, 24 docet, Livium *sibe* et *quase* scripsisse pro *sibi* et *quasi*. Enim vero id non proprium Patavinis, sed literarum *e* et *i* usum in permultis vocibus promiscuum fuisse antiquis scriptoribus, ex inscript. MSS. Gell. X, 24; Quintil. I, 4 et 7, Donato in Terent. Phorm. I, 1 et aliis iam probavit Morhof. de Patavin. Livii c. 3, de quo libello v. sup. nota 1.

(6) Livium et Patavinos earum partium, Asinium vero Pollionem Pompeianis adversum fuisse, docent Tac. Ann. IV, 34; Macrob. Sat. I, 11; Vellei. II, 63; Cf. Morhof. lib. I, cap. 2.

(7) Eam Io. Buherius de Patavin. Livii ita festive, licet maligne, dictam censebat, quia Patavinorum mulieres in Venerem

locis class. Quint. I, 5, 65; et VIII, 1, 3, manifesto apparet, significari peregrinitatem aliquam in usu vocum Romanis insolentium aliove sensu captarum. Quod tamen vitium, si Livio fuit, ita latet, ut a nobis saltem hodie et in iis, qui supersunt libris eius vix ac ne vix quidem deprehendi possit. (1).

Huius generis iudicibus nescio an adnumerandi sint, qui valde improbarunt frequentem illam et accuratam prodigiorum portentorumque enumerationem, qua sapienter abstinuisse Polybium iam Xiphil. (in Aug. p. 41, ed. H. Steph.) iudicavit, quaeque praecipua creditur causa fuisse, cur Gregorius M., propagandae religionis christianae et superstitionis tollendae studiosissimus, ex omnibus bibliothecis historias Livii curaverit amovendas. Fastidiremus utique talia legere in historicis nostri aevi, quo philosophia et maxime physica veras rerum naturalium causas investigare nos docuit, et huius generis errores exemit hominum animis. Sed non est, quod vitio vertantur antiquis rerum Romanarum auctoribus. Nam hi et placere cupiebant popularibus suis, qui omnes iram deorum prodigiis portendi piaculisque et supplicationibus avertendam esse putabant (quibus opinionibus etiam sapientissimos fuisse imbutos, vel ex Ciceronis de divinatione libris intelligitur), et move-

frigidiores et severas moribus fuisse cognoverat ex Martial. IX, 17, et Plin. Ep. I, 14.

(1) Haec et Morhofii sententia fuit, qui illas aliasque coniecturas bene refutavit l. l.

bantur tum gravitate harum superstitionum, quae magnam vim habebant in consilia publica rerumque gerendarum eventum, tum auctoritate antiquitatis monimentorumque veterum, e quibus tantum non omnia hauriebant, in primis fastorum et annalium pontificum, in quibus prodigia cum procurationibus diligenter erant consignata. Quod si vero Livius in his commemorandis modum excessit, minus certe peccasse videtur quam Polybius, qui semel tantum (III, 112), brevem eorum mentionem fecit: nam ex historia Romana, quae talia paene silentio praetermittit, non accurata percipietur cognitio morum, opinionum institutorumque huius populi. Ipse Livius non male eam, quam sequutus est, rationem lib. XLIII, 13, defendit his verbis: *Non sum nescius, ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credunt* sc. homines, edocti a philosophis, deorum providentiam negautibus, *neque nuntiari admodum ulla prodigia in publicum, neque in annales referri. Ceterum et mihi vetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus sit animus, et quaedam religio tenet, quae illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quae in meos annales referam.* Idem aliis locis recte iudicat de prodigiis, v. c. XXI, 62; XXIV, 10, 44, et XXVII, 23, quibus dicit, multa oculorum auriumque ludibria, motis semel in religionem animis, temere pro veris fuisse credita, et pravam religionem etiam minimis inseruisse deos.

Fuere etiam et olim (1) et hodie, qui nimium orationis ornatum et eloquentiae studium neutiquam probarunt in historico. Et recte hi iudicare videntur: nam scriptores, qui oratoria ornamenta, elegantias et flores sermonis, rhetorumque lecythos, et pigmenta sectantur, maiorem paene verborum quam rerum, voluptatis quam utilitatis, et doctrinae ingeniique ostentandi quam veritatis investigandae curam habere solent. Neque etiam tam caeco Livii amore captus sum, ut in hac re nihil ab eo peccatum esse contendam. Orationes, ex eius fere ingenio profectae, nimis forsan crebrae et saepe iusto longiores sunt, copia variorum ornamentorum convenientior oratori quam historico, multi orationis colores ex seriori aevo eiusque ritibus deprompti, multa oratorum more exaggerata (2). Ipsa tamen haec ubertas lactea est et gratissima: unde etiam non defuere, qui conciones CXCIII e Livio excerptas separatim edendas curarent (3). Neque minori ille studio veri reperiendi, quam ornate exprimendi arsisse videtur.

Alia Livii peccata paucis recensebo, quoniam plura de iis iam in commentario dixi. Multa in eius historia

(1) V. c. Lucianus de scrib. hist. IX, 57, et in pr. Diodorus Sic. Orationes rectas in Livio et Sallustio reprehendit, nec nisi obliquas in historia referendas censuit Pompeius Trogus; de quo v. Iustin. XXXVIII, 4.

(2) V. ad IV, 54, 7; VI, 16, 4; IX, 14, 8; XXVIII, 1; XXXIV, 5, 3, (ubi ab oratore argumentum petitur ex Originibus Catonis, quarum scribendarum hic eo tempore nondum ceperat consilium) XXXVI, 40, 3 et alii.

(3) V. Fabricii Bibl. Lat. I, 11, pag. 295.

Rom. reperiuntur exempla incuriae rerumque perverse narraturum v. c. I, 38, 4; I, 45, 2; II, 8, 10; III, 31; IV, 12; IV, 29, 3; IV, 42, 3; V, 1 pr.; V, 12, 8; X, 33, 5; X, 47, alibique passim; multa improbabilia et fabulosa aut miraculorum commenta, ut I, 7, 9, 16; II, 49, 50; VII, 6; XXVIII, 28, 1 etc. multa loca, quibus ille sui oblitus aut varios sequutus auctores de eadem re aliud loco seu contraria tradit, e. g. I, 7, 5; I, 24, 2, et 5; I, 65, 4; IV, 29; V, 12; V, 27; coll. XLII, 47; VII, 1; VII, 15, 2; VII, 32, 4; IX, 26, coll. 34; IX, 44, 8, alib.; alia, ubi errore lapsus memoriae eadem fere verbis iisdem bis memorat, ut XXXV, 22, 2; XXXVI, 21, 4; XLV, 15, 8; vel mole rerum narrandarum obrutus multa suo tempore ac loco praetermittit, et deinde per occasionem eorum, quasi iam ante relatorum, brevem iniicit mentionem, v. c. I, 30; IV, 30; III, 31, 32; V, 18, 31, 40 etc. (1); vel eadem committit peccata, quorum alios arguit historicos, e. g. II, 15, 16, 39 (quibus locis consules biennii omisit) IX, 44; XXXVI, 40, 3, vel male intellexit verba Polybii, ut XXXI, 29, 1; XXXIII, 8, 5; XXXIII, 13,

(1) Cf. Periz. anim. hist. c. 4, p. 160 sqq. qui id optimis accuratissimisque scriptoribus, praesertim rerum Rom. et in his Livio, in usu fuisse, et forsan non oblivioni aut incuriae tribuendum, sed de industria ac brevitatis studio factum putabat. Quacumque vero de causa hanc illi consuetudinem adscivere, ea vituperanda potius, quam laudanda et imitanda videtur.

3, vel eius ἁμαρτήματα μνημονικὰ sua fecit, v. c. XXXVIII, 11, 8, vel eiusdem auctoritate spreta ex aliis minus fide dignis parum probabilia, ne dicam absurda, hausit, ut XXVIII, 28, 1. Praeterea nonnunquam verba sunt abrupta et male nexa, ut X, 20, 7; brevitas obscura v. c. III, 45 pr. ingrata orationis negligentia, (de qua v. ad Praef. n. 3 ad I, 3, 8; II, 32, 3; V, 15, 6; V, 43, 4; VI, 24, 4 et alii) crebri pleonasmi et inanis verborum copia atque ubertas, cuius generis insignem μακρολογίαν notavit Quintil. VIII, 3, 53.

§. VI.

De MSS. et editt. Livii.

De his tantum non omnibus docte et accurate post Fabricium (in Biblioth. Lat. I, 11, et Creverium egit Drakenb. in Praefat. Vol. VII edit. Liv. et ibidem in Syllabo codicum et editt. p. 320-341, cuius vestigia legere Livii editores Bipontini. Nobis tantum summas ex iis rerum seligere licet, et in lucidiorem redigere ordinem.

Codices scripti, a viris doctis ad recensendum emendandumque Livium adhibiti, sunt

I. *antiquissimi optimique*, et quidem 1. *Puteaneus* olim, nunc Parisiensis, omnium praestantissimus, literis uncialibus et continuis, iisdem, quibus clarus ille Florentinus ex Pisano Pandectes, scriptus, cui historia belli Punici Liviana plurimum debet.

2. *Cantabrigiensis* collegii Trinitatis, raro discrepans a Puteaneo. 3. *Petavianus I* Alex. Petavii, Puteaneo fideliter plerumque adhaerens, aut ita ab eo deflectens, ut causa sit manifesta. 4. *Moguntinus*, literis Longobardicis in membrana exaratus, qui in aedis Martinianae ac metropolitanae bibliotheca, in qua olim fuit, non amplius reperitur, et consultus est primum a Nic. Carbachio, deinde a Gelenio aut Rhenano, qui in edit. Frobeniana lectiones variantes, ex eo diligentius excerptas, notavit et permultas quidem in contextum admisit, sed pauciores quam Aldus (in edit. Ven. 1521), et Drakenb., a quibus nimium forte huic MS. tributum est. 5. *Laurishemensis*, maiusculis literis et sine vocum distinctione scriptus, et ex bibliotheca monasterii Laurishemensis in Caesaream, quae Vindobonae est, illatus, sed nondum a quoquam accurate collatus cum ed. Sim. Grynaei, qui Basil. 1531 ex eo primus vulgâvit quinque ultimos Livii libros (cf. Lambecii comm. de Bibl. Augusta Vindob. l. II, pag. 493 sqq. ubi multa adhuc Livii loca ex eo corrigi posse ostendit). 6, 7, 8, 9. *Palatini IV*, qui cum reliquis bibliothecae Heidelbergensis MSS. in Vaticanam concessere. 10, 11. *Florentini* s. Medicei I, et II, quorum ille in prima Livii decade optimus, hic in altera secundus a Puteanco est. 12. *Leidensis I*, in quo prima Livii decas ex eodem, ex quo Florentinus I, certe ex simili exemplari descriptus

videtur. 13. *Havercampianus I* Sigeb. Havercampii, qui libros Livii III-X integros et pauca libri I et II fragmenta continet: unde non codex, sed *fragmentum Havercamp.* a Drak. vocatur. 14. *Harleianus I* comitis Oxoniensis.

II. *antiqui et meliores*, 15. *Leidensis II*, quem Lipsius olim possedisse videtur. 16. *Lovelianus I* a Thoma Coke de Lovel, Barone Britanno, ad Drakenb. cum aliis missus, qui primum Alphonsi regis, deinde Cuiacii, Lipsii aliorumque fuit, nec tamen ille, qui Alphonso regi dono datus est a Cosmo Mediceo, et quo nullum in Italia augustiorem fuisse, Valla ad Liv. XXIII, 18, testatur. 17. *Lovelianus II*, qui illo recentior esse videtur. 18, 19. *Vossiani I et II*, qui cum ceteris Is. Vossii MSS. a curatoribus academiae Lugduno-Batavae redempti sunt. 20. *Petavianus II.*

III. *recentiores*, 21. *Gaërtnerianus*, qui olim fuit in bibliotheca Car. Guil. Gaërtneri Prof. Lips. 22. *Harleianus II.* 23. *Havercampianus II.* 24. *Lipsiensis* in biblioth. senatoria. 25, 26, 27. *Loveliani III, IV et V.* 28. *Portugallicus*, Hagae Comitum olim emptus iussu regis Portugalliae. 29. *Beroliniensis* in biblioth. regia. 30. *Harleianus III.* 31. *Havercampianus III.* 32, 33. *Vossiani III et IV.* 34. *Hafniensis* in biblioth. regia. 35. *Recanatianus*, qui olim fuit Io. Bapt. Recanato, Patricio Veneto, et in multis consentit Laudino I (cf. ad Liv. XXII, 18, et fragmenta).

36. *Harleianus IV*. 37. *Lovelianus VI*, qui cum Vossiano IV convenire solet. 38, 39. *Meadiani I et II*, quorum olim possessor fuit Rich. Mead. medicus Londinensis. 40, 41, 42, 43. *Palatini V*, *VI*, *VII*, *VIII*.

IV. *alii*, *quorum vera indoles subtiliori iudicio haud explorata et descripta est a viris doctis*, qui satis habuere, eos certis nominibus signisque distinguere, et varietatem lectionis enotare. 44. *Rottendorfii*. 45, 46. *Gudianus I et II*. 47. *Thuaneus*. 48. *Chifletianus*. 49. *Gabr. Naudaei*. 50. *Buslidianus*. 51. *Vormatiensis*. 52. *Spirensis*. 53. *Fuldensis*. 54. *Coloniensis*. 55. *Codex vetus* Manu Poggii scriptus. 56. *Codex Claudii Fauchet*. 57-62. VI Oxonienses Hearnii manibus versati, scil. 57. *B*. *Bodleianus*. 58. *D*. Digbaei. 59. *L*. 1 Laudinus I. 60. *L*. 2, Laudinus II (qui quatuor MSS. in biblioth. Bodleiana adservantur). 61. *C*. in biblioth. collegii corporis Christi. 62. *N*. in biblioth. collegii novi Oxoniensis. 63, 64. *Veithiani I et II* a bibliopolis Augustanis fratribusque huius nominis cum Strothio communicati.

V. *Codices locis aliquot a I. Fr. Gronovio inspecti*. 65, 66. *Barberini*. 67. *Andinus*. 68. *Venetus* coenobii D. Antonii. 69 sqq. *Florentini* complures; et duo *Oxonienses* totidemque *Parisienses*, forte ab Hearnio et Crevierio accuratius excussi.

His codicibus addendi sunt alii a Crevierio usur-

pati, duo a Gelenio, qui eos haud nominatim memorat, complures ab Aldo, Curione, Sigonio, Modio, Grutero et aliis, qui ne dixerunt quidem, quot et quales fuerint, quidam Vallae, nescio qui (quorum meminit ad Liv. XXII, 12, et 51), et vetustum exemplar ex biblioth. Benedicti Cornarii Patricii Veneti depromptum a Sabellico, qui ad illud Livium contulit in ed. Veneta a. 1491.

A Io. Fr. Gronovio cum editionibus collati sunt codices 1, 3, 4, 20, 44-50 et 65 sqq. a Iac. Gronovio (cuius excerpta Ios. Wasse dedit Drakenborcho) 2 a Iano Gebhardo (forte et a Grutero ac Io. Fr. Gronovio, qui Palatinorum codicum lectiones saepe, numerum vero et indolem nusquam memorant) 6-9, et 40-43; a Drakenborcho 10-19, et 21-39; a Rhenano 51, 52; a Modio 53, 54; ab Vrsino 55; a Matthaeo Klockio 56; ab Hearnio 57-62; a Strothio 63, 64. Nullus vero horum codicum omnes, qui supersunt, libros Livii continet, sed 51, lib. I, 20, usque ad VI, 28 — 14, lib. I-VIII — 13; lib. III-X, et aliquot libri I et II, fragmenta. — 6, 7, 10, 12, 14, 15, 18, 19, 22, 23, 24, 28, 30, 40, 44, 45, 47, 48, 53, 54, 57, 60, 61, 63; lib. I-X — 1, 2, 3, 8, 9, 11, 29, 30, 31, 32, 34, 35, 41, 46, 52, 58, 64; lib. XXI-XXX — 4, 20, 33, 36, 37, 38, 39, 42, 43, 49; lib. XXXI-XL — 16, 17, 21, 25, 26, 27, 50, 59, 62; lib. I-X, et XXI-XL — 5; lib. XLI-XLV. E codice quarto Nic. Carbachius

in ed. Mogunt. 1519, primus restituit maximam partem libri XXXIII, inde a cap. 17, §. 6, et extremam libri XL a cap. 37, §. 3 ad finem; ex quinto Sim. Grynaeus in ed. Basil. 1631, libros quinque postremos; et ex MSS. Bambergensi Casp. Lusignanus in ed. Rom. 1616, prima 17 capita libri XXXIII, quae Liviani operis partes in reliquis MSS. desiderantur.

Ad recensendas quoque *Epitomas Livianas* viri docti adhibuere codices MSS., Sigonius quosdam, nescio quot et quales; Gruterus Palatinos; I Fr. Gronovius *Barbarinum* et duos *Gudianos*; Hearne cod. N. collegii novi Oxoniensis et *Norvicensem* Io. Mori, Episcopi Norvicensis; Drakenborch *Bergianum* Ioannis van den Bergh, ICti et consulis Lugdunensis, *Boendermakerianum* Theodori Boendermakeri, canonici S. Martini apud Traiectinos, *Leidensem* optimae notae, *Lovelianum*, quem supra Lovelianum II diximus, et *Vossianos I, II, III et IV*, qui cum reliquis codicibus Vossianis in Lugduno-Batavam migrarunt, et quorum primus, qui recentissimus est, omnes Epitomas, reliqui vetustissimi non nisi septem priores et duplicem seu diversam primi libri Liviani exhibent.

Editionvm Livii indolem nunc paucis indicabimus. Exemplum Livii, quem a Christoph. Landino primum esse repertum et descriptum tradit Sabellicus de L. L. instauratione, p. 334, iam habuit Fr. Petrarcha, ICtus, philosophus et poëta, qui a. 1374

mortuus est: (v. eius Opera p. 948) et primae editiones usque ad Moguntinam a. 1518, complectuntur tantum libros I-X, XXI-XXXII et XXXIV-XL, 37, 3. — Nam quaedam ex iis, libro XXXI in duas partes dissecto, numerum quidem librorum, non vero lacunam explevere. *Editio princeps* est Romana sine anni nota (1469, fol.) ap. Conr. Sweynheym et Arn. Pannartz cura Io. An. (Antonii aut potius Andreae) Episcopi Aleriensis, cuius praefationem proximae et tantum non omnes editiones Saec. XV, praefcrunt. Repetita est Romae 1472, f. et ex ea expressae Mediolanenses 1478, f. a Phil. de Lavagnia, et 1480, f. ab Anton. Zarotho impensis Io. Legnani et ex recognitione Petri Iustini Philelfi. Proxime autem illam excepere Veneta 1470, f. per Vendelinum Spirensem sive de Spira, et Romana 1471 et 1472, f. III Voll. per Vdalricum Gallum, studio Io. Antonii Campani; quae, si Fabricio fides habenda, iam recepit aliquot coniecturas *Laur. Vallae.* Hic, qui iam a. 1457 mortuus est, primus veram Livii lectionem in libris XXI-XXVI; ex ingenio et membranis revocare conatus est, et emendationes suas libro IV Recriminationum in Facium et Panormitam inseruit. Eas tamen anno demum 1540 Basileae cum reliquis eius operibus in lucem emissas et primum a Seb. Gryphio in edit. Livii Lugd. 1542 excerptas fuisse, contendit Drakenb., qui in Praefat. Vol. VII, p. 2-31 de Vallae vita et scriptis copiose disseruit.

Proximae editiones sunt Tarvisinae, I et III a. 1480 et 1483 (utraque sine nota loci), per Mich. Mazolinum Parmensem, II et IV, descriptae typis Io. Vercelli et recognitae a Luca Porro Tarvisii 1482 et 1485, f. Prima per errorem a Drakenb. in notis dicitur Parmensis, et Tarvisina prima ac secunda, quae secunda et quarta fuere. Parisianas 1481 et 1485, f. ex incerta traditione memorat Maittaire: at certiori fide Mediolanenses 1495, f. et aliam s. a. et l., sed curatam impensis eiusdem Alex. Minutiani, cuius et epistola praemissa est, scripta Mediol. 1505, quique intexuit Parrhasii castigationes in Livium, fraudulenter ei subreptas.

Tum Livius cum notis, partim longioribus, partim brevioribus, *Sabellici*, (M. Antonii Coccii) secundi interpretis, qui etiam Veneto MS. usus est, prodiit tum Venetiis 1491, f. 1493, f. 1495, f. 1498, f. 1501, f. 1506, f. 1511, f. tum in V edit. *Ascensianis* Paris. 1510, f. 1511, 8. 1513, f. 1516, f. 1530, f. impensis Io. Parvi et Iodoci Badii *Ascensii*, qui suam in Livium Isagogen cum prooemii expositione et Augustini *Becharii* ad studiosos alloquium praefixit, et 1531 singulari in volumine quinque postremos Livii libros et chronologiam Glareani ex ed. Basil. 1531, edidit. Ex Ascensiana editione ductae sunt Parisienses 1527, f. ap. Petr. Vidovaeum, et 1529, f. ap. Nic. Savetier, saltem posterior.

His editionibus, quae nondum omnes subtilitate

critica excussae sunt, successit nobilior, quae novam quasi familiam duxit, *Mediolanensis* a. 1518 et 1519, f. ex officina Io. Schefferi et cura Nic. Carbachii, qui ex MS. Mogunt. primus in lucem protraxit maximam partem libri XXXIII, inde a cap. 17, §. 6, et postremam libri XL a cap. 37, §. 3. Eodem vero tempore Livium, ex variis codicibus castigatum, edidere *Aldus* Manutius Romanus et Andreas Asulanus socer Venetiis 1518, 1519, 1520, 8. III Voll. quibus adiectum est a. 1521 quartum, et 1533 quintum. Hoc continentur libri Liv. XLI-XLV, ex ed. Mediol. deprompti, illo Epitomae, Florus et latina Polybii versio a Nic. Perotto confecta. Ab hac Aldina minore diversa est maior Venet. 1521, f. quatuor volumina minoris uno comprehendens. Ex minore ductae sunt *Iuntina I*, Flor. 1522 et 1532, 8. IV Voll. ap. heredes Phil. Iuntae et Bernardi Iuntae, omissis, quae in Vol. IV Aldinae reperiuntur, *Iuntina II et III* ap. Luc. Ant. Iuntam Venet. 1532, f. 1541, f.

Paulo post Livium ex ingenio emendare conatus est Iac. *Sobius*, et foras dedit Coloniae 1525, f. ap. Io. Soterem, et 1527, f. ap. Eucharium Cervicorum.

Novae editionum classis prima est splendida illa Basileensis seu *Frobeniana* 1531, f. in qua Sim. *Grynaeus* Livii libros XLI-XLV primus e MSS. Laurishemensi in lucem protulit, et Indices Glareanique chronologiam Livianam adnexuit. Altera Frobeniana Basil. 1535, f. non modo auctiorem

Glareani chronologiam historiamque Livianam longe emaculatiorem et nunc demum ad vetera exemplaria collatam in titulo venditat, sed etiam Rhenani atque Gelenii in Livium notas adiecit. Hi triumviri, *Beatus Rhenanus* , *Sigism. Gelenius* et *Henr. Loritus* , qui *Glareanus* appellari maluit , eodem tempore nec invita Minerva hic interpretando , illi , consociato et dispartito labore, emendando ex MSS. Livio operam dedere : nam praeter chronologiam illam Glareanus notas in Livium scripsit , quae primum seorsum vulgatae , deinde editionibus Livii insertae sunt. In his queritur, sibi versiones tantum latinas Dionysii Halic. et Polybii ad manus fuisse, passimque quidem veteres libros et codices seu vetusta exemplaria laudat, quae tamen antiquiores fuere editiones. Ceterum Frobenianam editionem sequutae sunt Lugdunenses a. 1537, 8. ap. heredes Sim. Vincentii, 1542, 8. 1548, 12. 1554, 8. ap. *Seb. Gryphium*, 1553, f. typis Io. Frellonii et sumptibus Ant. Vincentii; Basileenses 1539, f. 1543, f. 1549, f. 1554, f. 1555, f. ex officina Io. Hervagii, 1540, f. ap. Io. Petrum; Parisienses 1543, f. et 1552, f. ap. Mich. Vascosanum. Sed Caelius Secundus *Curio* in edd. Basil. 1549, 1554 , 1555 multa Livii loca ex veteribus novisque exemplaribus correxit, et adnotationibus Rhenani atque Gelenii accesserunt notae Glareani in ed. Lugd. 1537, et Basil. 1540, 1543 Vallae, Sabellici et Glareani in ed. Lugd. 1542, et Paris. 1543, 1552; eorundem et Io. Velcu-

rionis ac Theod. Morelli in edd. Lugd. 1553, 1554, et Basil. 1555.

Melius quam omnes illi, de Livio meritus est *Car. Sigonius*, cum cuius is chronologia Liviana et scholiis in Livium eiusque Epitomas editus est Venetiis ap. Aldum Manutium Aldi Filium 1555, f. 1566, f. 1572, f. et post eius, a. 1585 defuncti, mortem 1592, f. In scholiis passim ille crepat libros veteres et MSS., qui tamen vel recentissimi fuere, vel iidem qui Glareani codices, h. e. editiones antiquae. Saepius etiam acerbe invehitur in Glareanum; qui deinde defensiones scripsit, et patronos nactus est haud inscitos, Franc. Robortellum, Gabr. Faërnum et Guil. Godelevaeum. Hinc in secunda editione permulta scholia omissa sunt aut mutata, in tertia eadem aucta defensionibus adversus adversarios istos, in quarta saepe emendata et adiectae quaedam Ant. *Florebelli*, Episcopi Lavellini, coniecturae.

Horum antiquiorumque interpretum adnotationibus Livium instruxere Guil. *Godelevaeus* Francofurti ap. Io. et Sigism. Feyerabendt 1568, f. 1578, f. et Iac. *Gohorius* Paris. 1573, f. Ille scriptorem nostrum iam ante cum suis tantum notis ediderat Francof. 1551, 8, II Vol. hic et paucas in Liv. I-III, animadversiones praemisit. Omnibus his notis accesserunt mox novae *Franc. Modii* Francof. 1588, f. et 8, 1599, 8; deinde *Iani Gruteri*, qui etiam observationes *Fulvii Vrsini* (in Fragmentis veterum historicorum Antverp. 1595), et

Marcelli Donati (in Dilucidatt. in Livium, Tacitum etc. Francof. 1613) adiunxit Francofurti 1608, f. (cuius editionis admodum vitiosa repetitio est Paris. 1625, f) 1619, 8, 1628, f. (in qua edit. primum libri Livii in capita divisi sunt, et novis curis castigati) 1634, 8, 1659, 8. Animadversiones Gruteri sunt criticae ac politicae, non multae nec magni usus; utiliores Vrsini, in quibus multa Livii loca, et interdum feliciter, vel emendantur, vel ex Graecis illustrantur scriptoribus; copiosiores et antiquariae Modii et Donati. Hic saepe nugatur vel notissima congerit; ille permultos Silii versus et integra nonnunquam capita ex Lipsii et Brissonii scriptis intexuit.

Aliam Livii lacunam explevit Casp. Lusignanus, primis XVII capitibus libri XXXIII ex MS. bibliothecae cathedralis Bambergensis evulgatis Romae 1616, 8, cum Franc. Bartholini Vrbinatis et Antonii Quaerengi castigationibus. Haec editio continet unicum Livii librum, non XLIII, qui in titulo omnibusque paginis perperam inscriptus est, sed XXXIII seorsum etiam editum Venet. 1616, 8, et cum notis Io. Horrionis Paderbonae 1617, 8. Totum deinde Livium nitide typis excudendum curavit Dan. Heinsius Lugd. Bat. ex officina Elzeviriana 1624, 12; 1634, 12 et alius, nescio quis, Amst. 1633, 12 ap. Guil. Blaeu.

Melior tum lux scriptori nostro adfulsit opera *Io. Fred. Gronovii*, qui iure optimo *magnus Li-*

vii sospitator vulgo dictus est, eumque edidit ap. Elzevirios Lugd. Bat. 1645, 12, IV Vol. cum notis suis et variorum, Amst. 1665, 8, III Vol. cum notis et variorum, etiam novis Mureti et Tanaq. Fabri, critici parum sciti. Prima editio, sed sine adnotationibus, repetita est Lugd. Bat. 1654, 12; Amst. 1661, 12; 1678, 12; altera per filium *Iac. Gronovium*, qui auctiores patris et integras Sigonii notas dedit suasque iis adspersit, Amst. 1679, 8, III Vol. Cantabrig. 1679, 8, II Vol.; Basil. 1740, 8, III Vol.

Recensionem Gronovianam adoptarunt et Freinshemii Supplementa receperunt *Io. Douiatius*, regiorum Professorum Primicerius, Paris. 1679, 4, VI Vol. in usum Delphini; *Thomas Hearne* Oxon. 1708, 8, VI Vol.; *Io. Clericus* Amst. 1710, 8, X Vol. (quae editio Lipsiae 1735, 8 cum praefatione Io. Matth. Gesneri de cursoria auctorum Lat. in scholis lectione, et forte Lond. 1722, 8, VI Vol. repetita est) et *I. B. L. Crevier* Prof. Rhet. Paris. 1735-1740, 4, VI Vol. cuius editionis textum subiectis notulis in usum tironum denuo typis exscribendum ipse curavit Paris. 1746, 12, VI Vol., et M. *Giovenazzi* Venet. 1791, 8, VI Vol. Douiatius perperam plerumque et Livium interpretatus est, et lacunas posteriorum librorum explevit: quare inscitiam eius asperioribus subinde facetiis perstrinxit Drakenb. Hearne lectiones MSS. Oxoniensium diligenter excerpsit, et perpaucas addidit notas. Clericus Livium aliquot notulis, tabulis

geographicis et Indice rerum copioso instruxit. Crevierius multa Livii loca tum ex ingenio, tum e MSS. et edd. vett. feliciter correxit, et adnotationibus partim brevibus nec adeo multis, sed plerumque egregiis, partim longioribus doctioribusque, ad editionis calcem reiectis, illustravit. Explevit etiam probabili iudicio lacunas, et supplementa Freinshemii emendavit.

Praestantissimam editionem recensionemque textus Liviani debemus *Arn. Drakenborch* Prof. Traiectino, Lugd. Bat. et Amst. 1735-1746, 4, VII Vol., e quibus sex priora continent libros Livii superstites et Freinshemii supplementa cum notis integris Vallae, Sabellici, Rhenani, Gelenii, Glareani, Sigonii, Vrsini, Franc. Sanctii, I. Fr. Gronovii, Tan. Fabri, Henr. Valesii, Iac. Perizonii, (in Animadvers. hist.) Iac. Gronovii, excerptis Petr. Nannii, Iusti Lipsii, Modii, Gruteri, Crevierii, nec non ineditis Iani Gebhardi, Car. And. Dukeri, Rob. Titii, Matth. Klockii, Perizoniorum, Nannii et aliorum, quibus suas adiecit editor; septimum, praeter alia minoris momenti, praefationem egregiam de huius reliquarumque editionum interpretumque Livii indole, vitam Livii, a Vossio, Bonifacio et Tomasino scriptam, Morhofii, Buherii et Facciolati libellos de Patavin. Liv., Sigonii chronol. et defensiones, Iac. Gronovii epistolas super locis geograph. Livii, Matth. Aegyptii explicat. SCti de Bacchanalibus, dedicationes et praefat. XXXIII

editionum Livii antiquiorum, Elogia ac iudicia auctorum vett. de Livio, syllabum MSS. et editt., Fragmenta Liviana et tres Indices. Quod ad notas attinet, praeter Gronovianas et Crevierianas, de quibus iam supra diximus, ceteris longe excellunt Dukerianae et Drakenborchianae. Illae ad loca difficiliora et antiquitatem, ius publicum ritusque Romanorum pertinent, et, quicumque eas legit, dubius fere fuit, utrum magis rariorem eruditionem, an subtile iudicium auctoris admiraretur. Hae potissimum ad Livium ex MSS. et editt. antt., diligenter collatis, emendandum spectant, et plurimum valent ad accuratam rerum Romanarum, universae rationis criticae et exquisitioris latinitatis cognitionem consequendam. Ad Drakenborchum plane transferri potest iudicium, quod Heyne in ed. Tibulli de Broukhusio tulit: *Hic elegantis ingenii vir et multarum literarum haud dubie is est, cui Livius plurimum debet; si non interpretatione, tamen subsidiorum criticorum apparatu* et usu. *Nam quae boni interpretis munus postularet, parum exploratum habuisse videtur. Pro more enim sui seculi nihil videt, quod illustrandum sit, nisi ubi in exquisitiorem loquendi formam inciderit aut varietatem lectionis offenderit: tum vero exemplorum nube involvit et lectorem et Livium; luce interdum, quam exspectabat, subducta magis quam illata.*

Ex recensione Drakenb. Livium edidit *Aug. Guil.*

Ernesti cum varietate lect. Gron. et Crev., syllabo Drak. editionum praecipuarum, Indice rerum et Glossario Liviano, Lips. 1769, 8, III Vol.; 1785, 8, IV Vol.; 1801-1804, 8, V Vol., in qua postrema edit. *Gottofr. Henr. Schaefer* Glossarium ex schedis Ernestii emendavit plurimisque accessionibus locupletavit. Qua viri doctissimi opera castigatum illud quidem plurimum valet ad multorum verborum formarumque loquendi sensum recte capiendum, at neutiquam ad Livium plane intelligendum et plurimos difficillimósque nodos solvendos sufficit.

Denique *Fr. Andr. Stroth.* eoque mortuo *F. W. Doëring* et recensuerunt Livium et egregiis animadversionibus illustrarunt: multas tamen difficultates vel silentio praetermisere, vel non satis feliciter expediisse videntur. Pentades I, II et III, utriusque notis instructae sunt Gothae 1784-1801, 8, Pentas IV (libri Liv. XXVI-XXX.) solis Doëringianis Gothae 1806, 8.

Solum fere Livii textum ex alia aut eadem recensione Drak. exhibent multae editiones, v. c. Patavii 1694, 8; 1707, 12; 1727, 8; Francofurti 1696, 8; Londini 1703, 8; 1722, 12; Edinburgi 1752, 8; Manhemii 1780 sqq., 8, et impensis societatis Bipontinae cum supplem. Freinshemii, vita Livii a Tomasino conscripta, notitia literaria et indice rerum 1784 sqq., 8, XII Vol. Excerpta vero Liviana dedere Io. Iensius Dordraci 1711. M. F.

Soergel Lemgov. 1771. Ch. W. Snell Giess. 1795, et *Car. Lud. Bauer* cum notis praeclaris et Indice vocabulorum, formularum, rerum et locorum, quae explicantur, Lips. 1800, ed. II.

§. VII.

De huius editionis indole et consilio.

De eo non est quod subtiliter disseram et copiose: nam nova haec Livii editio plane accommodata est ad consilium, iam aliquoties a me, quum Silium Iuvenalem et Vol. I classicorum Scriptorum Rom. ederem, multis expositum commendatumque in Prooemiis, quae nunc repetere nihil attinet. A Drakenborchiana textus recensione passim discessi, nec tamen temere unquam aut prava libidine multa mutandi novandique lacessitus, sed ubi criticae rationes suadebant, ut vel antiquas lectiones a Drakenborcho repudiatas revocarem, vel novis probabiliores, et coniecturis virorum doctorum, ab eo in contextum receptis, alias aliorum, interdum et meas, substituerem. Plerumque tamen dubia et vel manifesto corrupta in commentario notasse et corrigendi periculum fecisse satis habui, eaque servare malui, quam, quae meliora vel aliis vel mihi viderentur, scriptori lectoribusque obtrudere, quum incerta esset emendatio. Nova, codicum praecipue MSS. subsidia, ex longinquo petenda et difficulter, his potissimum temporibus turbulentis, comparanda, frustra circum-

spexi. Omnes tamen copias, aliorum opera paratas, diligenter in rem meam converti.

Vt rerum narratarum summa et gestarum tempus sine mora coguoscerentur; breviaria concinnavi librorum capitumque, et in paginarum inscriptionibus annorum notas apposui. Fragmenta Livii auctiora adieci, iisque omnes librorum eius Epitomas, ob causas supra memoratas, his vero Indicem rerum memorabilium, in Livio et Epitomis obviarum, copiosiorem iis, quos alii confecere, et geographica paucis illustrantem, subiunxi. Ad calcem editionis reieci insignia quaedam antiquitatis monimenta et tabulas chronologicas historicasque, aptatas Livio, qui in annis ab Vrbe condita numerandis non Varronianos, sed Catonianos calculos sequutus est; quod patet ex frequenti designatione annorum III, 33; IV, 7; V, 54; VII, 18; XXXI, 1, 5; XXXIV, 54. In utraque aera multi adhuc nodi reperiuntur, quos Glareanus, Sigonius, Pighius, Dodwell aliique frustra expedire conati sunt. Qui vero Varronianam praeferunt Catonianae, hanc facile ad illa, duobus scil. annis semper adiectis, redigere poterunt.

Supplementa quoque Freinshemiana aliorum exemplo inserendi aliquoties inieram consilium; quod tamen diligentius perpensum abieci. Hanc enim Livii editionem studiosae potissimum iuventuti eiusque magistris, quorum et nummaria et libraria supellex curta esse solet, usui esse cupio. Ii vero solum Livium, et multi ne eum quidem totum, sed excer-

ptum, perlegere satis fere habent. Eos igitur aliosque ab emendo et librarium ab redimendo hoc libro absterruissem mole et pretio eius nimis aucto.

In commentario perpetuo, seorsum edito, ut et solus emi posset, non modo idoneas mutatae lectionis causas attuli, sed et, quidquid boni ad textum Livii Epitomarum vel emendandum vel interpretandum contulere docti homines supra laudati, curiose congessi, ut, qui hac editione uteretur, facile carere posset quacumque alia, etiam Drakenborchiana illa rarissima, carissimaque, cuius usum acceptum refero humanitati Heynii, fautoris generosissimi, cui quantum debeam, gratissimae semper memoriae infixum manebit. Prolixas aliorum animadversiones contraxi, iisque adspersi meas, et quidem haud paucas: quippe videbam, permulta adhuc aut vitiosa esse, atque a viris doctis nondum bene emendata, nonnunquam et ne animadversa quidem, (quis enim est, qui omni temporis momento et in tantae molis opere ubivis satis acute videat?) aut non satis perspicua iis lectoribus videri, quibus gratificari et prodesse volebam. Scrib. Stadae Cal. Mart. a MDCCCVII.

Ge. Alex. Ruperti,
Gymn. Stad. Rector.

DE T. LIVIO

ELOGIA AVCTORVM AC IVDICIA.

VELLEIVS PATERCVLVS, LIB. I, CAP. 17.

Historicos (ut et Livium quoque priorum aetati adstruas), praeter Catonem, et quosdam veteres et obscuros, minus octoginta annis circumdatum aevum tulit etc.

IDEM, LIB. II, CAP. 36.

Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio; inter quae maxime nostri aevi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, et consequutus Sallustium Livius, Tibullusque, et Naso etc.

VALERIVS MAXIMVS, LIB. I, CAP. VLT.

Quia supra usitatam rationem excedentia attigimus, serpentis quoque a T. Livio curiose pariter ac facunde relatae fiat mentio. Is enim ait, in Africa apud Bagradam flumen, tantae magnitudinis anguem fuisse, ut Atilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet: multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudae voluminibus elisis, quum telorum iactu perforari nequiret, ad ultimum ballistarum tormentis undique petitum, silicum crebris et ponderosis verberibus procubuisse: omnibusque et cohortibus et legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem;

atque etiam cruore suo, gurgitibus imbutis, corporisque iacentis pestifero afflatu vicina regione polluta, romana inde submovisse castra. Dicit belluae etiam corium centum viginti pedes longum, in Vrbem missum.

SENECA PATER, SVASORIA VI.

Quoties magni alicuius viri mors ab Historicis narrata est, toties fere totius consummatio vitae, et quasi funebris laudatio redditur. Hoc semel atque iterum a Thucydide factum; idem in paucissimis personis usurpatum a Sallustio. Livius benignius, omnibus magnis viris praestitit. Sequentes Historici multo id effusius fecerunt.

MOX EADEM.

Vt est natura candidissimus omnium magnorum ingeniorum aestimator T. Livius, plenissimum testimonium Ciceroni reddidit.

PROOEMIO LIB. V CONTROVERS.

Pertinere ad rem non puto, quomodo Lucius Magius gener Titi Livii declamaverit, quamvis aliquo tempore suum populum habuit, quum illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent.

CONTROVERS. 24.

Titus Livius tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc ipsam sententiam (*Res secundae mire sunt vitiis obtentui*) et tanquam translatam, et tanquam corruptam, dum transfertur, obiiceret Sallustio: nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum praeferat. Laudat quem non timet, et facilius putat posse a se Sallustium vinci, si ante a Thucydide vincatur.

CONTROVERS. 25.

Titus Livius, de Oratoribus, qui verba antiqua et sordida consectantur, et orationis obscuritatem, severitatem putant, aiebat, Miltiadem rhetorem eleganter dixisse, ἐπὶ τῷ πλησίον μαίνονται.

SENECA FILIVS, LIB. I, CAP. 16, DE IRA,

Non est quod existimes verum esse, quod apud disertissimum virum Livium dicitur, *Vir ingenii magni magis quam boni.* Non potest illud separari: aut et bonum erit, aut nec magnum etc.

IDEM, LIB. DE TRANQVILLITATE, CAP. 9.

Quadringenta millia librorum Alexandriae arserunt, pulcherrimum regiae opulentiae monumentum. Alius laudaverit, sicut Livius, qui elegantiae regum curaeque egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria.

IDEM, LIB. V NATVR. QVAEST. CAP. 18.

Nunc quod de Caesare olim maiore vulgo dictitatum est, et a Tito Livio positum, *In incerto esse, utrum illum magis nasci reipublicae profuerit, an non nasci*, dici etiam de ventis potest.

IDEM, EPISTOLA 46.

Librum tuum, quem mihi promiseras, accepi, et, tanquam lecturus ex commodo, adaperui, ac tantum degustare volui; deinde blanditus est ipse, ut proce-

derem longius. Qui quam disertus fuerit, ex hoc intelligas licet: brevis mihi visus est, quum esset nec mei, nec tui corporis, sed qui primo aspectu aut T. Livii, aut Epicuri posset videri. Tanta autem dulcedine me tenuit et traxit, ut illum sine ulla dilatione perlegerem.

IDEM, EPISTOLA 100.

Adfer quem Fabiano possis praeponere. Dic Ciceronem, cuius libri ad Philosophiam pertinentes, paene totidem sunt quot Fabiani: cedam, sed non statim pusillum est, si quid maximo minus est. Dic Asinium Pollionem: cedam, sed ut respondeam, in re tanta eminere est, et post duos esse. Nomina adhuc Livium; scripsit enim et Dialogos, quos non magis Philosophiae annumerare possis, quam Historiae; et ex professo Philosophiam continentes libros; huic quoque dabo locum. Vide tamen quam multos antecedat, qui a tribus vincitur, et tribus eloquentissimis.

FABIVS QVINTIL. LIB. I, INSTIT. ORAT. C. 5.

Peregrina porro ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa, venerunt. Taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque; nam ut eorum sermone utentem Vectium Lucilius insectatur, quemadmodum Pollio deprehendit in Livio Patavinitatem, licet omnia Italica pro Latinis habeam.

LIB. II, INSTIT. CAP. 4.

Saepe etiam quaeri solet, de tempore, de loco, quo gesta res dicitur; nonnunquam de persona quo-

que: sicut Livius frequentissime dubitat, et alii ab aliis Historici dissentiunt.

Lib. eodem, cap. 6.

Ego optimos quidem, et statim et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque, et maxime expositum, velim: ut Livium a pueris magis quam Sallustium; et hic historiae maioris est auctor: ad quem tamen intelligendum iam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem videtur, et iucundus incipientibus quoque, et apertus est satis: nec prodesse tantum, sed etiam amari potest; tum, quemadmodum Livius praecipit, *ut quisque erit Ciceroni simillimus.*

Idem, lib. viii, cap. i.

Attica anus Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, adnotata unius affectatione verbi, hospitem dixit: nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quam quod nimium Attice loqueretur. Et in T. Livio, mirae facundiae viro, putat inesse Pollio Asinius quamdam Patavinitatem etc.

Lib. ix, cap. 2.

Apud Historicos reperiuntur obliquae allocutiones; ut in T. Livii primo statim libro, *Vrbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci.*

Lib. ix, cap. 4.

T. Livius hexametri exordio coepit: *Facturusne operae pretium sim*: nam ita edidit; estque melius, quam quomodo emendatur.

LIB. X, CAP. I.

Fuerit igitur brevitas illa tutissima, quae est apud Livium, in epistola ad Filium scripta; *Legendos Demosthenem atque Ciceronem; tum ita ut quisque esset Demostheni et Ciceroni simillimus.*

EODEM CAPITE.

Neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus iudicem, et saepius ineruditum, captanda nobis est; neque illa Livii lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quaerit.

POST MVLTA IBIDEM.

At non historia cesserit Graecis; nec opponere Thucydidi Sallustium verear; nec indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium; quum in narrando mirae iucunditatis, clarissimique candoris; tum in concionibus supra quam enarrari potest, eloquentem; ita dicuntur omnia cum rebus, tum personis accommodata. Sed affectus quidem, praecipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo Historicorum commendavit magis; ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consequutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quam similes.

PLINIVS AVVNCVLVS, PRAEFAT. NATVR. HIST. AD VESPAS. IMP.

Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse, qui difficultatibus victis, utilitatem iu-

vandi praetulerunt gratiae placendi; idque iam et in aliis operibus ipse feci; et profiteor mirari me T. Livium, auctorem celeberrimum, in Historiarum suarum, quas repetit ab origine Vrbis, quodam volumine sic orsum: Satis iam sibi gloriae quaesitum, et potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere. Profecto enim populi gentium victoris, et romani nominis gloriae, non suae, composuisse illa decuit. Maius meritum esset, operis amore, non animi causa perseverasse; et hoc populo romano praestitisse, non sibi.

CORNELIVS TACITVS, ORATIONE CREMVTII CORDI, LIB. IV ANNAL. CAP. 34.

Brutum et Cassium laudavisse dicor; quorum res gestas quum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret; neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum, nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignes viros nominat.

SVETONIVS TRANQVILLVS, IN CALIGVLA, CAP. 34.

Sed et Virgilii et T. Livii scripta et imagines, paulum abfuit, quin Caligula ex omnibus bibliothecis amoverit; quorum alterum, ut nullius ingenii minimaeque doctrinae; alterum ut verbosum in historia negligentemque, carpebat.

IDEM IN CLAVDIO, CAP. 41.

Historiam in adolescentia, hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavio etiam adiuvante, scribere aggressus est.

IDEM IN DOMITIANO, CAP. 10.

Metium Pomposianum, quod habere imperatoriam genesin vulgo ferebatur, et quod depictum orbem terrae in membranis, concionesque regum ac ducum ex T. Livio circumferret, interemit.

PLVTARCHVS.

Auctoritatem Livii adducit in vitis Camilli, Marcelli, Catonis maioris, Flaminii, Sullae, Luculli, Caesaris, item in quaestione Romana 25, sed sine elogio.

MARTIALIS LIB. XIV, EPIG. 190, DE LIVIO IN MEMBRANIS.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

PLINIVS IVNIOR, LIB. II, EPIST. 3.

Nunquamne legisti, Gaditanum quemdam, T. Livii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque, ut viderat, abiisse?

STATIVS PAPINIVS, LIB. IV, SYLVA 7, AD MAXIMVM IVNIVM.

Sed tuas artes puer ante discat,
Omne quis mundi senium remensus,
Orsa Sallusti brevis, et Timavi
Reddis alumnum.

IVSTINVS, QVI TROGVM CONTRAXIT, LIB. XXXVIII, HISTOR. CAP. 3.

Pompeius Trogus in Livio et in Sallustio reprehendit, quod conciones directas pro sua oratione operi suo inserendo, Historiae modum excesserint.

AVSONIVS DE STAPHYLIO RHETORE: PROFESSORES, XX.

Grammatice ad Scaurum, atque Probum, promptissime rhetor, Historiam callens Livii et Herodoti.

FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

Asserente Tiberiano, quod Pollio multa incuriose, multa breviter prodidisset; me contra dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum; prodente quin etiam, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifestis testibus convincerentur, pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens (Salmasius legit *iocando*) iucundam praeterea, *Scribe*, inquit, *ut libet: securus quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites, quos historicae eloquentiae miramur auctores.*

IDEM IN PROBO.

Cn. Pompeium tribus fulgentem triumphis, belli Piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarumque rerum gestarum maiestate sublimem, quis tandem nosset, nisi eum M. Tullius et T. Livius in literas retulissent?

IDEM, IBIDEM.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros, in vita principum et temporibus dirigendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem, Iulium Capitolinum, Aelium Lampridium, ceterosque, qui haec et talia alia, non tam diserte quam vere, memoriae prodiderunt.

CENSORINVS, LIB. DE DIE NATALI, CAP. 17.

Titus Livius libro CXXXVI, *eodem anno ludos saeculares Caesar ingenti apparatu fecit, quos centesimo quoque anno (is enim terminus saeculi) fieri mos.*

EVSEBIVS IN CHRONICO.

Ea quae de Catilina, Cethego, Lentulo, et consule Cicerone, Sallustius scribit et Livius, hoc gesta sunt tempore.

IDEM.

Messala Corvinus orator nascitur, et T. Livius, Patavinus scriptor historicus.

IDEM.

Livius historicus Patavii moritur.

D. HIERONYMVS IN PROOEMIO IN DANIELEM.

Ad intelligendas extremas partes Danielis, multi-

plex historia Graecorum necessaria est . . . . praecipueque nostri Livii, et Pompeii Trogi, atque Iustini; qui omnem extremae visionis narrant historiam, et post Alexandrum usque ad Caesarem Augustum, Syriae et Aegypti, id est, Seleuci, et Antiochi, et Ptolemaeorum, bella describunt.

IDEM, EPISTOLA AD PAVLLINVM, TOMO III.

Ad T. Livium, lacteo eloquentiae fonte manantem, de ultimis Hispaniae Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus: et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa aetas inauditum omnibus saeculis celebrandumque miraculum, ut tantam urbem ingressi, aliud extra urbem quaererent.

SIDONIVS APOLLINARIS, PANEG. ANTHEMII.

Vel quidquid in aevum
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis.

CASSIODORVS.

(C. Caesar VI, et M. Agrippa III.) His consulibus Caesar leges protulit, iudices ordinavit, provincias disposuit, et ideo Augustus cognominatus est: cuius temporibus floruerunt Virgilius, Horatius, et Livius.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARVM

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARVM

AB VRBE CONDITA

PRAEFATIO

Facturusne [2] operae pretium sim, si a primordio Vrbis res populi romani perscripserim, nec satis scio, nec, si sciam, dicere ausim; quippe qui, cum veterem, tum vulgatam esse rem, videam, dum novi

PRAEFATIO. 1. Praeclare et cum summa urbanitate ac modestia consilium suum exponit Livius.

2. *Facturusne operae pretium sim*, rem et opus utile (ut XXV, 19, 30), *si a primordio Vrbis populi romani res* gestas *perscripserim*, descripserim, vel potius perpetuam, continuam earum historiam scripserim (vid. ad XXXII, 23, n. 1): *nec satis scio, nec, si sciam, dicere ausim; quippe qui videam, cum veterem, tum vulgatam esse rem* hanc, scil. hoc dicere, quum videam, multos historicos et olim et nunc dixisse atque putasse, se operae pretium facturos esse, *dum novi semper scriptores... credunt.* Id Livius dicere non audet, ne vel superiores scriptores in contemptum adduxisse, vel inutilem ipse laborem suscepisse videri possit: nam si dixisset, se facturum operae pretium, in suspicionem venisset arrogantiae; si contrarium, ab eo quaeri potuisset, cur itaque scribendi cepisset consilium. Itaque iudicium de utilitate laboris suscepit, et de ratione, qua eum perfecerit, permittit lectoribus, nec ipse id facit, ut *novi scriptores* solent. *Rem veterem et vulgatam* quidam referunt ad *res populi romani*, et Stroth. ad τὸ *perscribere res populi romani.* Neutra ratio verbis seqq. convenit. Ceterum ab integro fere hexametro initium factum, sed casu potius quam studio, ut in Tac. Ann. et Sallust. 6 Iug. Multa hexametri exempla ex Livio, Tacito et aliis collegit Fabr. Bibl. lat. II, 21. Cf. ad Tac. Annal. I, 1; Drak. ad h. l.; Cic. Or. 56; Quintil. Inst. Or. IX, 4.

semper scriptores, aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos, credunt. Vtcumque erit, iuvabit tamen rerum [3] gestarum memoriae principis terrarum populi pro virili parte et me ipsum consuluisse; et, si in tanta scriptorum turba [4] mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, meo qui [5] nomini officient, me consoler. Res [6] est praeterea et immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum re-

3. *Rerum gestarum principis terrarum populi*, ingratus genitivorum concursus, ut XXXI, 12, n. 4 et al. Vid. Drak. ad XXV, 15.— *Pro virili parte*, non pro viribus, sed pro mea parte, quantum ad me pertinet. Nam *virilis pars*, s. *portio* est haereditatis et deinde cuiuscumque rei vel officii pluribus communis, sive boni ac laeti, sive mali, molesti et tristis, pars ea, quae aequaliter cuivis ex illis debetur aut convenit. Cf. VI, 11, n. 3; X, 8, n. 3. Baueri nota est: Vix est, quin h. l. parum latine, contra usum certe optimorum scriptorum, hanc loquendi formam usurpatam concedas: nam quum alias significet *quantum ego facere debeo*, *quantum mihi commissum est*, h. l. non potest non significare *quantum facere potuero*. At in Indice haec dicit: «*Pro virili parte* videatur esse, ex vulgari abusu, *pro viribus;* sed non est: opponitur scriptoribus *aliis*, semper *notis*, quorum unusquisque pro se, quasi in collectam, conferat, non quod *possit* utique, sed quod *destinaverit*. Nil ergo aliud est, nisi, et ego, ut *unus* nimirum et ipse illius numeri, aliquid contulero.» Cf. eius not. ad Sanct. Min. t. II, pag. 157. Idem monet, pron. *me* ante seq. *ipsum* (quod delevit Stroth. quia in optimis MSS. non legitur et facile suppleri potest) eleganter quidem abesse, sed, quum reliquis scriptoribus opponatur, vix abesse posse.

4. *In tanta scriptorum turba*, de qua vid. Fabricii Bibl. lat. IV, 2, et comment. mea de Silio, p. 31 sq. Laudantur ab ipso Livio passim Q. Fabius Pictor, Valerius Antias, L. Piso, Q. Aelius Tubero, C. Licinius Macer, Coelius, Polybius et alii; v. Ind.

5. *Meo qui nomini officient*, meam famam obscurabunt. Cf. Ad. IV, 31, n. 5. Quidam malunt *lumini*, quia putant, non probant, proprie dici *luminibus officere*, pro aedificando prospectum lucemque adimere. «Neque *lumini officere* dicunt iurisconsulti, sed *luminibus;* neque ista loquendi forma apud ullum scriptorem metaphorice, quod sciam, occurrit. Tenuior quoque ac demissior, quam pro Livii oratione, videtur. Neque opus, a *luminibus* verbum *officiendi* explicare: a segete commodius h. l. ducator.» Bauer. Coll. Virg. Georg. I, 69.

6. *Res est praeterea.... repetatur:* in his verbis *res* est historia reipublicae romanae; sed ad alterum *quae* relata vox rempublicam romanam si-

petatur; et quae, ab exiguis profecta initiis, eo creverit, ut iam magnitudine [7] laboret sua: et legentium plerisque, haud dubito, quin primae origines proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint, festinantibus ad haec nova, quibus iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt [8]. Ego contra hoc quoque laboris praemium petam, ut me a conspectu malorum, quae nostra tot per annos vidit aetas, tantisper, certe dum prisca illa tota mente repeto, avertam, omnis [9] expers curae, quae scribentis animum, etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit. Quae ante conditam [10] condendamve

gnificat. Conf. ad III, 40, n. 1. — *Supra DCC annum*: nam Livius obiit anno V. 770 in patria sua; magnam aetatis partem Romae egerat.

7. *Res... iam magnitudine laboret sua*, ut *magnitudo quae vix sustinetur* VII, 29, n. 2. *Laborare* dicuntur res, quae inclinantur pondere, et oneri aegre obnituntur vel succumbunt, illud vix ferre possunt. Cf. ad III, 31, n. 1, et intpp. Horat. Od. I, 9, 3, et Ovid. Met. II, 296.

8. *Ad haec nova* tempora, *quibus iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt*, tum luxu, ut *Frangitur ipsa suis Roma superba bonis* ap. Propert. III, 11, 60, tum bellis civilibus, quibus *In sua victricem convertit viscera dextram*, Lucan. I, 3. Conf. in pr. inf. XXX, 44 med., et Horat. Ep. 16, 1 sq.

9. *Omnis expers curae*, tam metus, ne quisquam offendatur, quam curae et sollicitudinis, qua scriptorem civemque patriae amantem angit eiusque animum conturbat *conspectus malorum, quae ipsius tot per annos vidit aetas*, in pr. bellorum civilium et vitiorum, in illis vigentium. — *Flectere a vero*, ut vere gesta paulum immutet, leniat, quaedam consilia reticeat aut excuset, causas intimas dissimulet, aut alias subiiciat: qualia in Augusti factis plurima Livium manebant et circumstabant; Bauer. Cf. ad Tac. Ann. I, 1, 9 et 10.

10. *Ante conditam condendamve Vrbem*, antequam Vrbs condi coepta, eiusve condendae consilium a Romulo captum esset. *Condenda Vrbs* intell. de tempore ante originem Vrbis, ut *principia condendi huius operis*, I, 55, n. 10, de iis, quae antecedunt aedificationem; Ern. Nota Baueri est: «Prius de tempore ante originem Vrbis, alterum de tempore, dum conderetur, priusquam conficeret, explicat P. Nannius Misc. V, 2. Contra mihi videtur: nam certe, si, quod *condendum* est, prius est eo, quod *conditum* sit, necessario tempora *ante condendam Vrbem* debent esse illa, quae fuerint prius, quam *de condenda Vrbe* quisquam cogitaret, i. e. tempora, quae Troiam captam et Lavinium conditum sequuta sint; *ante conditam* autem, quum

Vrbem, poëticis magis decora fabulis [11], quam incorruptis rerum gestarum monimentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere, in animo est. Datur haec venia antiquitati, ut, miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Et, si cui populo licere oportet consecrare origines suas, et ad deos referre auctores, ea belli gloria est populo romano, ut, quum suum conditorisque sui parentem Martem

am esset condenda, quum iam aedificandae eius consilium Romulus et Remus cepissent, sed eam nondum exstruxissent. Nam quod provocat ad verba Virg. *volvenda dies*, i. e. quae volvitur, et Cic. Off. I, 8, *de inferenda iniuria*, i. e. quomodo inferatur; id ab h. l. alienum est, quum *condita Vrbs* a *condenda* distinguatur, et aliquid certe maturius ac perfectius, quam *condenda*, significet ».

11. *Poëticis fabulis* etc., quas tamen *fabulas* (μύθους, narrationes a maioribus acceptas) Livios minus subtili iudicio ad veritatem exegit, quam Dionys. Hal., acutus pragmaticusque scriptor, in pr. vero Heyn. (in Disqu. II Virg. Aeneidi praefixa et in Excurs. ad Aen. VII) et Beck. in d. *Abhandl. über die Quellen der ältesten Röm. Gesch. in Ferguson's Gesch. d. Röm. Republik*, *Th.* 1. (*Traité sur les sources de l' histoire des premiers temps de Rome*, *dans l'hist. de la Rép. rom., par Ferguson*, 1re *part.*) — « Vocabulo *decora* non est, quod in altero, *incorruptis monimentis*, respondeat, nec bis intelligi potest; alteri non conveniret: itaque pro adv. *decore* (sc. traduntur) positum videtur; et *monimentis* accipere placeat tertio casu, ut *decora* sint apta, convenientia ». Bauer. Ita vox *decora* convenit etiam *fabulis*. Malim tamen *decora* exponere decorata, ornata, et ad solas referre *fabulas*. Tum *monimentis* dictum est casu sexto. — *Ea nec affirmare* pro certo (ut I, 3 pr.), probare, defendere, *nec refellere* etc. Cf. ad V, 21, n. 8. — *Miscendo humana divinis*, propria *humanis divina*, i. e. inter narrationes eorum, quae homines gesserint, miscere et inserere miracula ope deorum patrata. *Et*, *si cui populo licere oportet consecrare origines suas*, *ea belli gloria est populo romano*, hoc est, certe populo romano licere oportet, cui, vel nam illi ea belli gloria est, ut Martem sui auctoris patrem ferre possit: quod recte ab iis et merito fieri, omnes gentes confitentur eo, quod imperium populi romani patiuntur, fortesque adeo Romanos ac Martis filios esse non concedunt tantum, sed et sentiunt; Bauer. Idem monet, multiplicem in h. l. et argutam brevitatem esse, similem Cicer. pro Mur. c. 7, *sin autem sunt amplae et honestae familiae plebeiae*; *et pater huius et avus praetores fuerunt*, i. e. si tales omnino sunt, etiam Murenae familia, ut ut plebeia, est ampla et honesta; quippe *et pater eius* etc. — *Consecrare origines* et, hoc est, *ad deos referre auctores*; v. ad II, 42, n. 7.

potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo, quam imperium patiantur. Sed haec et his similia, utcumque animadversa [12] aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine. Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint; per quos viros, quibusque artibus, domi militiaeque, et partum et auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes [13] primo mores sequatur animo;

12. *Vtcumque animadversa aut existimata erunt*, v. ad IV, 15, n. 1. *Animadvertere* est observare, attendere, ratione et contemplatione dignari; *existimare* vero, credere vel non credere, iudicare, statuere, vera falsane sint; et *haud in magno equidem ponam discrimine* dictum, pro nil curabo, perinde habebo, mea nihil (non multum) interfuerit, mihi perinde fuerit, quid de iis censuerint lectores; Bauer. — *Ad illa* vero, potius *pro se quisque acriter mihi intendat animum*, sed haec multo mihi graviora videntur, *quae vita* etc. Sic *mihi*, *tibi*, *nobis*, *vobis* in omnibus fere linguis abundant, et oratione inseruntur, ut plus ei vitae vigorisque concilient. Cf. ad II, 29, n. 8; XXIV, 38, n. 3; XL, 8, n. 1, et ad Sil. I, 46.

13. *Desidere ... magis magisque labi* et *ire praeceps*, dictiones gradibus differentes et propriae de labe terrae, vel aedibus collabentibus, quae primum *desidunt* seu *subsidunt*, labant, tum *magis magisque labuntur*, iam ruinam minantur, et tandem *praecipites eunt*, sc. dantur ad terram, prolabuntur, corruunt. Hinc et XXIV, 7 pr., *omnia praecipitia ad exitium*; I, 40, *regnum praeceps ad servitia*, servos, *cadere*, XXVII, 27, *in praeceps dare rempublicam*, h. e. in imminens periculum, ut XXII, 12, n. 11, *praecipitare rempublicam*; XXVI, 2, n. 7, *in locum praecipitem perducere exercitum*; XXVII, 40, n. 2, *praecipitasset se*, praecipitata esset *romana res* publica; XXXIV, 49, *libertas praeceps*, periculosa, perniciem accelerans; IV, 11 pr., *in re praecipiti*, quae interitum paene attulisset; et VI, 7 pr., *in praecipitem locum tollere*, in summum fastigium, a quo graviore lapsu decidimus, s. ruimus. Cf. ad I, 32, n. 13; IV, 33, n. 5; ad Iuvenal. I, 149; X, 107, et ad Tac. Annal. II, 26, 2. Bauerus haec adnotavit: « *Labante disciplina* praeplacet Gronovio (et Drak.), non mihi, qui melius τὸ *labente* (i. e. sensim imminuta, laxata, infirmata) convenire arbitror sequenti *desidentes*. Domus enim, quae *desidere*, sive, ut Virg. dicit, *considere* dicatur, non *labat*, sed *labitur*. *Labi* et *desidere* synonyma sunt, quum praesertim mox dicat *ut magis magisque lapsi sint*. Quamquam ex hoc ipso firmari possit *labante*, ne tautologiam habeamus in *labente*; quae tamen nulla esse videtur, quum antea dixerit *paulatim* labente, iam pergat *ut magis magisque lapsi sint*. Ceterum *labi* eleganter dicuntur, quae

deinde ut magis magisque lapsi sint; tum ire coeperint praecipites; donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud [14] est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monimento intueri. Inde tibi tuaeque rei publicae, quod imitere, capias: inde, foedum inceptu, foedum exitu, quod vites. Ceterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam respublica nec maior, nec sanctior [15], nec bonis exemplis ditior fuit; nec in quam tam serae avaritia luxuriaque immigraverint; nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac

sensim in peius ac deterius abeunt; quo magis voc. *paulatim* conveuit *labendi* verbo. Sed tamen et Tacit. Ann. II, 33, *Si quid in moribus labaret.* Mox Livius pergeret, ut coeperat, *perventum sit*, certe *fuerit*, pro *p. est.* Sed quia de suis temporibus loquitur, utque praesentia ante oculos habet, eo indicativum direxit». Cf. ad II, 39, n. 9; VII, 29, n. 3; in pr. XXXVI, 6, n. 2.

14. *Hoc illud* pleonasmus. — *In cognitione rerum* vere gestarum, in historia: — *Omnis te exempli*, et boni et mali, *documenta in illustri posita monimento intueri*, v. ad XXV, 33, n. 5, et XXVI, 5, n. 2. *Documenta* vel specimina (v. c. virtutum imperatoris XXIV, 8, n. 7), vel omnia ea, quae docent alios, quid imitandum vitandumve sit, gallice *avertissement*, ut I, 28, n. 5. *Monimentum* quidquid rei aut hominis alicuius memoriam conservat; h. l. ipsa res, seu historia memorabilis. Mox Livius, iudice Bauero, pro *capias* dedisset *capere*, ut eum superioribus congrueret, ni auribus obsequutus esset praemisissetque *imitere.* Hanc vero κακοφωνίαν facile potuisset vitare, si scripsisset *imiteris*, et si haec eius mens fuisset. Nos maximam post *intueri* posuimus distinctionem; et sic *capias* dictum pro *cape* vel *capias velim*, quod egregie h. l. convenit.

15. *Nulla respublica sanctior*, in qua vel pauciora vitia, vel plures virtutes melioresque mores et disciplina viguerint. Mox quidam MSS. et editio princeps, ut et editiones Crev., Drak. et Stroth. post *nec in quam* inserunt *civitatem*, quod probasse Iacobum Gronovium recte miratur Bauerus, qui haec adnotat: «Loca, quae ut similia affert, parum conveniunt. II, 24, n. 3, *deliberationi de parte civitatis metum pro universa republica intercessisse*; fortassis et hic *republica* insititium est; et tamen alius verborum nexus. IV, 46, *cuius providentiam in re publica experta civitas erat;* alia rursus ratio, et duo diversa». Idem et alii monent, mox *adeo* (ut graece οὕτως) positum esse cum aliqua pro etenim, quippe, nempe, nam, quis, et quidem, ut II, 24, 27, 28, 29, 39, 47; IV, 2; V, 6, 41; VIII, 8, 37; XXI, 11, 20.

parcimoniae honos fuerit: adeo, quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper [16] divitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. Sed querelae, ne tum quidem gratae futurae, quum forsitan et necessariae erunt, ab initio certe tantae ordiendae [17] rei absint. Cum bonis potius ominibus [18] votisque ac precationibus Deorum Dearumque, si, ut poëtis, nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, ut orsis tanti operis successus prosperos darent.

16. *Nuper divitiae avaritiam* etc. Cf. Iuvenal. X, 294, et XII, 138. *Nuper* etiam de tempore satis longo adhibetur, ut *modo* XXII, 14, n. 12; XXX, 30, n. 7, et al. Vid. ad Sil. XV, 90, et ad Iuvenal. II, 73, 160; Gronov. Obss. IV, 18.

17. *Initio ordiendae rei*, pleonasmus Livio familiaris; nec pleonasmi speciei liberaveris *potius*, *libentius*; Bauer.

18. *Cum bonis ... ominibus* etc. Cf. Plin. Pan. pr. — *Nobis*, historicis. — *Vt tanti operis successus prosperos darent* nobis, *orsis* illud opus: sed, quum *orsa* et *exorsa* neutro gen. plur. et passive inveniantur, vel substantive, ut *coepta*, liceat et sic ordinare: *ut darent successus orsis*, coeptis (quae essent), *tanti operis*; Bauer.

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARVM
AB VRBE CONDITA
LIBER PRIMVS

BREVIARIVM.

CAP. I; Antenoris et Aeneae adventus in Italiam. Hic bellum gerit cum Latino, sed mox pacem ac deinde affinitatem iungit, conditque Lavinium, ubi Ascanius brevi nascitur. — II; Aboriginum Troianorumque bella cum Turno et Mezentio. Mors Aeneae. — III; Ascanius, vel, ut alii putant, Iulus, Lavinium matri seu novercae relinquit, et coloniam ipse deducit Albam Longam. Reges Albani. — IV; Romuli Remique ortus, educatio et primum vitae genus. — V; Hi Amulium obtruncant, et Numitorem, fratrem eius avumque suum, restituunt in regnum Albanum. — VI; Vrbis condendae consilium capiunt. — VII; Remus a fratre necatus. Roma conditoris nomine appellata. Palatium primo munitum. Sacra diis aliis Albano, Herculi graeco ritu facta. Adventus Herculis in Latium. Evander Arcas, Carmentae filius. Ara Maxima. Potitii ac Pinarii. — VIII; Romulus ordinat rempublicam. Lictores XII sumit. Vrbem auget latiusque munit. Asylum aperit. Centum creat senatores. — IX; Conubia a finitimis frustra petit. Ludos parat Neptuno equestri. Raptus Sabinarum. — X; Titus Tatius, rex Sabinorum, Caeninenses, Crustumini et Antemnates bellum parant. Caeninenses primi in agrum romanum faciunt impetum. Spolia opima in Capitolium fert Romulus, et templo Iovis Feretrii fines designat. — XI; Antemnates Crustuminique victi, et, precante Hersilia, accepti in civitatem. Coloniae utroque missae. Sabini duce Tito Tatio bellum movent, et arcem romanam occupant proditam a filia Sp. Tarpeii, qui ei praeerat. — XII; Virtus Metti Curtii, Hosti Hostilii ac Romuli. Templum Iovi Statori votum. — XIII;

Irae et acies diremptae a Sabinis mulieribus. Pax et civitas una ex duabus facta. Quirites a Curibus appellati. Lacus Curtius. Populus in curias xxx divisus, iisque imposita Sabinarum nomina. Centuriae tres equitum, Ramnenses, Titienses, Luceres. — XIV; T. Tatii mors. Bellum cum Fidenatibus, — XV; et Veientibus, quibus induciae in c annos dantur. Celeres ccc. — XVI; Romulus sublimis raptus procella creditur, Proculo Iulio affirmante, eius speciem sibi per somnium oblatam. — XVII; Interregnum annuum, x decuriis Patrum factis, et imperio per omnes in orbem eunte. Plebi frementi permittitur creatio regis, ea lege, ut Patres auctores fiant: at illa a senatu decerni vult, qui Romae regnet. — XVIII; Numa Pompilius, Curibus Sabinis habitans, qui falso editur discipulus Pythagorae Samii, rex creatur, et inauguratur. — XIX; Is leges, mores ac sacra instituit: Ianum facit indicem pacis bellique: similat sibi cum dea Egeria congressus nocturnos esse: annum ad cursum lunae in xii menses describit: nefastos dies fastosque facit. — XX; Flamines iii, xii Salios, et Pontificem legit Numam Marcium. Procuratio prodigiorum. Ara Iovis Elicii. — XXI; Populi romani religio et pax continua. Camenarum lucus et concilia cum Egeria. Fidei solemne, et multi Argei scilic. loca sacris faciundis. — XXII; Tullum Hostilium, nepotem Hosti Hostilii, regem populus iubet. Hic ferocior etiam Romulo est, bellumque indicit C. Cluilio, dictatori albano. — XXIII; Bellum albanum. Cluilii fossa et mors. Metti Fuffetii successio in locum eius, et colloquium cum Tullo. — XXIV, XXV; Horatiorum Curiatiorumque trigeminorum pugna. Foederis faciendi ritus. Fetiales et pater patratus. — XXVI; Horatius sororem obtruncat, et a duumviris perduellionis damnatur, sed provocat ad populum, et absolvitur. — XXVII; Bellum cum Fidenatibus et Veientibus. Perfidia Metti, socii Romanor. — XXVIII; Dirum supplicium de eo sumptum. — XXIX; Alba diruta et incolae traducti Romam. — XXX; Coelius mons Urbi additus et sedes regiae. Principes Albanorum in Patres lecti. Curia Hostilia. Bellum cum Sabinis. Feroniae fanum. Pugna ad silvam Malitiosam. — XXXI; In monte Albano lapidibus pluit. Hinc sacrum novemdiale. Pestilentia. Tulli morbus et mors, domo eius fulmine icta. — XXXII; Ancus Marcius, nepos Numae, rex creatur, et sacra ex commentariis avi pontificem in albo promulgare iubet. Ius Fetialium, ab Aequicolis de-

scriptum, quo repetuntur res bellumque indicitur. — XXXIII; Bellum cum Latinis, quorum multa millia, Politorio, Tellenis, Ficana et Medullia captis, Romam traducuntur. Aventinus mons Palatino iunctus et novae multitudini datus, ad Murciae aedem. Ianiculum quoque, ponte sublicio in Tiberi facto, Vrbi coniunctum. Quiritium fossa. Carcer, foro imminens. Silva Maesia Veientibus adempta. Ostia in ore Tiberis condita, et salinae circa factae. — XXXIV; Lucumo, Demarati corinthii filius, qui, Arunte fratre et dein patre mortuis, omnium huius bonorum haeres factus erat, eaque auxerat opibus Tanaquilis uxoris, ab Tarquiniis migrat Romam, ubi L. Tarquinius vocatur et a rege non modo in familiaritatem recipitur, sed tutor etiam liberis instituitur testamento. — XXXV; L. Tarquinius Priscus petit regnum et accipit. Centum in Patres lecti, qui deinde dicti sunt minorum gentium et conscripti. Bellum cum Latinis. Locus Circo maximo designatus. Ludi romani, scilicet magni. Porticus et tabernae. — XXXVI, XXXVII; Bellum cum Sabinis. Attus Navius Augur. — XXXVIII; Adempta Sabinis Collatia, ubi Egerius, Aruntis, fratris regis, filius posthumus, in praesidio relinquitur, Latinis Corniculum, Ficulea, Cameria, Crustumerium, Ameriola, Nomentum, Medullia. Formula deditionis. Vrbs muro cincta ex lapide quadrato. Cloacae. Area templi Iovis in Capitolio. — XXXIX; In regia, in qua natus erat Servius Tullius, cuius pater princeps fuerat Corniculi, puero dormienti caput ardet. Inde liberorum ille luco habetur, eique postea despondetur regis filia. — XL; Hinc Anci duo filii insidias parant regi; quem duo pastores, ab illis corrupti, occidunt. — XLI; Tanaquil celat mortem mariti. Servius Tullius per speciem regiae fungendae vicis suas firmat opes, et primus iniussu populi, voluntate Patrum, regnat. Liberi Anci Suessam Pometiam exsulatum eunt. — XLII; Duae Servii filiae iuvenibus regiis, Lucio et Arunti Tarquiniis, iunguntur. Bellum cum Veientibus aliisque Etruscis. Census. — XLIII; Classes et centuriae civium. Comitia centuriata, et suffragii in iis ferendi ordo ac ratio. Tribus. — XLIV; Lustrum conditum, eoque censa LXXX millia civium. Vrbem amplificat Servius additis collibus Quirinali, Viminali et Esquilino; eamque aggere, fossis ac muro circumdat. Ita profert pomoerium: et in Esquiliis habitat. — XLV; Communia Romanorum Latinorumque sacra, et fanum Dianae Romae exstructum.

Ab eius antistite romano immolatur bos, in Sabinis nata, mirae magnitudinis ac speciei. — XLVI, XLVII; L. Tarquinius et Tullia minor, fratre ac sorore interfectis, iunguntur nuptiis regnumque affectant et invadunt. — XLVIII; Servius occiditur. Impia et inhumana Tulliae facinora. Vicus Cyprius dictus Sceleratus. Laus Servii. — XLIX; L. Tarquinius Superbus neque populi iussu neque auctoribus Patribus regnat. Socerum sepultura prohibet. Armatis corpus circumsepit. Regnum metu tutatur, nec senatum consulit, sed omnia solus domesticisque consiliis agit. Latinos eorumque proceres sibi conciliat, maxime per generum suum Octavium Mamilium Tusculanum. — L; Conventum Latinis indicit ad lucum Ferentinae Turnus Herdonius, in regem absentem morantemque ferociter invehitur, — LI, et ab eo opprimitur insimilatus falsi criminis. — LII; Foedus cum Latinis renovatum. Copiae ab iis missae et mixtae cum Romanis. — LIII; Bellum cum Volscis, e quibus Suessa Pometia vi capitur. Gabii frustra oppugnati; — LIV, sed mox Sexti Tarquinii fraude regi romano sine dimicatione in manum traditi. — LV; Pax cum Aequis facta, foedusque cum Tuscis renovatum. Aedificatur Iovis Capitolini templum, et aperientes fundamenta eius, in quae vix suppeditant Pometinae manubiae, caput humanum integra facie effodiunt. Exaugurantur fana in monte Tarpeio; sed Iuventas Terminusque moveri se non patiuntur. — LVI; Fori in circo. Cloaca maxima. Coloni Signiam Circeiosque deducti. Portenti causa Titus et Aruns Tarquinii cum L. Iunio Bruto, Tarquinia sorore regis nato, Delphos mittuntur, et praeter alia sciscitantur, quis ipsorum Romae regnaturus esset. Pythia respondente, qui primus osculum matri tulisset, Brutus, quasi forte prolapsus, terram osculo contingit. — LVII; Bellum cum Rutulis et obsessio Ardeae. Regiorum iuvenum de uxoribus suis certamen; cuius laus penes Lucretiam est, filiam Sp. Lucretii, praefecti Vrbis, nuptam L. Tarquinio Collatino, Egerii filio. — LVIII; Sext. Tarquinius vim infert Lucretiae, et haec, arcessitis patre ac marito, necem sibi consciscit. — LIX; Brutus, tribunus Celerum, populum in Vrbe et exercitum in castris adversus regem concitat. — LX; Exsilium Tarquiniis indicitur. Duo regis liberi cum patre commigrant Caere, et Sext. Tarquinius Gabios, ubi mox interficitur. Primi consules creantur L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatinus.

Cap. I. Iam primum omnium satis constat, Troia capta, in ceteros saevitum esse Troianos; duobus, Aeneae [1] Antenorique, et vetusti [2] iure hospitii, et quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant, omne ius belli Achivos abstinuisse. Casibus deinde variis Antenorem [3] cum multitudine Henetum, qui, seditione ex Paphlagonia pulsi, et sedes et ducem, rege Pylaemene ad Troiam amisso, quaerebant, venisse in intimum maris Hadriatici sinum: Euganeisque, qui inter mare Alpesque incolebant, pulsis, Henetos Troianosque eas tenuisse terras: et in quem [4] primum egressi sunt locum, Troia vocatur,

Cap. I. 1. *Aeneae Antenorique omne ius belli Achivos abstinuisse*, pro vulg. *Aenea Antenoreque* legitur in omnibus fere MSS. quos sequutus sum exemplo Creverii et Stroth. Est quoque lectio difficilior, et vel ἀνακόλουθον, vel dat. communis, vel potius dictio graeca et poëtica, quae similia verba, v. c. *arcere*, *defendere* et alia, tertio casui iungit pro sexto cum praep. *a*. Cf. ad II, 22, n. 3.

2. *Vetusti iure hospitii* etc. Cf. Hom. Il. III, 205 sq.; VII, 347 sq.

3. *Antenorem*, *Pylaemene*, rege *Henetorum Paphlagoniae* populi, occiso a Menelao (v. Hom. Il. II, 851 sq.; V, 576 sq.), et capta Troia, Henetos in Italiam duxisse, et Patavinm condidisse; *Henetos* vero, *pulsis Euganeis*, *eas tenuisse terras*, et deinde *Venetos* fuisse appellatos, vulgare erat commentum, a nominum similitudine, ut tot alia, deductum. Cf. Strab. V, 325; XII, 543, al. 819; XIII, 608, al. 905 (qui tamen IV, 297, veriora tradit do Venetorum origine a Venetis, Belgica gente, repetenda); et in pr. Heyn. ad Virg. Aen. I, 242 sq. et ib. in Exc. VII*. — *Euganeis*, *qui inter mare Alpesque incolebant*, habitabant, sedes suas habebant, ut V, 33, n. 2; XXI, 31, n. 5; XXXVIII, 37; et *colere* XXI, 26, n. 6; XXIV, 49, n. 2; XLII, 67, n. 5. *Euganeorum* nomen graecae originis (Εὐγανεῖς quasi Εὐγενεῖς), sed in nullo scriptore graeco obvium. A Plinio Hist. nat. III, 23 et 24, nominantur.

4. *In quem primum egressi sunt locum*, locus, in quem etc. *Troia vocatur*, forte *vocatus*, sc. eo tempore (ut mox *appellati*), *pagoque* (tractui, δήμῳ, *canton*, *district*) *inde Troiano nomen est* (non *fuit*: unde illud Livii adhuc aetate in usu fuisse videtur); *gens* vero *universa*, Heneti et Troiani, *Veneti appellati*. Oratio h. l. variata, ut et mox; nam proprie dicendum erat: *Troiam vocari... nomen esse*, *gentem universam Venetos appellatos... Ibi egressos Troianos... Latinum regem... concurrisse*. Verba *et in quem... appellati* includenda parenthesi putabant Duk. et Drak. At cf. Periz. ad Sanct. Min. III, 14.

pagoque inde Troiano nomen est, gens universa Veneti appellati. Aenean, ab simili clade [5] domo profugum, sed ad maiora initia [6] rerum ducentibus fatis, primo [7] in Macedoniam venisse: inde in Siciliam quaerentem sedes delatum: ab Sicilia classe [8] ad Lauren-

5. *Aenean* (sc. satis constat) *ab simili clade* (immo eadem) *domo profugum* etc. De quo Aeneae in Italiam adventu, a multis scriptoribus exposito et a quibusdam in dubium vocato, vid. Heynius Disquis. II Virg. Aeneidi praefixa. *Ab clade*, post cladem, ut *a concione* XXIV, 22; *ab Q. Fabii opibus concussis* XXII, 34, n. 1; *ab his praeceptis* XLIV, 34. Vel ob cladem, ut *a prodigio* I, 31; *a contemptu* VI, 2, 33, 19 pr.; *ab ira* XXIV, 30 pr.; XXXVII, 43; *a spe* XXVII, 17, n. 3; *a cupiditate et necessitate* V, 5; *a verecundia* XXXIX, 49; *ab odio* VI, 4; *ab irrisu* VII, 10. Sic et utroque modo accipere licet II, 65 extr. *ab infelici pugna* etc. Abundat etiam *ab*, ut X, 31, n. 4, et al.

6. *Maiora initia rerum* pro *maiorum i. r.*; ut c. 4, *ad cursum iusti amnis* pro *iustum*; c. 9, *violati hospitii foedus* pro *violatum*; c. 30, *hac fiducia virium* pro *harum*; IV, 8, extr. *magis necessariam* etc., pro *necessarii*; II, 50 pr. *sine ullo maioris belli apparatu* pro *maiori*; II, 51, *proximam pugnae cladem* et *hesterna felicitate pugnae*, pro *proximae* et *hesternae*. Alia huius enallages seu permutationis epithetorum exempla inf. V, 6, n. 2; V, 39, n. 2; V, 49, n. 2; XXI, 10, n. 14, et passim reperiuntur. Eodem Iac. Gron. refert XXXVII, 19, n. 5.

7. *Primo in Macedoniam venisse*, in veterem Thraciam, ubi Aeneam: s. Aeniam, Αἴνειαν, condidisse dicitur. Cf. XL, 4; XLIV, 10, 32; XLV, 30, et Heyn. de erroribus Aeneae Exc. I et II ad Virg. Aen. III, ubi etiam docet, Aenean pervenisse primum in Thraciam, h. e. Pallenen Chersonesum, et deinde in Delum, Cretam, Cytheram, Arcadiam, Zacynthum, Leucadem, Epirum, Italiae litus, *Siciliam* (v. Exc. I ad Aen. V), et tandem ad litus Tiberis orientale et Laurentinum, s. *Laurentem agrum*. Ibi *egressi Troiani* castra muniere, cui loco inde *Troiae novae nomen est*, non longe a *Laurento* (Paterno et Torre di Paterno, non S. Lorenzo), regia *Latini* sede, regis *Aboriginum*, primorum Latii locorumque circa Tiberim cultorum, quos appellative ita dici putant, tanquam αὐτόχθονας, vel populum, qui non alium expulerit, sed primus ex alta terra, ut hi ex Graecia, in regionem desertam venerit eamque incoluerit; vid. Heynii, de veteribus Italiae populis originibusque, Exc. III et IV ad Virg. Aen. VII.

8. *Classe ad Laurentem agrum tenuisse* iter, pervenisse vel tetendisse, ut *Diam tene* ap. Ov. Met. III, 690; et *tenere regionem*, *ad Mendin*, *sinum* etc., infr. XXI, 49; XXX, 25, 39; XXXI, 45; XXXII, 9, 15, *tenere portum* XXII, 22; XXXVII, 11, *litus* XLIV, 12; *insulam* XXXV, 43, n. 3; *tenum* XXXVI, 21, n. 1; *Phalara* XXXVI, 29, n. 1; *Corcyram* XLV, 41, n. 2; *montes* I, 37. Ex his aliisque exemplis patet, praep. *ad* plerumque omitti, sed nonnun-

rentem agrum tenuisse: Troiae et huic loco nomen est. Ibi egressi Troiani, ut quibus ab immenso prope errore nihil, praeter arma et naves, superesset, quum praedam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt. Duplex inde fama est: alii proelio victum Latinum pacem cum Aenea, deinde affinitatem iunxisse tradunt; alii, quum instructae acies constitissent, priusquam signa canerent, processisse Latinum inter primores, ducemque advenarum evocasse ad colloquium; percunctatum deinde, qui mortales essent, unde, aut quo casu profecti domo, quidve quaerentes in agrum Laurentem exissent: postquam audierit multitudinem Troianos esse; ducem Aenean, filium Anchisae et Veneris; cremata patria et domo profugos sedem condendaeque urbi locum quaerere: et nobilitatem admiratum gentis virique, et animum vel bello vel paci paratum, dextera data fidem futurae amicitiae sanxisse. Inde foedus ictum inter duces, inter exercitus [9] salutationem factam. Aenean apud Latinum fuisse in hospitio. Ibi Latinum apud Penates deos domesticum publico adiunxisse foedus, filia Aeneae in matrimonium data. Ea res utique Troianis spem affirmat tandem stabili certaque sede finiendi erroris. Oppidum condunt; Aeneas ab nomine uxoris Lavinium [10] appellat. Brevi stirps quo-

quam addi. Eam recepi, quia in omnibus fere MSS. legitur *ac* vel *ad Laurentem*.

9. *Inter exercitus salutationem factam*, mutuam amicitiae significationem, iunctis dextris. Cf. VII, 42, et ad Tacit. Ann. XV, 16, 6. — *Spem affirmat*, confirmat, ut II, 12; VII, 14; VIII, 24 pr. X, 41; XXII, 13; cf. Gron. Obss. III, 6.

10. *Oppidum Lavinium* (forte hod. Patrica, s. Pratica), situm XX mill. pas. a Roma, in colle (Monte di Levano, vel ubi nunc S. Petronellae fanum est), ad Numicum, s. *Numicium* fluvium, in quo Aeneas, pu-

que virilis ex novo matrimonio fuit; cui Ascanium parentes dixere nomen.

II. Bello[1] deinde Aborigines Troianique simul petiti. Turnus rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneae fuerat, praelatum sibi advenam aegre patiens, simul Aeneae Latinoque bellum intulerat. Neutra acies laeta ex eo certamine abiit. Victi Rutuli: victores Aborigines Troianique ducem Latinum amisere. Inde Turnus Rutulique, diffisi rebus, ad florentes Etruscorum opes Mezentiumque, eorum regem, confugiunt: qui, Caere opulento tum oppido imperitans, iam inde ab initio minime laetus novae origine urbis, et tum nimio plus, quam satis tutum esset accolis, rem Troianam crescere ratus, haud gravatim socia arma Rutulis iunxit. Aeneas, adversus tanti belli[2] terrorem ut animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem iure solum, sed etiam nomine, omnes essent, Latinos utramque gentem appellavit. Nec deinde Aborigines Troianis studio ac fide erga regem Aenean cessere: fretusque his animis coalescentium in dies magis duorum populorum Ae-

gna cum Etruscis, s. Rutulis facta, interiit: unde ad ripas sacratum ei sacellum et lucus, nomenque *Iovis* vel *Patris Indigetis* inditum, relatis forsan ad eum sacris antiquioris numinis, a priscis ibi Latinis culti. Cf. cap. 2 extr. et Heyn. Exc. III ad Virg. Aen. VII.

Cap. II. 1. *Bello deinde Aborigines* etc. Haec omnia usque ad finem cap. vel ex Virgilio notissima sunt. Cf. Dionysius Halicarn. I, 64 sq., et de *Turno* vid. Heyn. Exc. VII ad Virg. Aen. VII, de *Mezentio* et *Caere*, Etruriae oppidis (hod. *Cerveteri*), id. Exc. III ad Aeneid. VIII et I ad Aen. X.

2. *Aeneas, adversus tanti belli terrorem... Latinos utramque gentem appellavit*; cf. Dionys. I, 59, 60, qui verisimiliora tradit de foedere, iam ante congressum exercitus Troiani et Latini, icto in has leges, ut Troiani aliquantum agri acciperent, iam coepti adversus Rutulos belli essent socii, et sermonem, habitum nomenque ab Aboriginibus adsciscerent, Latinus vero retineret imperii summam. Idem c. 56, et alii referunt, Latinum in altero bello adversus Rutulos, ad rebellandum sollicitatos a Turno, periisse, et Aeneam in universum tum successisse regnum.

neas, quamquam tanta opibus Etruria erat, ut iam non terras solum, sed mare etiam per totam Italiae longitudinem, ab Alpibus ad fretum Siculum, fama nominis sui implesset, tamen, quum moenibus bellum propulsare posset, in aciem copias eduxit. Secundum inde proelium Latinis, Aeneae etiam ultimum operum mortalium fuit. Situs est, [3] quemcumque eum dici ius fasque est, super Numicium flumen. Iovem Indigetem appellant.

III. Nondum maturus imperio Ascanius Aeneae filius erat: tamen [1] id imperium ei ad puberem aetatem incolume mansit. Tantisper tutela muliebri, tanta [2] indoles in Lavinia erat, res latina et regnum avitum paternumque puero stetit. Haud nihil ambigam, quis enim [3] rem tam veterem pro certo affirmet? hiccine

3. *Situs est*, sepultus, *super Numicium fluvium*, ultra (v. ad XXXI, 47, n. 3), vel potius ad, s. iuxta fl., ut XXVI, 42; XXXII, 15; XXXIII, 6, 15; XXXIX, 28, XLII, 55. Sic et *super ripam* XXVII, 48, et XXXV, 33. *Siti dicuntur, qui conditi sunt: nec tamen eorum ante sepulchrum est, quam iuxta facta et corpus incensum est*, Cic. de leg. II, 22, 57; ubi cf. Wagner. Sed Dionys. I, 64 tradit, Aeneae corpus non inventum esse, eique exstructum ἡρῷον cum titulo: Πατρὸς θεοῦ χθονίου, ὃς ποταμοῦ Νομικίου ῥεῦμα διέπει. Cf. Ovid. Met. XIV, 600 sq., et Tibull. II, 5, 43 sq. Heroës, s. dii *indigetes* (indigenae, vel *inde* h. est, e terra *geniti*, χθόνιοι vel ἐγχώριοι), homines propter eximias virtutes inter deos relati diique tutelares facti; qui post consecrationem *indigetabantur*, invocabantur, ut Romulus I, 16. Cf. VIII, 9, et sup. ad c. 1, n. 10. — *Quemcumque eum dici ius fasque est*, religiose nominatum: nam neque humano eum nomine nunc appellari (quod in deos relati mutabant), et *situm* dici fas erat, neque eodem forte ab omnibus honore colebatur. Cf. ad XXI, 62, n. 4.

Cap. III. 1. *Tamen id imperium etc.* id est nihilo secius: nam *tamen* saepe refertur ad omissum in priori membro orationis *etsi*. Contra *tamen* passim omittitur praecedente *etsi*, seu *quamvis*, vid. cap. VII, 19; XXII, 20; XXXVIII, 9; vel praec. *quidem*, ut XLI, 18.

2. *Tanta indoles*, tantae animi dotes virtutesque, ut XXI, 2, n. 4. *Tantisper*, tamdiu, *res* publica *latina et regnum puero stetit*, conservatum est, salvum et incolume mansit. Cf. IV, 40, 43; ad V, 44, n. 2; XLV, 19. —*Haud nihil ambigam*, haud certaverim, disputaverim, pro certo affirmaverim. Cf. ad II, 45, n. 7.

3. *Quis enim rem ... pro certo* (negotio) *affirmet? forte pro certo; Gron.*

fuerit Ascanius, an maior, quam hic, Creusa matrem Ilio incolumi natus, comesque inde paternae fugae, quem Iulum eundem Iulia gens auctorem nominis sui nuncupat. Is Ascanius, ubicumque et quacumque matre genitus, certe natum Aenea constat, abundante Lavinii multitudine, florentem iam, ut tum res erant, atque opulentam urbem matri, seu novercae, reliquit: novam ipse aliam sub Albano monte condidit; quae, ab situ [4] porrectae in dorso urbis, Longa Alba appellata. Inter Lavinium et Albam Longam coloniam deductam triginta ferme interfuere anni. Tantum tamen opes creverant, maxime fusis Etruscis, ut ne morte quidem Aeneae, nec deinde, inter muliebrem tutelam rudimentumque primum [5]

Sed vid. ad XL, 9, n. 11; Duk. et Drak. ad h. l. — *Hiccine*, Lavinia natus, *fuerit Ascanius, an maior, quam hic, Creusa matre natus* etc. nam haec varie traduntur. Aeneae nonnulli, praeter Creusam et Laviniam, uxores tribuunt Codonen et Anthemonen, in Arcadia, et Launam, Anii filiam, in Delo ins. ductam. Hinc etiam diverse memorantur liberorum numerus, nomina et matres. Non defuere adeo, qui Romulum Remumque pro filiis Aeneae Ascaniique fratribus haberent. *Ascanius*, ut plerique narrant, primum *Euryleon*, deinde *Iulus*, et in fuga demum *Ascanius* dictus est, et cum patre in Italiam venit; ut quidem, in Troade relictus novum constituit regnum; ut alii, patre in Macedonia mortuo, ex Troade illuc traiecit, et inde in Italiam. Confer Dionysium I, 47, 49, 65, 72, et Heyn. Exc. XVII ad Virg. Aen. II.

4. *Ab situ porrectae*, in longitudinem extentae, *in dorso* montis. Omnia enim, quae de corpore humano dicuntur, ad montem transferri solent, caput, latera, viscera, pedes; Ern. Sic et graec. πούς, ῥάχις etc. *Alba* forte dicta, quia in monte condita erat, sed, ut fabulose traditur, ab ostento *albae suis* cum XXX fetibus; de quo vid. Heyn. Exc. II ad Virg. Aen. VII.

5. *Rudimentum primum puerilis regni.* Τὸ *primum* abundare tum ex latina norma loquendi, tum ex codice Palatino secundo iudicat Gebhardus: sed cod. Paris. et libri a Drak. citati nihil mutant, et recte; nam non magis in hoc loco aliquid abundat quam quum passim apud Livium occurrunt *primum* initium, VI, 12; *ante praeoccupare*, XXI, 20; *prius praecipere*, XXI, 32: Tacitus etiam, Agric. 5, *prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino diligenti ac moderato duci approbavit;* Iustinus, VII, 5, *prima pueritiae rudimenta in urbe severitatis antiquae et in domo Epaminondae imperatoris, deposuit.* Lem. — *Pax ita convenerat*, hac lege convenerat de pace, ut XXIV, 29; XXIX, 12; XXXVIII, 11; et *pax convenit in has conditiones*, vel *in haec*,

pueriIis regni, movere arma aut Mezentius Etruscique, aut ulli alii accolae ausi sint. Pax ita convenerat, ut Etruscis Latinisque fluvius Albula, quem nunc Tiberim vocant, finis esset. Silvius deinde regnat, Ascanii filius, casu quodam in silvis natus. Is Aenean Silvium creat: is deinde Latinum Silvium. Ab eo [6] coloniae aliquot deductae, Prisci Latini appellati. Mansit Silviis postea omnibus cognomen, qui Albae regnarunt. Latino Alba ortus, Alba Atys, Atye Capys, Capye Capetus, Capeto Tiberinus; qui, in

XXIX, 12; XXX, 31, 43; *pacto convenit*, sc. inter Alexandrum et Philippum, XXIV, 6, n. 5. Sic et *convenit res*, XXIV, 27, n. 3; simpl. *convenit*, sc. boc inter annalium scriptores, i. e. hi conveniunt inter se de eo, IX, 16, n. 1; XXX, 16, n. 4; *hoc convenit cum aliquo*, XXIII, 39, n. 1; *de legibus convenit, de latore discrepat*, III, 31. Nam contra etiam dicitur *discrepat* vel *discrepat res* et *inter auctores*, VIII, 40; XXII, 36, 61; XXV, 28; XXIX, 25; XXXVIII, 56. Etiam passive dicitur *quibus conventis*, XXX, 43. — *Silvius deinde regnat, Ascanii filius*: in omn. lib. h. l. *Silvius* legitur, et ap. Dionys. I, 70, etsi is tradit, Laviniam, Ascanio privigoo regnum auspicante, prae metu eius in sylvas (ὕλας) aufugisse, ibique *Silvium*, postumum Aeneae filium, inde ita dictum, peperisse, qui Ascanio fratri in imperio successerit. Eidem si fides habenda, reges Albani hoc ordioe regnaroot, *Aeneas* 6 annos, *Ascanius* 38, *Silvius* 29, *Aeneas Silvius* 31, *Latinus* 51, *Albas* 39, *Capetus* 26, *Capys* 28, *Calpetus* 13, *Tibarinus* 8 (qui Dioni, Eustathio ad Dionys. Per. 350 aliisque *Tiberius* dicitur), *Agrippa* 41, *Alladas* 19, *Aventinus* 37, *Procas* 23, *Amulius* 42. Alii alia regum nomina et annos regni edunt, magis arbitrio quam certa auctoritate ducti, sed plerique rotundum, quem dicimus, numerum CCCC annorum; vide Heyn. Exc. III ad Virg. Aen. XII et in notis ad Aen. VI, 760 sq., ubi etiam monet, fabulae de *Sylvio* in *sylvis* educto locum fecisse videri nomen ipsum, uti fabulis de Romulo et Remo ficum Ruminalem et similitudinem vocis *ruminis*, h. est, mammae. De *cognomine Sylvii*, quod Albanis regibus fuit, v. Vict. Or. G. R. 17, et de vetere *Tiberis nomine* Alba, s. *Albula* aliisque super eodem nomine commentis, idem c. 18; Dion. I, 71; Heyn. l. l., et ad Aen. VIII, 330 sq.

6. *Ab eo* (Latino Silvio) *coloniae aliquot deductae* etc. Ab Alba Longa XXX coloniae in Latio et extra Latium deductae, certe novis colonis frequentatae. Cf. Dionys. III, 31; Vict. Or. G. R. 17, et Heyn. ad Virg. Aen. VI, 773 sq. — A Latino dicti sunt *Prisci Latini*, gr. Πρίσκοι Λατῖνοι, unde tamen haud colligerem, vocem *Prisci* esse nomen propr., non appellativum. Festus dicit, *Priscos Latinos proprie appellatos esse, qui prius, quam conderetur Roma, fuerint.*

traiectu Albulae amnis submersus, celebre ad posteros nomen flumini dedit. Agrippa inde Tiberini filius, post Agrippam [7] Romulus Silvius, a patre accepto imperio, regnat. Aventino, fulmine ipse ictus, regnum per manus tradidit: is, sepultus in eo colle [8], qui nunc est pars romanae urbis, cognomen colli fecit. Proca deinde regnat: is Numitorem atque Amulium procreat. Numitori, qui stirpis maximus erat, regnum vetustum Silviae gentis legat. Plus tamen vis potuit, quam voluntas patris aut verecundia [9] aetatis. Pulso fratre, Amulius regnat: addit sceleri scelus: stirpem [10] fratris virilem interimit: fratris filiae Rheae Silviae per speciem honoris, quum Vestalem eam legisset, perpetua virginitate spem partus adimit.

IV. Sed debebatur, ut opinor, fatis [1] tantae origo

7. *Post Agrippam Romulus* (*Remulus* ap. Oros. I, 2; Ovid. Met. XIV, 616, et Fast. IV, 49) *Silvius regnat... fulmine ictus*; sed, si Dionysio fides habenda, Allades, contemptor deorum et Iovis fulminatoris imitator. — *Regnum ei per manus*, de manu quasi in manum, *tradidit*, eum successorem, διάδοχον, habuit. Hinc *religiones per manus traditae*, h. e. filio a patre, nepoti a filio etc. traditae et propagatae, infra V, 51; conf. etiam IX, 17, n. 4, et XXIX, 14, n. 7.

8. *Sepultus in colle... cognomen colli fecit*, eadem vox loco pronominis iteratur, quo nihil frequentius est Livio. Cf. ad I, 56, n. 11; II, 32, n. 3; IV, 3, n. 2; V, 15, n. 6; V, 41, n. 3; V, 43, n. 1; VI, 2, n. 7; VI, 24, n. 4; X, 18, n. 6; X, 34, n. 2, et permulta alia exempla, quae tum a nobis passim laudata sunt, tum a Drak. ad h. l. et a Duk. ad I, 53. Haec ad gratam orationis negligentiam refert Ernesti Opusc. philol., p. 133. Verum ego quidem pleraque malim ingratae ineptaeque glossatorum sedulitati tribuere: at ita quoque iudicasse videretur Gron. qui alterutrum verborum bis positorum plurimis locis eiiciendum censuit; ubi tamen Drak. vulgatam fere lect. defendit.

9. *Verecundia aetatis*, ut c. 6, respectus aetatis, quae filio natu maiori ius succedendi dat.

10. *Stirpem fratris virilem*, Aegestum f. — *Rheae Silviae*, s. Iliae. Cf. Dionys. I, 77 sq. — *Vestalem* etc.; v. ad c. 20, n. 3.

Cap. IV. 1. *Sed debebatur fatis origo urbis*, fatum, deus volebat utique, eam condi; Bauer. — *Secundum*, post (ut II, 5 extr. XXIV, 10, 18, 21; VIII, 10; ubi v. Drak.) *Deorum opes*, potestatem, imperium. Cf. ad IX, 41, n. 3, et XXX, 42, n. 7.

urbis maximique secundum deorum opes imperii principium. Vi[2] compressa Vestalis, quum geminum partum edidisset, seu ita rata, seu quia deus auctor culpae honestior erat, Martem incertae stirpis patrem nuncupat. Sed nec dii, nec homines, aut ipsam, aut stirpem a crudelitate regia vindicant: sacerdos[3] vincta in custodiam datur: pueros in profluentem aquam mitti iubet. Forte[4] quadam divinitus super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis, nec adiri usquam ad iusti[5] cursum poterat amnis; et, posse quamvis languida[6] mergi aqua infantes, spem ferentibus dabat: ita velut defuncti regis imperio, in proxima[7] alluvie,

2. *Vi compressa*, stuprata, *Vestalis* virgo, Rhea Silvia, s. Ilia; de cuius partu plura vid. ap. Dionys. l. l. — *Incertae stirpis*, cuius auctor, quorum liberorum pater ignoraretur.

3. *Sacerdos vincta in custodiam datur: pueros in profluentem aquam mitti*, abiici, exponi (ut *ablegatus* ap. Cic. de Leg. III, 8, 19), *iubet*, sc. rex: nam praecedit *a crudelitate regia* (forte *regis*), et Livius orationem variavit, ut solet; v. ad V, 19, n. 3, et XXII, 6, n. 7. Dura tamen est ellipsis.

4. *Forte quadam divinitus*, sc. comparata; Gron. Sed ita vix recte dici potest, et vel voc. *divinitus* delendum videtur, vel legendum *forte quadam divina*, θείᾳ τινὶ τύχῃ, aut potius cum Grut. et Bauero *forte quadam an divinitus*, ut *casu quodam, an divinitus* ap. Suet. Claud. 13. Cf. et Plin. Pan. I, et Aur. Vict. de viris ill. c. 11.

5. *Ad iusti*, iustum, *cursum amnis* (v. ad c. 1, n. 6), ad amnem intra iustos suos fines et ripas currentem: nisi *iustus amnis* est verus, cui *stagna* opponuntur, ut *iusta aut recta pugna* XXII 28; *iustus dux*, verus ac legitimus, XXV, 1; *iustus miles* XXIV, 14, n. 4: quibus opponuntur ibi *volones* (v. ad XXII, 57, n. 12), ut *iusta arma*, h. e. legionum (πανοπλία, completa armatura, apud Polybium III, 62, 5; IV, 56, 3; VI, 23, 1; X, 20, 2) XXXVIII, 22, armis velitum, de quibus vid. XXVI, 4: cf. ad IV, 27, n. 5, et VI, 13, n. 3. Ceterum *ad cursum iusti amnis* esse redundantiam pro *ad cursum suum*, monet Bauer.

6. *Quamvis languida* non est, valde, admodum languida (quo sensu *quamvis* h. l. et passim dici monent Burm. ad Phaed. I, 28, n. 1, et alii), sed quantumvis languida, quamvis languida esset, ut II, 39, 51, 54; V, 6, n. 2; XXII, 8; XXXVIII, 19.

7. *In proxima alluvie*, in proximo loco, qui aqua super ripam egressa alluebatur; vel in proxima aqua super ripas effusa. Sed forsan *eluvie* leg. cum Gron. cuius adnotatio est haec: *Eluvies* est inundatio, vel effusio et excursus aquae, sive vehemens, ut ap. Ovid. Met. XV, 267; Iustin. II, 1 (ubi male legitur *inluvies*, sordes extrinsecus adspersae, ut et ap. Tac. Ann. XII, 51);

ubi nunc ficus [8] Ruminalis est, Romularem vocatam ferunt, pueros exponunt. Vastae tum in iis locis solitudines erant. Tenet [9] fama, quum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus, qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse: eam submissas infantibus adeo mitem praebuisse mammas, ut lingua lambentem pueros magister regii pecoris invenerit. Faustulo fuisse nomen ferunt: ab eo ad stabula Larentiae uxori educandos latos. Sunt, qui Larentiam, vulgato corpore [10], lupam inter pastores

sive modicos et quatenus realegnat avehitque se plurima unda (ut apud Tac. Ann. XIII, 57, et Curt. VI, 3; VIII, 14): nam usus voluit, *eluviem* vocari stagnantem undam, etsi non ita dicatur *eluere* fluvios; ut et *alluere* dici fluctum quicumque excurrat, *alluviem* non item.

8. *Ficum Ruminalem* totamque fabulam de Romulo et Remo a lupa lactatis peperisse videtur ignoratio et investigatio originis, quam *Romae* nomen habuerit. Hoc quidam deducunt a ῥώμη, virtute ac robore, alii a *Rumone*, prisco Tiberis nomine (a ῥόος, ῥέω), alii a *Romulo*, et huius ficusque nomen inde quod mamma veteribus Romanis dicta sit *rumo*, s. *rumis* et *rumen*. Cf. ad Tac. Annal. XIII, 58, 1, et Hard. ad Plin. XV, 18, s. 20. *Ficus nunc*, nostra aetate, *Ruminalis* dicitur: olim a Romulo *Romularem vocatam ferunt*, tempore Romuli, vel aliquamdiu post. «Vanum haud dubie: neque enim, nisi a Romulo, haec arbor nomen illud postea traxit; quod vel grammatica ratio arguit.» Bauer.

9. *Tenet fama*, parum probabilis, ut et reliqua, *expositos esse pueros* non nudos, sed *in alveo*, quod tradit etiam Dionys. qui ipsum adeo alveum postea Numitori sub pallio allatum dicit a Faustulo, ut fidem indicio suo faceret. *Fama* passim dicitur omnis traditio et narratio, etiam historicorum, et *fama tenet* pro *fama est*, ut XXXIII, 3, n. 4, et XXXIX, 22, n. 3; vel *adhuc est* (ut *fama obtinuit*, sc. se XXI, 46 extr.), durat, gall. *se conserve*, ut c. 17; II, 3; XXIII, 12, 18, 44. *Alveus* proprie, vel inferior pars navis, carina, fundus, aut ipsum corpus, gall. *tronc*, et hinc, ut *carina*, totum navigium (ut XXI, 26, n. 11), vel labrum soliumque, in pr. balneare, σκάφη, gall. *baignoire*, *huche*. — *Submissos praebuisse mammas*. gr. μαστὸν ὑπέχειν, Schaef.

10. *Larentiam*, *vulgato corpore*, quum se corpusque suum omnibus promiscue prostituisset (unde *vulgatum corpus* pro pellice, s. prostibulo XXXIX, 53), *lupam inter pastores vocatam*, h. e. scortum; unde *lupanar*. Cf. ad II, 29, n. 5. *Laurentiam* alii. Sed *Larentiam* praeferunt optimi libri, Dionys., Plut., Festus, Macrobius, Gellius, Lactant. et fasti. — *Itaque educati*: τὸ *que* addi non placet;

vocatam putent; inde locum fabulae ac miraculo datum. Ita geniti, itaque educati, quum primum adolevit aetas, nec [11] in stabulis, nec ad pecora segnes, venando peragrare circa saltus. Hinc, robore corporibus animisque sumpto, iam non feras [12] tantum subsistere, sed in latrones praeda onustos impetus facere, pastoribusque rapta dividere, et cum his, crescente in dies grege iuvenum, seria [13] ac iocos celebrare.

V. Iam [1] tum in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt, et a [2] Pallanteo, urbe arcadica,

omisere etiam Gron. et Crev. ut languidius, et quia non significat *ergo*: quin tunc quoque, ut c. 5, n. 7, sine *que* praefert Livius; Bauer. Cf. tamen ad III, 30, n. 3; XXIII, 35, n. 5, et al. Ceterum probabilius est, Romulum Remumque non inter pastores adolevisse, quod Livius refert, vulgarem sequutus famam, sed graeca suaque origine digna institutione Gabiis fuisse formatos, quod tradunt Dionys. Hal. I, 84, et Plut. Rom. VI, 6.

11. *Nec in stabulis*, domi, *nec ad pecora*, in pascuis, *segnes*, *venando*, venantes, *peragrare circa saltus*, h. e. saltus, qui circa erant, vicinos. Cf. ad I, 9, n. 1; I, 17, n. 3; IX, 15, n. 1; XXI, 49, n. 4; XXIX, 29, n. 1; XXX, 9, n. 2; XXXV, 12, n. 2. — *Robore sumpto*, acquisito, collecto, parato, ut graece ὕψος λαμβάνειν de aedificio surgente vel arbore; Bauer.

12. *Feras subsistere*, ut al. *sistere ense, telo, vulnere*, efficere (iaculando) ut ferae stent, s. subsistant inhibeantque cursum, h. e. eas figere; vel impetum earum sistere, cohibere, sustinere, excipere, ὑποστῆναι et ὑφίστασθαι, ut *subsistere romanum* IX, 31. At *subsistere alicui* est ei obsistere, resistere, ut XXVII, 7; ubi v. Gron. et Drak. Cf. Heyn. ad Tibullum IV, 1, 195, et Ern. clav. Cic.

13. *Seria ac iocos* (de quibus v. cap. seq.), res serias ac ludicras, *celebrare*, saepe et cum multis peragere, exercere, agitare, tractare, iis operam dare. Cf. ad III, 31, n. 3; V, 21, n. 5; XXXIV, 61, n. 4.

Cap. V. 1. *Iam tum fuisse ferunt in Palatino monte* (proprie sub eo, ad eius radices) *Lupercal hoc*, i. e. quod etiam nunc in usu est vel celebratur, quod nunc videmus, quale hac aetate est. Cf. ad I, 42, 7; I, 55, n. 10; VI, 4, n. 7; VII, 2, n. 13; XXV, 40, n. 1; XXXIX, 22, n. 2; XLIV, 9, n. 1. *Lupercal* festum vel tironibus notum, quod agi solebat in honorem Panis, quem iam olim perperam *Lyceum*, Λύκειον, dictum putabant a λύκοις, *lupis*, quos a pecore arceret: unde *Lupercus* (lupos arcens) Pan, *Luperci* eius sacerdotes et *Lupercal* festum. Verum Panis nomen fuit Λυκαῖος, *Lycaeus*, ductum ab oppido et monte Arcadiae (Λύκαια et ὄρος Λύκαιον); at Apollinis Λύκειος vel Λύκιος, et gymnasii Athen. Λύκειον.

2. *A Pallanteo* (ut ap. Virg. Aen. VIII, 54, 341, al. sed gr. Παλλάντιον

Pallantium, dein Palatium, montem appellatum. Ibi Evandrum, qui ex eo genere [3] Arcadum multis ante tempestatibus ea tenuerit loca, solemne allatum ex Arcadia instituisse, ut nudi iuvenes, Lycaeum [4] Pana venerantes, per lusum atque lasciviam currerent; quem Romani deinde vocarunt Inuum. Huic deditis ludicro, quum solemne notum esset, insidiatos ob iram [5] praedae amissae latrones, quum Romulus vi se defendisset, Remum cepisse; captum regi Amulio tradidisse, ultro [6] accusantes. Crimini maxime dabant,

τιον et Παλάντιον) *urbe arcadica*, *Pallantium*, *dein Palatium montem appellatum*, ut et oppidum vel arx, *in Palatino monte* ab Evandro exstructa. Vulgo *Palatinum* legitur pro *Palatium*. Sed *Palatium* est substant. ut c. 6 extr. c. 7 et 33; II, 10; XXIX, 37. Sic *Capitolium* etiam mons dicitur, et τὸ Ἀβεντῖνον (sc. ὄρος) ap. Dionys. passim, ut forte *Aventinum* inf. c. 6, 33 (*ut iungeretur Palatio Aventinum*), et III, 50. De *Pallantio*, *Evandro*, fabuloso heroë, et *Carmenta* matre eius, plura vid. ap. Dionys. I, 31 sq., et in Heynii Exc. I, et not. ad Virgilii Aeneida VIII, 51 sq.

3. *Qui ex eo genere Arcadum*, s. Pallantino (nempe quot oppida Arcadum, *tot genera*, i. e. populi, ut Volscorum II, 38 extr. Etruscorum I, 8 pr. Locrorum), *ea tenuerit loca*, oriundus fuerit et tenuerit ea loca; Bauer. *Tenuerit* pro *tenuerat* ex plurimis optimisque MSS. recepi. — *Multis ante tempestatibus*: nam LX annos ante Troiam captam eo duce colonia Pelasgorum ex Arcadia in Italiam seu casu seu consilio venisse dicitur. — *Solemne*, ludos solemnes, ut mox *ludicrum*, θεατρικόν, ludus, vel quidquid in eo spectatur, vel eius argumentum.

4. *Lycaeum Pana* reposui pro vulg. *Lyceum*, v. not. 1, *quem Pana Romani deinde vocarunt Inuum*, forte a cupiditate *ineundi*, h. e. concumbendi; ut Silvanus et Faunus *Incubus*. — *Solemne notum*, quidam MSS. at edd. *s. votum*, probante Burmanno ad Virg. Eclog. V, 74. Praestiterit *solemne et notum*.

5. *Iram praedae amissae*, ob praedam amissam, ut passim de re, propter quam ira afficimur, v. c. IV, 58; V, 33; VIII, 12, n. 5; IX, 8, 34; XXI, 2; XXIV, 30 pr. XXVII, 7; XXXVII, 51. Sic et *ad terrorem traducti silvam exercitus* IX, 39, n. 1; *pudor non lati auxilii* et *ignominiae* XXI, 16 pr. XXXV, 37: forte et *ad gemitus vulnerum* XXII, 5, n. 3, et similia. Cf. ad I, 42, n. 2; II, 6, n. 1; II, 10, n. 8; IV, 6, n. 6; VIII, 13, n. 2.

6. *Vltro accusantes*, insuper, vel potius adeo, quamvis ipsi essent latrones adeoque accusandi. Cf. III, 62; III, 27; ad XXI, 28, n. 6; Drak. ad XL, 12, n. 4, et Schelleri Obss. in Cicer. p. 41. — *Crimini dabant*, ducebant, vertebant, loco criminis putabant, ut *dare aliquid alicui vitio*, *laudi*, etc. — *In Numitoris agros* etc. Ad haec et seqq. intelligenda tenen-

in Numitoris agros ab his impetum fieri: inde eos, collecta iuvenum manu, hostilem in modum praedas agere. Sic [7] Numitori ad supplicium Remus deditur. Iam inde ab initio Faustulo [8] spes fuerat, regiam stirpem apud se educari; nam et expositos iussu regis infantes sciebat, et tempus, quo ipse eos sustulisset, ad id ipsum congruere; sed rem [9] immaturam, nisi aut per occasionem, aut per necessitatem, aperiri noluerat: necessitas prior venit: ita, metu subactus, Romulo rem aperit. Forte et Numitori, quum in custodia Remum haberet, audissetque geminos esse fratres, comparando et aetatem eorum, et ipsam minime servilem indolem, tetigerat animum memoria nepotum; sciscitandoque [10] eo demum pervenit, ut haud pro-

dum est, Numitorem tantum regno privatum, ceterum suos agros privatamque dignitatem omnem, ut fratrem regis, servasse, *arci* quoque (quam c. 6, a *regia* distinxeris) Albanae praefuisse; Bauer.

7. *Sic Numitori* etc., h. e. re sic comparata, propterea, itaque, hinc, ergo; ut passim *sic* et *ita*, v. c. mox *ita metu subactus*, et *ita undique* (tum a Numitore, tum a Romulo) *regi dolus nectitur*. Cf. ad I, 10, n. 2; I, 17, n. 3, et ad alia loca, quibus vulgo *itaque* legitur ex interpret.

8. *Faustulo spes fuerat*, forte opinio, suspicio, ut II, 3 pr. XXI, 6, n. 5, et *sperare* passim pro suspicari vel exspectare, unde *insperatum* III, 26, de re mala. Sic et ἐλπίς, ἐλπίζειν, ἔλπεσθαι.

9. *Rem immaturam, nisi aut per occasionem* etc. Livius distinguit rem maturam ab ea, cuius aperiendae aut occasio aut necessitas sit: itaque, etiam quum necessitas erat, tamen immatura res erat, i. e. citius, quam vellet Faustulus, aperiebatur; Bauer. Pro *aperiri* auspicari possis *patefieri*, quia mox sequitur *aperit*. Vid. tamen ad c. 3, n. 8. — *Audissetque geminos esse fratres*. Quintilianus, Inst. Orat. IX, 4, *Quaedam ordine permutato fiunt supervacua, ut, fratres gemini: nam si praecesserint gemini, fratres addere non est necesse.* Hanc tamen eius observationem perpetuam non esse, non modo locus hic Livii, sed etiam plura alia exempla docent; confer in primis Ovidii, Her. XVI, 271, *O decus, o praesens geminorum gloria fratrum*; eiusdem Heroid. XVII, 249; Metam. IV, 107; ita et eodem libro, versu 773, *Cuius in introitu geminas habitasse sorores*: haud aliter Terentius in Heaut. V, 1, 80, *Non, ita me dii ament, auderet facere haec viduae mulieri*. Lem. —*Comparando*, vid. ad c. 8, n. 4.

10. *Sciscitandoque eo demum pervenit*, recepi e Cod. Flor. et Lovan. 3, pro vulg. *eodem pervenit*. Idem probarunt Crev. et Drak. ad XXXII, 14, n. 2. — *Globo iuvenum*, conferta manu.

cul esset, quin Remum agnosceret. Ita undique regi dolus nectitur. Romulus, non cum globo iuvenum, nec enim erat ad vim apertam par, sed aliis alio itinere iussis certo tempore ad regiam venire pastoribus, ad regem impetum facit; et a domo Numitoris alia comparata manu adiuvat Remus: ita regem obtruncant.

VI. Numitor, inter primum [1] tumultum, hostes invasisse urbem atque adortos regiam dictitans, quum pubem Albanam in arcem praesidio armisque obtinendam avocasset; postquam iuvenes, perpetrata caede, pergere ad se gratulantes vidit, extemplo advocato concilio, scelera in se fratris, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti essent, caedem deinceps tyranni, seque eius auctorem ostendit. Iuvenes, per mediam concionem agmine [2] ingressi, quum avum regem salutassent, sequuta ex omni multitudine consentiens vox ratum nomen imperiumque regi effecit. Ita Numitori Albana permissa re, Romulum Remumque cupido cepit, in iis locis, ubi expositi, ubique educati erant, urbis condendae: et supererat [3] multitudo Albanorum Latinorumque. Ad id pastores quoque accesserant, qui omnes facile spem facerent,

Cap. VI. 1. *Inter primum tumultum*, scilicet, initio tumultus, ut *ad primam auroram* c. 7, *primo vespere* XXXV, 30, et *primo vere* XXVI, 25 pr. XXXIII, 3 pr.—*Regiam ... in arcem*, v. ad c. 5, n. 6. — *Avocasset* recte legitur, non *advocasset*: duo enim significantur, in arcem evocatos milites, et a rege tuendo avocatos; Bauer. *Avocare* Gron. interpretatur: avertere a cognoscendo vero periculo, ne auxilium, quo maxime debebat, ferat, et sevocare partem populi a magistratibus seditionis causa. Similiter XLIII, 16, n. 5, *avocatam a se concionem tribunus questus*: nam *avocare concionem* est abducere eam a magistratu, a quo advocata est. Cf. loc. class. Gell. XIII, 15 extr.—*Pergere*, venire, ire, ut c. 7 (ubi est synon. verbi *vadere*), 60; III, 6, al.

2. *Agmine ingressi*, uterque simul. Cf. Virg. Aen. II, 212.

3. *Supererat multitudo* etc. h. e. Albae et Lavinii abundabat, vel nimia erat incolarum copia.

parvam Albam, parvum Lavinium prae ea urbe, quae conderetur, fore. Intervenit [4] deinde his cogitationibus avitum malum, regni cupido, atque inde foedum certamen coortum a satis miti principio; quoniam gemini essent, nec aetatis [5] verecundia discrimen facere posset, ut dii, quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret, qui conditam imperio regeret. Palatium [6] Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt.

VII. Priori [1] Remo augurium venisse fertur, sex

4. *Intervenit deinde his cogitationibus*, supervenit, accessit (non quasi turbaverit cogitationes urbis statuendae), *avitum malum*, quod avo ipsorum nocuisset, non, quo ipse peccasset, sed, quo in eum frater; qui tamen et ipse, ut frater avi, inter avos Romuli et Remi censeri possit; Bauer. *Avitum malum* eadem infausta de regno contentio, quae inter Numitorem et Amulium fuerat. — *Foedum certamen*, de quo v. cap. 7 pr. Mox ante *quoniam gemini essent* Baurr. supplet: nam convenerant, seu quippe pacti erant. Sed malim exemplo aliorum post *principio* maximam, et post *imperio regeret* minorem ponere distinctionem. Novi vero capitis initium videtur demum faciendum a verbis c. seq. *Ita solus potitus* etc.

5. *Aetatis verecundia*, ut c. 3, ubi v. not. 9. — *Quorum tutelae ea loca essent*, pro in quorum tutela, ut XXI, 41; XXIV, 22; XLII, 19. Cf. ad III, 62, n. 5, et XXI, 41, n. 7.

6. *Palatium ... Aventinum*, v. ad c. 5, n. 2. — *Ad inaugurandum*, ad augurium capiendum, v. ad c. 36, n. 4. — *Templa capiunt*: nam *templum* dicitur omnis locus inauguratus et sanctus, sed proprie, a *templando*, h. e. contemplando, tum editus locus (*arx*, c. 18; IV, 18; X, 7), ab auguribus certo ritu *captus*, tum spatium caeli (οἰωνιστήριον), in omnes partes et quousque prospici potest, patens, et in illo locu ab augure *captum*, h. e. definitum lituo, ut intra has caeli partes augurium capiatur (de quo ritu augurum v. inf. cap. 18), hinc et asylum II, 1; curia I, 30; XXXVII, 49, 52; XXXIX, 5; XLI, 15; suggestus, s. locus pro rostris, ex quo conciones habebantur ad populum II, 56, n. 9; III, 17 pr. (quae loca alii de tribunali accipiunt, ut et XXIII, 10, n. 4; sed agitur ibi de comitiis tributis, quae in foro, quod et II, 56 memoratur, vel in circo Flaminio, ut XXVII, 21, vel in Capitolio, v. c. XXV, 3, habebantur, ut centuriata in Campo Martio); VIII, 14, n. 12; ibid. 35, n. 10: locus Campi ad aram Martis XL, 46, n. 3. Locus in templo illo, ex quo capiebatur augurium, dicebatur *tabernaculum*, v. c. IV, 7. *Templa* vero et *aedes* sacrae etiam pro curiis ponuntur propterea, quod saepe in iis senatus habebatur, v. c. Bellonae XXX, 22 extr. coll. cap. 23 pr.

Cap. VII. 1. *Priori*, prius, *Remo...sua multitudo...tempore illi praecepto* etc.; nam Dionys. tradit: μερίζονται τὸ πλῆθος ἅπαν διχῇ. Τοῦτο δὲ αὐτοῖς

vultures; iamque, nuntiato augurio, quum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque regem sua multitudo consalutaverat: tempore [2] illi praecepto; at hi numero avium, regnum trahebant. Inde, cum altercatione congressi, certamine [3] irarum ad caedem vertuntur: ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros: inde ab irato Romulo, quum verbis quoque increpitans adiecisset, *Sic* [4] *deinde, quicumque alius transiliet moenia mea*, interfectum. Ita solus po-

δόξαν παράσχῃ φιλοτιμίας, ἵνα θᾶττον ἀνύηται τῇ πρὸς ἀλλήλους ἁμίλλῃ τὰ ἔργα. Αἴτιον δὲ τοῦ μεγίστου κακοῦ, στάσεως, ἐγένετο· οἵ τε γὰρ προσνεμηθέντες αὐτοῖς, τὸν ἑαυτῶν ἡγεμόνα ἕκαστοι κυδαίνοντες ὡς ἐπιτήδειον ἁπάντων ἄρχειν, ἐπῇρον. Idem c. 87, dicit, avum suasisse, ὅτῳ ἂν προτέρῳ κρείττους ὄρνιθες ἐπισημήνωσι, τούτῳ ἄρχειν τῆς ἀποικίας.

2. *Tempore praecepto*, quod tempore praecepissent, seu prius habuissent augurium, *regnum trahebant* ad se el ducem suum, Remum, sibi vindicabant ius imperii.

3. *Certamine irarum*, irae certatim quasi indulgentes. Ex ira; Bauer. — *Novos transiluisse muros*, non lapideos (a Tarquinio demum structos; v. cap. 36 pr. et 38), sed forte ligneos; Glar. Potius cespititios, seu vallum, aut lateritios; Drak.

4. *Sic deinde*, sc. transiliet, quod e seqq. repetendum (v. ad XXI, 43, n. 4), vel peribit, tractabitur, punietur, vel, ut cap. 26, n. 2, *abi hinc* (at VI, 40)... *sic eat*, sc. in perniciem, s. malam crucem, vel sic abeat, sic ei detur (cf. Drak. ad XXXVII, 18, n. 1); qualia verba omittuntur ab irato, et eo, qui re et facto consilium declarat. Cf. ad XXII, 50, n. 2. — *Quicumque* ne quis acceperit pro *quisque*: sed et III, 37 extr. *quidquid* (capitum) est omne, unumquodque; Baur. Ceterum de hac *vulgatiore fama*, quae ficta tantum erat Romuli excusandi causa, v. Cic. Offic. III, 10. Remum tamen a Fabio tribuno Celerum caesum fuisse alii tradunt. Cf. Dionysium Halic. lib. I, 86, 87, qui etiam Faustulum obtruncatum dicit, quum rixam pugnamque fratrum dirimere voluerit.

ROMULI REGNUM. ROMA CONDITA. —De anno conditae urbis doctiss. Ruperti mirum silentium necessarie supplendum est; quare petemus ea quae nobis suppeditat Creverius: «Ex Catonis sententia, Roma condita est ipsis Palilibus, XI Kalend. Maii anni 1, Olympiadis VII, ante Christum 751. Mirum profecto hic non indicasse Livium, quot annos existimaret ab urbe condita ad sua tempora elapsos esse. Quid de ea re noster scriptor senserit, expendit doctissimus Dodwellus, diss. X de Cyclis Romanorum: et eum Catonianam aeram sequutum fuisse, quae Varroniana duobus annis brevior est, probare nititur. Dodwellum sequutus est in sua Livii editione vir multiiugae eruditionis Io. Clericus; nos Clericum.» LEM.

titus imperio Romulus: condita urbs conditoris nomine appellata. Palatium primum, in quo ipse erat educatus, muniit: sacra Diis aliis albano ritu, graeco Herculi [5], ut ab Evandro instituta erant, facit. Herculem in ea loca, Geryone interempto, boves mira specie abegisse memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua, prae se armentum agens, nando traiecerat, loco herbido, ut quiete et pabulo laeto reficeret boves, et ipsum fessum via procubuisse. Ibi quum eum, cibo vinoque gravatum, sopor oppressisset, pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus

5. *Graeco ritu Herculi sacra facit*; cf. Macrob. Sat. III, 6, et Dionys. I, 11. Fabula Italorum domestica de *Caco* et *Hercule* ab historicis et poëtis varie ornata est. Cf. Dionys. I, 39, 40; Virg. Aen. VIII, 184–305; Macr. Sat. III, 6, 7; Cassius et libri Pont. ap. Aurel. Vict. aliumve auctor. Orig. Gent. Rom. c. 6–8; Ovid. Fast. I, 543 sq.; Prop. IV, 9. Quae etiam loca class. sunt de *Potitiis et Pinariis*, atque *Ara maxima*, in honorem Herculis, ob caedem Caci, prope forum Boarium (hod. *Campo Vaccino*, in quo etiam fuere aedes Herculis Victoris et statua triomphalis eidem ab Evandro sacrata, de quibus v. Liv. X, 23, et Plin. XXXIV, 7, s. 16; XXXV, 4, s. 7) ab Evandro vel ipso Hercule (v. Ovid. Fast. I, 581, et infr. IX, 29, 34, ubi Livius, alios forte auctores secutus, sacra haec ab ipso deo instituta dicit; cf. not. 11, et ad I, 55, n. 4) exstructa, ad quam, tanquam sanctissimam, iuramenta et pacta usque ad tempora Neronis, quibus cum fano Herculis exusta est (v. Tac. Annal. XV, 41); sacra autem *graeco ritu* fieri solebant et hinc capite non velato, ut in sacris romanis (v. Virg. Aen. III, 403 sq.), sed aperto, de quo v. Macrob. III, 7 extr. Dionysius tradit, aram ab Hercule Patri vel Iovi Inventori, aram vero maximam ab Evandro Herculi positam esse: utramque vero eandem facit auctor Origin. Rom. De *Geryonis* tricipitis vel tricorporis armentis ex Erythia (Gadibus, vel potius insula prope Gades sita, ubi mira pascuorum ubertas erat) ab Hercule abactis, vid. Heyn. ad Apollod. II, 5, 10. Ceterum Herculis numen variis Italorum mythis insertum, et fama Italiae ab eo peragratae servata est multis fabulis et monumentis seu vestigiis ubique ostentatis, v. c. Herculis portu, promont. Herculeo, Heraclea et Herculano oppidis. Cf. Heyn. ad Virg. Aeneid. VIII, 202, et Exc. XIV ad Aen. III. Livium multis verbis retulisse fabulosa de Hercule eiusque ara maxima et colloquio cum Evandro, et contra silentio praetermisisse leges a Romulo latas aliaque longe magis necessaria, valde improbat Glar. Sed gravitas priscarum mythicarumque narrationum, in pr. de Marte et Hercule, ad Romanorum aetatisque Livianae iudicium est exigenda. Cf. Heynii Disq. II Virg. Aen. praemissa ipsaque Livii praefatio.

pulchritudine boum, quum avertere [6] eam praedam vellet, quia, si agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia quaerentem dominum eo deductura erant, aversos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis in speluncam traxit. Hercules, ad primam auroram somno excitus, quum gregem perlustrasset oculis, et partem abesse numero sensisset, pergit ad proximam speluncam, si forte eo vestigia ferrent. Quae ubi omnia foras versa vidit, nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi, ex loco [7] infesto agere porro armentum occoepit. Inde quum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit: quem

6. *Avertere praedam*, facere et abigere, ut XXXVII, 8 extr. Similiter *avertere pecuniam* VI, 14; XXXIII, 47. Furto abigere (gall. *détourner*) et per fraudem in rem suam convertere, νοσφίζεσθαι. Sed alio sensu mox Livius dixit *aversos boves*, conversos, circumactos et retro actos, ut ἴχνη ἀποστρέψας de simili fraude Mercurii, ad Cacum translata, in Hom. H. in Merc. v. 76. *Aversos boves* et quidem *eximium quemque p.*, ut XXI, 32, n. 8, et XXXV, 34, n. 3. *Aversas boves*, *eximiam quamque* suspicari possis, quia Livius paulo post dixit *actae boves quaedam . . . relictarum et inclusarum boum*. Sed in talibus non est argutandum, et *boves*, ut *cerva*, *canis*, *leo*, *equa*, ἡ ἔλαφος, ἡ ἵππος, πάρδαλις, κύων, ἄρκτος etc. promiscue de utroque sexu dicuntur: unde alii Geryonis boves masculos, alii feminess, et Diomeden alii equis, alii equabus suis ab Hercule obiectum, memorant. Illa tamen coniectura firmari potest eo, quod ita aequalitas dictionis restituitur, et veteres scriptores, praecipue graeci, in his saepius femin. genere utuntur.—*Agendo compulisset* pleonasmi species; sed non est: nam *agendo* opponitur *averso*: unde est, quasi cum emphasi, more solito prae se agendi adversos capite in locum verso, quo essent agendi; Baur.—*Ad primam auroram*, v. ad c. 6, n. 1. — *Pergit* v. ad c. 6, n. 1.

7. *Ex loco infesto* pass. sensu pro infestato, ut VI, 5, n. 2, et X, 46, n. 4; et hinc intuto, insidiis, obnoxio, ut c. 47 pr. II, 11, 59 (ubi *tuta* opponuntur *infestis*); IX, 37, n. 10.—*Ad desiderium*, propter desiderium vel desiderio, *relictarum mugissent*, ut *ad metum concedere* II, 45; *ad vocem terroremve moveri* V, 46; *ad consilia trepidare* III, 49, pro quo *trepidare consiliis* dicitur II, 28 pr. et VI, 35. Cf. ad I, 34, n. 5; IV, 17, n. 5, et IX, 39, n. 1.— *Vox Herculem convertit*, advertit, fecit ut conversus staret et attenderet, Bauer.

quum valentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset; ictus clava, fidem pastorum nequidquam invocans, morte occubuit. Evander [8] tum ea, profugus ex Peloponneso, auctoritate magis quam imperio regebat loca: venerabilis vir miraculo literarum, rei novae inter rudes artium homines; venerabilior divinitate credita Carmentae matris, quam fatiloquam, ante Sibyllae in Italiam adventum, miratae hae gentes fuerant: is tum Evander, concursu pastorum trepidantium circa advenam manifestae reum caedis excitus, postquam facinus facinorisque causam audivit, habitum [9] formamque viri aliquantum ampliorem augustioremque humana intuens, rogitat, qui vir esset? Vbi nomen patremque ac patriam accepit, *Iove nate, Hercules, salve*, inquit: *te mihi mater, veridica interpres deum, aucturum caelestium numerum cecinit; tibique aram* [10] *hic dicatum iri, quam opulen-*

8. *Evander. . . venerabilis vir miraculo literarum*, qui literas, rem feris hominibus, quales tum circa Tiberim habitabant, *mirabilem*, secum attulisse ferebatur, ut et musicam aliasque artes et vitae humanioris instituta (vid. Dionys. I, 33), in his artem vaticinandi. *Carmenta* eius *mater*, *fatiloqua*, vates ad quam antiquissima Italorum vaticinia, s. carmina referri solebant, et cui varia tribuuntur nomina ab arte petita, *Carmenta*, seu Carmentis, *Themis*, *Nicostrata*, *Porrima* et *Postverta*, s. *Postvorta*. Eam nonnulli edidere nympham et Mercurii coniugem (unde h. l. ei tribuitur *divinitas*, nisi potius hac voce ars sola vaticinandi designatur), araque ei dicata est ad radices Capitolii, quam sub portam *Carmentalem* se vidisse dicit Dionys. quem vide I, 31, 32. Conf. Heynii Exc. I, et not. ad Virgilii Aen. VIII, 51 sq. et 334 sq. Memorantur etiam *Carmentalia* sacra, *Carmentis aedes*, ad radices Capitolii (v. inf. V, 47 pr. Ovid. Fast. I, 629; Plut. t. II, p. 278, et Dionys. l.); *Carmentis*, seu *Carmentalis porta*, et *flamen*, h. e. sacerdos. — *Ante Sibyllae in Italiam adventum*, vid. Heynii Ex. V, ad Virg. Aeneid. VI.

9. *Habitum formamque viri aliquantum*, aliquanto, multo (v. ad II, 39, n. 1), *ampliorem augustioremque humana*, secundum notam illam fidem opinionemque de diis et priscis quoque hominibus heroibusque; v. ad. Sil. VI, 426, et XV, 21. — *Salve*, ut gr. χαῖρε, voc. pietatis et honoris, quo compellatur, cuius favorem expetimus, sive sit deus, sive homo, et res divino honore colenda. Conf. c. 16. — *Cecinit*, vaticinata est, ut V, 15 pr. et al. nam vaticinia primum versibus comprehendebantur.

10. *Aram Maximam*, v. not. 5. —

tissima olim in terris gens Maximam vocet, tuoque ritu colat. Dextra Hercules data, *accipere* [11] *se omen impleturumque fata, ara condita atque dicata*, ait. Ibi tum primum bove eximia capta de grege, sacrum Herculi, adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis ac Pinariis, quae tum familiae maxime inclytae ea loca incolebant, factum. Forte ita evenit, ut Potitii ad tempus praesto essent, iisque exta [12] apponerentur; Pinarii, extis [13] adesis, ad ceteram venirent dapem. Inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solemnium vescerentur. Potitii, ab Evandro edocti, antistites sacri eius per multas aetates fuerunt: donec, tradito servis publicis solemni familiae ministerio, genus omne Potitiorum [14] interiit. Haec

Tuo ritu, a te instituto, vel tibi conveniente et grato. Cf. not. 5, et Ovid. Fast. IV, 660.

11. *Accipere se omen* divinitatis, ut V, 55, et IX, 14; nam veteres putabant, *omina ostentaque in hominum potestate esse, ac, prout quaeque accepta essent, ita valere* (Plin. XXVIII, 2, s. 4), adeoque vel impleri et evenire, vel eludi et averti, si homines indicarent facto aliquo aut dicerent, *se omen vel accipere vel non accipere*. Quo etiam spectant tum formulae *omen dii avertant* et *dii averruncent*, tum deprecationes et imprecationes, quibus superstitiosi homines tristia omina a se et in alios verti posse credebant. Omen tamen h. l. heros vel deus ipse accipit *impleturus fata*, h. e. perfecturus, ut Carmentae praedictio eveniat, ut VIII, 6. « *Implere fata*, reddere praedicta, eventum praedictis; duo notat simul: active, facere quod sit in fatis; passive, subire, accipere exitu. *Ara condita atque dicata*, aut ab ipso Hercule, aut ab Evandro; utroque enim auctores trahunt: qui coniungi facile poterunt, si, iussu et auctoritate Herculis fecisse Evandrum, dixerimus. » Bauer. Cf. not. 5. — Mox *inclytae* reposui pro *inclitae*; vid. ad XXII, 4, n. 1.

12. *Exta apponebantur* heroicis temporibus in epulis sacris, et quidem primum (v. Hom. Il. I, 459 sq.; II, 426 sq.), posteriori aevo diis cremabantur. *Apponi*, ut παρατίθεσθαι, de ferculis in mensam illatis, vid. Drak. ad XL, 59, n. 8.

13. *Extis adesis*, comesis, *ad ceteram venirent dapem*, ad victimae carnes, quae non adolentur. Sic ap. Sueton. Aug. I, *reliquiae* opponuntur *extis Marti redditis*. — *Extis solemnium*, sc. sacrorum, s. sacrificiorum, in his solemnibus mactatorum. « Exta sunt carnes victimarum, quibus vescerentur convivae, non quod diis offerretur et redderetur, sed tamen pars et reliquiae victimarum, ut apud Virg. Geor. II, 396. » Bauer.

14. *Genus omne Potitiorum inter-*

tum sacra Romulus una ex omnibus peregrina suscepit; iam tum immortalitatis virtute partae, ad quam eum sua fata ducebant, fautor.

VIII. Rebus divinis rite perpetratis, vocataque ad concilium multitudine, quae coalescere [1] in populi unius corpus nulla re, praeterquam legibus, poterat, iura dedit: quae ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset, quum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim sumptis, fecit. Alii ab numero avium, quae augurio regnum portenderant, eum sequutum numerum putant. Me haud [2] poenitet

it, postqoam ab Ap. Claudio pecunia corroptum sacra *servis publicis* prodiderat; v. IX, 29 et 34; Cic. Nat. Deor. II, 4; Vict. Orig. Gant. rom. 8; Macrob. Sat. III, 6. — *Sacra una*, unica, sola, *suscepit*, recepit, iostituit, induxit, ut *suscipere religionem* ap. Cic. Verr. IV, 16.

Cap. VIII. 1. *Coalescere in populi unius corpus*, v. ad c. 11, n. 2. — *Iura dedit*, sc. multitudini: sed rotundius dixisset *vocatae ad conc. multitudini*; Bauer. — *Quae ita sancta fore*, h. e. tum demum, ut XXI, 13, 17; XXIV, 38; XXVI, 24; XXIX, 3; XXX, 37; XXXVI, 4. — *Ab numero avium*, ex eo, propter illum. — *Sequutum numerum*, amplexum esse, tenuisse, praetulisse; Bauer.

2. *Me haud poenitet eorum sententiae esse* (quod verbum etiam abesse poterat), mihi placet, lubet, rectum videtur; Bauer. Cf. ad II, 54, n. 16. — *Et apparitores et hoc genus ministrorum*, scilic. lictores. Sed potius *apparitores hoc genus* (hoius generis, sive hoc genus apparitorum, qui lictores vocantur) cum Iac. Gron., vel *et apparitorum hoc genus* legendum videtur. Nam *apparitores* dicuntur omnes ministri, qui magistratui *apparent*, h. e. ministerio suo praesto sunt, vel adsunt, si forte quid iubeatur, lictores (qui hac voce etiam comprehenduntur I, 49, et IV, 14), viatores, scribae etc. (unde Flavius scriba *apparens aedilibus* IX, 46, n. 3; Gell. VI, 9, et *apparitor* scriba Verris ap. Cic. Verr. II, 3, 78), et *apparitores* quidem haud dubie iam albanis fuere regibus, non vero, Livio iudice, *lictores*. Vulgatam lect. defendit Baoer. putans, *lictores* et *apparitores* semper distingui, et lictores quidem I, 49, haud dubie nua esse intelligendos, sed aliam h. l. rationem esse, ubi de his ministris data opera loquens Livius propria vocabula adhibere ac distinguere debuerit. Idem tamen concedit, *apparitores* generis nomen esse, cui *lictores* subsint; eosque non semper distingui, ex supra dictis patet. — *Sella curulis*, qua primum reges, deinde magistratus maiores, qui inde *curules* dicti sunt, utebantur. Ortus vulgo creditur hic mos inde, quod senatores prisci, iure evocati, curribus venerint ad curiam,

eorum sententiae esse, quibus et apparitores et hoc genus ab Etruscis finitimis, unde sella curulis, unde toga praetexta sumpta est, numerum quoque ipsum ductum placet: et ita habuisse Etruscos, quod, ex duodecim populis communiter creato rege, singulos singuli populi lictores dederint. Crescebat interim urbs, munitionibus [3] alia atque alia appetendo loca, quum in spem magis futurae multitudinis, quam ad id, quod tum hominum erat, munirent. Deinde, ne vana urbis magnitudo esset, adiiciendae multitudinis causa, vetere consilio condentium urbes, qui, obscuram [4] atque humilem conciendo ad se multitudi-

et inde domum redierint. De forma sellae vid. intpp. Sueton. Aug. 44, et Spanhem. diss. X de usu et pr. num. — *Toga praetexta*, vid. ad XXII, 57, n. 10. — *Ita*, hunc numerum, *habuisse Etruscos, ex XII populis*, s. civitatibus principibus, in quos primum Etruria omnisque regio circumpadana ab Etruscis, trans Apenninum late omnia tenentibus, descripta fuit (v. ad IV, 23, n. 4), *communiter creato rege*, qui propr. *Lucmo*, s. *Lucumo* dicebatur, et στρατηγὸς Plutarc. Qu. Rom. p. 275, D. Cf. V, 33; Polyb. II, 17, et de Etruscorum, s. Tuscorum (qui perperam Tyrrheni dicuntur Graecis et a Lydia repetuntur) antiquitate, origine ultra Alpes quaerendo, et civitatibus Heyn. Exc. III ad Virg. Aen. VIII; Exc. I ad Aen. X, et Op. Ac. t. V, p. 502 sq. Lictores aliaque regum consulumque rom. insignia quidam Romuli, alii Tulli Hostilii, plurimi vero Tarquinii Prisci temporibus, et quidem vel a Tarquiniis, illius Tarquinii patria (v. Strab. V, p. 152, al. 336), vel a Vetulonia (v. Sil. VIII, 484 sq.), Romam translata, vel ab Etruscis generatim sumpta tradunt; v. Dionys. III, 61, 84; VIII, 44 (ubi aliis etiam Latii gentibus ea in usu fuisse docet); Flor. I, 5; Plin. VIII, 48; IX, 39. De numero *lictorum* v. ad II, 1, n. 11.

3. *Munitionibus alia atque alia loca appetendo*, aedificantibus ea attingentibus, occupantibus et urbi adiungentibus; extentis paulatim latius munitionibus. — *Ad id, quod tum hominum erat*, ad praesentem hominum multitudinem. — *Vana magnitudo urbis*, inutilis, si sine incolis esset. *Vana* dicuntur omnia, quae speciem habent inanem, vel plus in specie, quam in re. Cf. ad IV, 37, n. 4; IX, 9, n. 12; X, 29, n. 1; XXIV, 32, n. 1; XXVII, 26, n. 1, et XXXIV, 12, n. 2.

4. *Qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem ementiebantur*, γηγενεῖς dicentes, quorum ignota vel obscura esset origo: unde etiam nata forsan fabula de Cadmo, nota ex Ovidii Met. III, 101 sq. *Conciendo* pro *concientes*, immo, quum concivissent (neque enim *conciendo ementiebantur*), ut c. 5, n. 9, *comparando* pro

nem, natam e terra sibi prolem ementieban tur, locum, qui nunc septus [5] descendentibus inter duos lucos est, Asylum aperit [6]. Eo ex finitimis populis turba

comparanti; II, 9 pr., *miscendo orabant* pro *miscentes*, vel miscebant et orabant; II, 32, *sumendo sese tenuere* pro *sumentes*, vel ita ut sumerent; Bauer. Cf. ad III, 49, n. 4; III, 53, n. 6; IV, 2, n. 8; XXI, 34, n. 3; XXII, 3, n. 5; XXII, 14, n. 5; XXX, 13, n. 1; XXXVIII, 16, n. 3; XL, 54, n. 6.

5. *Locum, qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est*, obscura verba, quae, distinctione vel ante, vel post *descendentibus* posita, varie explicari posse iam monuit Stroth., vel sic: qui nunc septus est (nam *nunc* non nisi ad *septus* referendum), et ita situs, ut, qui a Capitolio in eum descendere velint (nam asylum in valle fuisse docent Strabo V, et Dionys. II, 15), ad utrumque latus lucum habeant (similiter Gron. et Bauer.: qui occurrit, et conspicitur iis, qui inter duos lucos descenderint; ut fere τοὺς ὑπερβάντι Αἷμον Γέτας, i. e. ad quos venturus erat, ubi Haemum superasset, ap. Thucyd. II, 96 pr.; ἐπελθοῦσι δέ εἰσι βωμοὶ Ποσειδῶνος καὶ ἥρωος Βούτου ap. Pausan. I, 26, 6; καταβᾶσι δὲ πηγή τε ὕδατος ἔστι ibid. I, 28; καταβάντι ἐς τὸ πεδίον Ἱππόδρομος ἔστι ibidem X, 37, 4; *porticus dextrae subeuntibus* ap. Tac. Hist. III, 71, ubi etiam de *luco Asyli*, unde via in Capitolium fuit, agitur, et similia inf. XXIII, 12 pr. XXXII, 4, n. 1; XLII, 15, n. 4; Suet. Vesp. 1; Strab. IX, 1, 2 extr. p. 391; IX, 1, 22 pr. p. 398 extr. Pausan. III, 15, 4; VII, 3, 1; VIII, 3, 2; VIII, 13, 3; VIII, 17, 5. Cf. Siebelis ad Ἑλληνικὰ, quae edidit, p. 155 et 228); vel ita: qui nunc septus est, ne quis in eum descendat (Gron. descendentibus inter duos lucos nunc septo clausus obstat et circumeundus est; sed tum (*descensuris* leg. putabat Doer.) et *inter duos lucos* appellatur. Conf. Dio XLVII, p. 338, qui Asylum dicit ita septum esse, περιφραχθῆναι, ut nemo intrare queat, et Dionys. II, 15, cuius verba sunt: τὸ μεταξὺ χωρίον τοῦ τε Καπιτωλίου καὶ τῆς ἄκρας, ὃ καλεῖται νῦν κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον μεθόριον δυοῖν δρυμῶν, h. e. *inter duos lucos*. Idem deinde docet, Romuli temporibus locum a re ipsa sic recte appellatum, quum ad utrumque latus tunc habuerit lucum, quod postea secus fuerit. Ceterum in edd. antt. pro *descendentibus* non male legitur *densis sentibus*, quod loco Dionis firmatur. — Paris. Codex habet *descendentibus*, et mox pro *lucos* quod etiam nunc facile legitur, manus secunda male correxit *lacus*. Lem.

6. *Locum Asylum aperit*, facit. Ad hoc Asylum non solos confugisse latrones, vel maleficos, servos et obaeratos, sed Albae potissimum aliarumque vicinarum civitatum incolas, seditionibus exactos aut fortunae suae obiratos, talesque etiam Romae conditores fuisse primosque cives, satis nota res est. Cf. Dionys. I, 4, 88, et Zimmermanni comm. de primis urbis Romae incolis Darmst. 1804. Ceterum asyla, etsi ob securitatem civium inventa, ei tamen, ut alia instituta, magis perniciosa fuere, quam accommodata: neque etiam ullum, praeter Romuleum, Romae exstructum legimus; sed templa ibi fuere asyla, et postea imperatorum statuae atque imagines. Cf. ad Tac. Ann. III, 36,

omnis sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit: idque primum [7] ad coeptam magnitudinem roboris fuit. Quum [8] iam virium haud poeniteret, consilium deinde viribus parat: centum creat senatores, sive quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant, qui creari Patres possent. Patres [9] certe ab honore, patriciique progenies eorum appellati.

IX. Iam res romana adeo erat valida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par esset; sed, penuria mulierum [1], hominis aetatem duratura magnitudo erat; quippe quibus nec domi spes prolis, nec cum finitimis

60 sq.; Suet. Tib. 37, et de asylis eorumque iure in graecis civitatibus Spanhem. de usu et pr. num. Diss. IX, p. 666, qui hoc ius non templis tantum, sed urbibus etiam toties insulisqoe fuisse docet. Coll. Liv. XXXV, 51; XLIV, 29; XLV, 5.

7. *Idque primum roboris*, virium, *fuit*, prima populi incrementa.

8. *Quum iam virium*, aperto asylo, auctarum, *haud poeniteret* Romulum, quum iam satis virium habere sibi videretur (v. ad II, 54, n. 16), *consilium viribus parat*, circumspexit eos, qui consulerent his viribus easque regerent: nam *Vis consilii expers mole ruit sua*, Hor. Od. III, 4, 65. Minus apte Bauer. verbum *parat* exponit: parem facit, aequat, h. e. facit, ut par sit consilium viribus, ut non minus consilii suppetat, quam virium. Vox *viribus* forte ex glossa irrepsit pro *iis*. Cf. ad I, 3, n. 8.

9. *Patres* et *senatores* non tam *ab honore appellati* quam ab aetate et prudentia maiore (inf. c. 32, *maiores natu consulemus*, Patres: unde et Poeni *seniores* vocabant *senatum*; v. XXXIV, 61 extr.), vel quoniam a plebe tanquam patres sunt colendi, et illa ab iis tanquam a patribus defendenda; unde *patrocinium* dictum et *patrocinari*. Cf. ad I, 32, n. 9; Plut. Rom. p. 24, et Cic. de sen. 6. Cur et quomodo *centum creati sint*, docet Dionys. II, 12. Singulae et tribus et curiae ternos legerunt viros, quibus nonaginta novem Romulus unum adiecit. Ceterum Sigonius conj. *qui ciere patres* (*s. patrem*) *possent*, h. e. qui essent ingenui. Cf. X, 8 extr. et Dionys. ac Plut., qui eandem memorant causam: ὅτι πατέρας εἶχον ἀποδεῖξαι μόνοι. Enimvero non cur vocati *Patres* sint, sed, cur centum utique creati, disputat Livius; Bauer.

Cap. IX. 1. *Penuria mulierum* unde tanta esse potuerit, vix assequaris, et fabulosus est raptus Sabinarum, qui inde ortus dicitur. Dionys. II, 31, has eam potissimum ob causam raptas putabat, ut vicinae civitates amicitiam cum Romanis contrahere cogerentur. — *Legatos circa vicinas gentes misit*, ad vicinas gentes, quae circa erant, s. omnes; Ern. coll. Flor. III, 19; IV, 12, et Graev. ad Cic. Agr. I, 7; v. sup. ad I, 4, n. 11.

connubia essent. Tum ex consilio Patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit, qui societatem connubiumque novo populo peterent: *Vrbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci; deinde, quas sua virtus ac dii iuvent, magnas opes sibi magnumque nomen facere. Satis* [2] *scire, origini romanae et deos adfuisse, et non defuturam virtutem: proinde ne gravarentur homines cum hominibus sanguinem et genus miscere.* Nusquam benigne legatio audita est: adeo simul spernebant, simul tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant. A plerisque rogitantibus dimissi, *Ecquod* [3] *feminis quoque asylum aperuissent? id enim demum compar connubium fore.* Aegre id romana pubes passa, et haud dubie ad vim spectare res coepit: cui tempus locumque aptum ut daret Romulus, aegritudinem animi dissimulans, ludos ex industria parat, Neptuno Equestri [4] solemnes: Consualia vocat. Indici

2. *Satis scire* gentes vicioas, *origini rom. deos adfuisse*, deos iuvasse originem et repentina iocremeota Vrbis. — *Simul... simul*, ἅμα μὲν, ἅμα δὲ, tum, tum. — *A plerisque rogitantibus dimissi*, v. ad XXIV, 6, n. 3.

3. *Ecquod asylum* etc., oom, s. an aliqood feminis qooque asylum ete. Ita passim *ecquis* et *ecquando* dicitur: sed *acquid* etiam saepe simpl. pro *num*, s. *an*, ot IV, 3, et XXVII, 10, ubi v. Drak. — *Haud dubie*, sioe dobitatiooe, baesitatiooe (ut X, 13, n. 9), vel (ot XXXVII, 18, n. 4), sioe omoi dubio, omnino, vel manifesto, *ad vim spectare res coepit*, teodere. Sie passim *spectare aliquid* et *ad aliquid* (ut forte *intueri ad* XXXVI, 45, n. 6), est vel tendere, vel moliri, eircumspicere, animo agitare, parare. Cf. ad I, 34, o. 5; I, 47 pr. (*ab scelere ad aliud*, vel, ut vulgo legitor, *aliud spectare mulier scelus*) VI, 33, o. 1; XXIII, 6, n. 2; XXV, 3, n. 16; XXXIV, 56.

4. *Neptunus Equester*, Ποσειδῶν ἵππιος vel ἱππεῖος et δμητὴρ ἵππων (Hom. Hymo. 5), quae forte epitheta curamque equorom (v. Hom. Il. VIII, 440 sq.; XXIII, 277 sq.; Pind. Ol. I, 124, 140; V, 50, et Pyth. II, 23; Pausao. VII, 21) prisca ei tribuit lingua, quae navem ob similem motum equo vel curruí comparabat: uode postea et primom equum procreasse fingebatur. Cf. Heio. ad Apollod. III, 14, 1; ad Virg. Geor. I, 12 sq., et Aen. I, 147, 156; Gierig. ad Ov. Met. VI, 75 sq. intpp. Phaedr. I, 12, 9. — Idem Neptuous dictus Romanis *Consus* (uode *Consualia* ludi, qoi postea Circeoses a eirco maximo appellati), quo oomine alii potant designari ἵππιον, equestrem (non adiecta ratione), alii

deinde finitimis spectaculum iubet: quantoque apparatu tum sciebant, aut poterant, concelebrant, ut rem claram expectatamque facerent. Multi mortales convenere, studio etiam videndae novae urbis; maxime proximi quique, Caeninenses [5], Crustumini, Antemnates. Iam Sabinorum omnis multitudo, cum liberis ac coniugibus, venit. Invitati hospitaliter per domos, quum situm moeniaque et frequentem tectis urbem vidissent, mirantur, tam brevi rem romanam crevisse. Vbi spectaculi tempus venit, deditaeque [6] eo mentes cum oculis erant, tum ex [7] composito orta vis: signoque dato, iuventus romana ad rapiendas virgines discurrit. Magna pars forte, ut in quem quaeque inciderat, raptae; quasdam forma excellente, primoribus Patrum destinatas, ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant. Vnam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem a globo Talassii [8] cuiusdam raptam ferunt; multisque sciscitan-

concussorem, Σεισίχθονα, alii deum *consiliorum*, vel consiliorum *consorum*, h. e. conditorum, absconsorum, secretorum; quare et aram dei subterraneam fuisse monent; v. Plut. Qu. Rom. 48, et Dionys. II, 5, 31. *Ludos Consualia vocat*, v. ad II, 21, n. 1. Iidem forte ludi postea dicti *Magni*, *Maximi*, *Romani* (romanae originis, non ab aliis populis petiti); et *Circenses*, qui in circo maximo agebantur, et postea etiam in scena; nisi voces *scenici* et *scena* XXXI, 4, n. 5, et XXXIII, 25, n. 1, ad *ludi* tantum referendae, ut XLII, 10, n. 5: *scenicos ludos per quatriduum, unum diem in circo fecit*.

5. *Caeninenses*, *Crustumini*, *Antemnates*, quibus Fidenates adiungit Plut. Rom. 27; de quibus inf. c. 14, 15.

6. *Deditaeque eo mentes*, h. e. ad id, pro *illi rei*, vel *deditae* pro versae, attentae, intentae; Bauer. Sed vix dubito quin legend. sit *ei*, sc. spectaculo.

7. *Ex composito*, id. q. *de comp.*, ut convenerat. Exempla laudavit Drak. Sic et *ex* vel *de compacto*, et simpl. *compacto* V, 11.

8. *Talassius* (al. Talassio, Talassus, Thalassius, Ταλάσιος), nobilis iuvenis, dux militiae rom. et patronus turbae plebis, acclamantis ei et gratulantis de eximia virgine: unde postea in *nuptialibus* carminibus rom. cani solitum *Talassie*, *Talassie*, ut in graecis Ὑμήν, ὦ Ὑμέναιε. Conf. Plut. l. l. et in Qu. Rom. 30; it. Fest. v. *Talasio*, quod nomen etiam a ταλασία, lanificio, vulgo deducitur. Raptas autem DCLXXXIII virgines esse, tradit Dionys. II, 30, 9. — *Violati hospitii*

tibus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talassio ferri clamitatum. Inde nuptialem hanc vocem factam. Turbato per metum ludicro, moesti parentes virginum profugiunt, incusantes violati hospitii foedus, deumque invoçantes, cuius ad solemne ludosque, per fas ac fidem decepti, venissent. Nec raptis aut spes de se melior, aut indignatio est minor: sed ipse Romulus circuibat, docebatque *patrum id superbia factum, qui connubium finitimis negassent; illas tamen in matrimonio, in societate fortunarum omnium civitatisque, et, quo nihil carius humano generi sit, liberum fore. Mollirent modo iras; et, quibus* [9] *fors corpora dedisset, darent animos. Saepe ex iniuria postmodum gratiam ortam: eoque melioribus usuras viris, quod annixurus pro se quisque sit, ut, quum* [10] *suam vicem functus officio sit, parentum etiam patriaeque expleat desiderium.* Accedebant blanditiae virorum, factum purgantium cupiditate atque amore: quae maxime ad muliebre ingenium efficaces preces sunt.

X. Iam admodum mitigati animi raptis erant. At raptarum parentes tum maxime sordida veste, lacrymisque, et querelis civitates concitabant. Nec domi tantum indignationes continebant, sed congregabantur undique ad Titum [1] Tatium, regem Sabino-

foedus, v. ad c. 1, n. 6. — *Per fas ac fidem decepti*, v. ad XXXVIII, 25, n. 7, et cf. XLII, 47 pr.

9. *Quibus fors corpora dedisset*, h. e. fortuitus raptus. Male alii *sors* legunt; v. ad Tac. Ann. XIV, 5, 7.

10. *Vt*, *quum* in, s. ad *suam vicem* (quod ad vicem suam attineret, sua vice, suo loco, ut III, 36; XXVIII, 19, 43; XXXIV, 32) *functus officio sit* mariti, *parentum patriaeque desiderium* raptis non modo leniat, sed plane *expleat*, h. e. efficiat, ne ulla raptarum eos desideret, eorum desiderio afficiatur.

Cap. X. 1. *Titum Tatium*, qui Curibus regni sedem habebat. — *Legationes eo conveniebant*, ad eum. — *Ipsi* itaque *inter se tres populi* etc. Mox *ne Crustumini quidem* (h. e. et vel *etiam ne* c. 9) plerique libri, improb. Drak. Sed v. ad Tacit. Annal. IV, 35, 4.

rum: et legationes eo, quod maximum Tatii nomen in his regionibus erat, conveniebant. Caeninenses Crustuminique et Antemnates erant, ad quos eius iniuriae pars pertinebat. Lente agere iis Tatius Sabinique visi sunt: ipsi inter se tres populi communiter bellum parant: ne Crustumini quidem atque Antemnates, pro ardore iraque Caeninensium, satis se impigre movent. Ita [2] per se ipsum nomen Caeninum in agrum romanum impetum facit. Sed effuse vastantibus fit obvius cum exercitu Romulus, levique certamine docet, vanam sine viribus iram esse: exercitum fundit fugatque: fusum persequitur: regem in proelio obtruncat et spoliat: duce hostium occiso, urbem primo impetu capit. Inde exercitu victore reducto, ipse cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor, spolia ducis hostium caesi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit [3], ibique ea quum ad quercum pa-

2. *Ita* (itaque, v. ad I, 5, n. 7) *per se ipsum*, solum, suo unius nomine, *Caeninum nomen*, popolus, omnes Caeninenses, quidquid eorum fuit, ut *nomen latinum, hernicum, romanum, etruscum* etc. Sic et τὸ Θηβαίων ὄνομα apud Aeschin., et similia alibi. Conf. Dionys. II, 37, qui Romulo ex Etruria et Alba ab avo auxilia missa, eique exercitum XX mill. pedit. et DCCC equitum, Sabinis vero maiores etiam copias fuisse, parum probabiliter tradit.

3. *In Capitolium ascendit*, v. ad c. 11, n. 4. — *Simul cum dono*, praeterquam quod ea arma Iovi donabat, etiam *designavit templo Iovis fines*; Bauer. — *Iupiter Feretrius* sic dictus a *feretro* (quod paulo ante rectius forte pro *ferculo* in codd. quibusdam legitur), vel quoniam spolia humeris victoris Iovi *ferebantur*. Alias causas afferunt Prop. IV, 10, et Plut. in Romulo, p. 27, et in Marcello. — *Opimis spoliis*, h. e. *opulentis*, magnificis et amplis, sic dictis ab *ope*, abundantia et copia, vel ab *Ope*, sive Tellure Dea, i. e. summa vi. Ea vero sola spolia sic dicta, quae capta erant non modo a duce romano vel quovis alio, etiam gregario milite (v. Varro apud Fest.), qui ducem hostium interemerat, sed etiam in acie, et prima omnium, antequam alius quisquam aliud ex hoste spolium cepisset: unde κατακρηστικῶς ita appellatur XXIII, 46 extr. Prima relata sunt a Romulo de Acrone Caeninensium rege; secunda ab Vrb. 318, ab A. Cornelio Cosso de Larte Tolumnio Veientium rege; tertia ab Vrb. 532, a M. Claudio Marcello de Viridomaro Gallorum

storibus sacram deposuisset, simul cum dono designavit templo Iovis fines, cognomenque addidit deo: *Iupiter Feretri*, inquit, *haec tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico, sedem opimis spoliis, quae, regibus ducibusque hostium caesis, me auctorem sequentes, posteri* [4] *ferent.* Haec templi est origo, quod primum omnium Romae sacratum est. Ita deinde diis visum, nec irritam conditoris templi vocem esse, qua laturos ea spolia posteros nuncupavit: nec multitudine compotum eius doni vulgari [5] laudem. Bina postea, inter [6] tot annos, tot bella, opima parta sunt spolia; adeo rara eius fortuna decoris fuit!

XI. Dum ea ibi Romani gerunt, Antemnatium exercitus per [1] occasionem ac solitudinem hostiliter in fines romanos incursionem facit. Raptim et ad hos romana legio ducta palatos in agris oppressit. Fusi igitur primo impetu et clamore hostes: oppidum ca-

doce. Cf. ad IV, 20, n. 1 sq., et Periz. anim. hist. c. 7. Ceterum h. l. *Capitolium* per prolepsin dictum. Cf. ad c. 34, n. 14.

4. *Posteri ferent*, qui post me erunt eiusdem ordinis, successores in summo imperio, sive reges, sive imperatores.

5. *Vulgari laudem*, vulgarem fieri; v. ad II, 29, n. 5.

6. *Inter tot annos* opt. MSS. et edd. antt. Alii *intra*, improb. Gron. cuius nota est: « *Intra* est finitio temporis non ultra excurrentis: nam tres istae voces *intra*, *citra*, *ultra* certos locorum fines proprie demonstrant. Itaque *intra tot annos* foret, priusquam tot anni finem acciperent: sed Livius vult, quum tot anni sint elapsi; ut *inter tot annos* ap. Cic. Quinct. 14, et p. lege Manil. 23. » Bauer. contra monet, τὸ *inter* de temporis spatio vix dici posse, sed melius alteri convenire *tot bella*; alioqui sane illud *intra* circumscriptionem angusti plerumque temporis; per syllepsin vero h. l. *intra* diversis substant. iungi. Cf. ad I, 33, n. 7, et XLI, 16, n. 5.

Cap. XI. 1. *Per occasionem ac solitudinem* id. q. ap. Tac. Ann. XV, 59, 9, *per occasionem solitudinis*, i. e. per occasionem, s. opportunitatem rei feliciter gerendae, quae iis data est solitudine agrorum finiumque rom., qui nullo exercitu defendebantur. Sic *occasio* et *per occasionem* II, 17; IV, 31, 58 pr. V, 26; VII, 7; XXI, 8, 11; XXXIII, 38; XXXVII, 26, et XXI, 35 pr. ubi *opportunitatem dare* et *occasionem facere* ut synon. iunguntur.

ptum: duplicique victoria [2] ovantem Romulum Hersilia coniux, precibus raptarum fatigata, orat, ut parentibus earum det veniam, et in civitatem accipiat: ita rem coalescere concordia posse; facile impetratum. Inde contra Crustuminos profectus, bellum inferentes. Ibi minus etiam, quod alienis cladibus ceciderant animi, certaminis fuit. Vtroque coloniae missae. Plures inventi, qui propter ubertatem terrae in Crustuminum [3] nomina darent: et Romam inde frequenter migratum est, a parentibus maxime ac propinquis raptarum. Novissimum ab Sabinis bellum ortum, multoque id maximum fuit: nihil enim per iram aut cupiditatem actum est: nec ostenderunt bellum prius, quam intulerunt. Consilio etiam additus dolus. Sp. Tarpeius romanae [4] praeerat

2. *Victoria ovantem*, exsultantem, laetum (ut cap. 26, et V, 45. Conf. Gesner. ad Claudian. XXII de laud. Stilic. l. II, v. 68): nam neque ovatio proprie sic dicta, neque triumphus tum iam notus erat: *primum ovans Vrbem ingressus est A. Posthumius Tubertus*, Plin. XV, 29 unde omnes quoque Romuli statuas pedestres fuisse docet Plut. — *Hersilia coniux*, quae sola ex raptis non virgo, sed iam matrona fuisse dicitur. *Vetustatis peritissimi referunt eam, dum adhaereret filiae, simul raptam: quam quum Romulus Hosto cuidam ex agro latino, qui in asylum eius confugerat, virtute conspicuo uxorem dedisset; natum ex ea puerum, antequam alia ulla Sabinarum partum ederet, eumque, quod primus esset in hostico procreatus, Hostum Hostilium a matre vocitatum, et eundem a Romulo bulla aurea ac praetextae insignibus honoratum*, Macrob. Sat. I, 6. Eam inter deas relatam Oramque vel Horem fuisse dictam, vulgaris fabula est, nota vel ex Ovid. Metamorph. XIV, 829 sq. — *Ita rem* publicam *coalescere*, crescere, firmari, *concordia posse*, nisi malis: omnes eius partes civesque arctis quasi vinculis iungi posse, ut XXIII, 35, n. 6, *tanta concordia coaluerant omnium animi*. Cf. ad c. 8, n. 1; ad XXVI, 40, n. 6; XXIX, 31, n. 2; ad Tac. Ann. XIII, 26, 4.

3. *In Crustuminum* agrum *nomina darent*, ut passim *nomina dare*, *edere* et *profiteri* in coloniam, classem (XXVIII, 45, n. 10), militiam etc., pati vel cupere, nomina sua scribi in albo militari et colonorum, s. inter milites et eos, qui proficisci seu deduci aliquo velint. Sic et *ad nomina respondere* III, 41, de civibus, qui edicto delectu citati et appellati adsunt neque detrectant militiam; *ad delectum obedienter respondere* XLII, 35, n. 1, et simpl. *respondere* XLIII, 14.

4. *Romanae arci* in monte Tarpeio,

arci; huius filiam virginem auro corrumpit Tatius, ut armatos in arcem accipiat: aquam forte ea tum sacris extra moenia petitum ierat; accepti obrutam armis necavere; seu ut vi capta potius arx videretur, seu prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset. Additur [5] fabulae, quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio laevo, gemmatosque magna specie annulos habuerint, pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent; eo scuta [6] illi pro aureis donis congesta. Sunt, qui eam ex

ubi postea fuit *Capitolium:* at regia, Romuli sedes, erat in Palatino monte (v. c. 7 pr.), distincta ab arce, ut c. 6 pr. Albae; Bauer. Cf. ad cap. 6, n. 6. Mons Capitolinus primum dictus est Saturnius et Carmentalis, postea vero *Tarpeius* mons, s. rupes et saxum, et quidem, ut vulgo putant, vel a *Tarpeia*, de qua h. l. agitur, filia *Sp. Tarpeii*, ab iis, a quibus minime decebat, interempta, vel a patre eius in solatium doloris ob filiae sortem. Cf. n. 5. — *Fidum proditori* certum, tutum.

5. *Additur fabulae*, narrationi, sive verae, sive falsae et commentitiae: nam utraque dicitur *fabula*, ut gr. μῦθος. Cf. ad XXVIII, 43, n. 9. Sed legendum crediderim *additur fabula.* Fabula autem illa varie narratur. Cf. Dionys. II, 40; Prop. IV, 4, et Plut. in Romulo. Vulgaris opinio est, Tarpeiam fuisse virginem Vestalem, quae ex fonte Vestalibus sacro aquam ad sacra lavanda petitura Tatium viderit, eiusque forma et amore capta arcem festis Palilibus indefensam pacta sit prodere. L. Piso ap. Dionys. l. l. refert, eam scuta pepigisse, ut Sabini his privati eo facilius necarentur, et de pacto certiorem fecisse Romulum; sed nuntium transfugisse ad Tatium, et hinc tum arcem proditam, tum poenam proditionis exactam esse, a Romanis vero monimentum Tarpeiae positum. Hinc et mons in eius honorem Tarpeius dici potuit. Ad hanc vero Tarpeiam forte translatum est, quod de puella, simili conditione Ephesum Brenno se tradituram esse promittente, narrat Plutar. in Parall. p. 309; ut ad Tarquinium, capita papaverum decutientem (vid. inf. c. 54), quod de Thrasybulo Milesiorum, et Periandro Corinthiorum tyranno refert Herodot. V, 92; cui conf. Marian. hist. Hisp. X, 16. Tarquinius tamen illorum quoque exemplum sequutus esse videri potest.

6. *Eo scuta illi* (in illam).... *congesta:* nam manus militis sinistra scutum, ex laevo humero suspensum, dextra hastam tenebat: unde ἐπ' ἀσπίδα et ἐπὶ δόρυ, ad sinistram et dextram, se convertere. Cf. ad Sil. IV, 487. *Eo* ideo, ob hanc causam; ut passim. Hinc *eodem* et *eoque* est ob eandem, et ob eam causam VI, 5 et al. — *Directo*, disertis verbis, aperte, sine ambagibus; *circuitioni* opponitur a Cic. Div. II, 61; conf. inf. ad XXI, 19, n. 1. — *Sua mercede*, ipsius mercede: immo ipsa mercede; neque enim *alia* Tarpeiae opponitur; Bauer.

pacto tradendi, quod in sinistris manibus esset, directo arma petisse dicant: et fraude visam agere, sua ipsam peremptam mercede.

XII. Tenuere[1] tamen arcem Sabini: atque inde postero die, quum romanus exercitus instructus, quod inter Palatinum Capitolinumque collem campi est, complesset, non prius descenderunt in aequum, quam, ira et cupiditate recuperandae arcis stimulante animos, in adversum[2] Romani subicre. Principes utrimque pugnam ciebant; ab Sabinis Mettus Curtius, ab Romanis Hostus[3] Hostilius. Hic rem romanam iniquo loco ad prima signa animo atque audacia sustinebat. Vt Hostus cecidit, confestim romana inclinatur[4] acies; fusaque est ad veterem portam Palatii. Romulus, et ipse turba fugientium actus, arma ad caelum tollens, *Iupiter*, *tuis*, inquit, *iussus avibus hic in Palatio prima Vrbi fundamenta ieci: arcem iam, scelere emptam, Sabini habent; inde huc armati, superata media valle, tendunt. At tu, pater deum hominumque, hinc saltem arce hostes: deme terrorem Romanis, fugamque foedam siste; hic ego tibi templum Statori*[5] *Iovi, quod monimentum sit po-*

Cap. XII. 1. *Tenuere tamen*, saltem, vel quidquid fuerit, quocumque modo factum sit (ut graec. μέντοι, s. γοῦν, quod iam monuit Bauer. nam diversa est de modo captae arcis traditio); vel interim, verum tamen, ut *sed tamen* VII, 30, n. 6; et *tamen* IX, 17 pr. et XXIII, 19; quibus locis interpp. (ut Ernest. in clave Cic. v. *tamen*) haec verba referunt ad omissum *quamquam* vel *quidem*, ad membrum praecedent. intelligendum.

2. *In adversum* montem, s. clivum. — *Pugnam ciebant*, eius initium faciebant; ipsi pugnabant et exemplo suo pugnam commovebant, excitabant. Conf. Drak. ad II, 47, n. 1. — *Ab Sabinis*, ex parte eorum, in exercitu, acie illorum; Bauer.

3. *Hostus Hostilius*, avus Tulli Hostilii regis. Cf. c. 22 pr. et ad cap. 11, n. 2. — *Romanam sustinebat rem* publicam eiusque salutem et fortunam bellicam. Cf. VIII, 27 pr. et ad II, 44, n. 6, et II, 64, n. 3.

4. *Inclinatur acies* in fugam, recedit. Cf. ad IX, 12, n. 2. — *Tuis iussus avibus*, *hic in Palatio* etc., v. c. 6 et 7. — *Prima Vrbi fundamenta ieci*, vid. ad III, 46, n. 1.

5. *Stator Iupiter* dictus a *sistendo*, sc. fugam. Cf. ad X, 36, n. 5; Dion.

steris, tua praesenti[6] *ope servatam Vrbem esse, voveo.* Haec precatus, veluti si sensisset auditas preces, *Hinc*, inquit, *Romani, Iupiter optimus maximus resistere atque iterare pugnam iubet.* Restitere Romani, tanquam caelesti voce iussi: ipse ad primores[7] Romulus provolat. Mettus Curtius ab Sabinis princeps ab arce decucurrerat, et effusos egerat Romanos, toto quantum foro spatium est: nec procul iam a porta Palatii erat, clamitans *Vicimus perfidos hospites, imbelles hostes: iam sciunt, longe aliud esse virgines rapere, aliud pugnare cum viris.* In eum haec gloriantem, cum globo ferocissimorum iuvenum Romulus impetum facit. Ex equo tum forte Mettus pugnabat: eo pelli facilius fuit: pulsum Romani persequuntur: et alia romana[8] acies, audacia regis accensa, fundit Sa-

Halic. II, 50 (qui enim Ὀρθώσιον Δία appellat); Plutar. in Cicer. p. 868. D, τὸ τοῦ Στησίου Διὸς ἱερόν, ὃν Στάτωρα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, πρὸς τὸ Παλάτιον ἀνιόντων), et Schweigh. ad Appian. B. C. II, 11. A *stando* nomen deducit Sen. de Ben. IV, 7, et a *statuendo* Cic. Cat. I, 13, qui tamen verbis apte ad consilium suum ludunt, et *Iovem Statorem Vrbis et imperii* eo sensu appellant, quo etiam *Servator* et *Conservator* vocabatur. Cf. interpp. Velleii II, 131 pr. et Gr. Obss. IV, 14. — *Iovi Statori templum*, cuius tres columnae etiam nunc supersunt, conditum demum an. V. C. 458 (v. infr. X, 37), haud procul a foro, in decima regione Vrbis. Cf. Ovid. Fast. VI, 793; Nardini Roma ant. VI, 14, et Begeri Thes. Brand. t. II, pag. 663, 756.

6. *Praesenti ope* vel certa, manifesta, conspicua (*ut praesens victoria* V, 27 ext. *res* II, 36, n. 5; nisi ibi *praesentior* est magis urgens et periculosa, ut forte *minus praesens cura* VI, 27, n. 5 *praesens merces regni* II, 41, n. 7, nisi hoc eo sensu dictum est, quo XXXVII, 45; *praesentia talenta* X, 37, n. 3; *mulcta praesens* XXX, 33, n. 5; *praesens merces* XXXVI, 4; XXXVIII, 8; XLIV, 25; *praesens dare, ferre, numerare*, h. e. repraesentare) vel efficaci, ut al. *praesens auxilium* et *remedium*, vel etiam potenti et benigna, s. propitia, ut VII, 26, n. 4, *praesentes dii*, i. e. faventes; nam dii favent et auxilium praestant tantum, ubi adsunt, omnisque eorum vis ac potestas, ut hominum, a praesentia fere pendere credebatur: unde toties *dii adesse* dicuntur pro favere, v. cap. III, 25, n. 7; X, 39, n. 8 al. (nisi alia huius rei ratio est, de qua vid. ad III, 14, n. 6) et *praesentes ac secundi dii* iunguntur VII, 26, n. 4; cf. ad X, 40, n. 13.

7. *Ad primores*, primos, primam aciem, προμάχους, sup. *prima signa*. Mox *princeps* est primus.

8. *Alia romana acies*, reliqua; vid. ad IV, 10, n. 2.

binos. Mettus in paludem sese, strepitu sequentium trepidante[9] equo, coniecit: adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri. Et ille quidem, annuentibus ac vocantibus suis, favore[10] multorum addito animo, evadit. Romani Sabinique in media convalle duorum montium redintegrant proelium, sed res romana erat superior.

XIII. Tum Sabinae mulieres, quarum ex iniuria bellum ortum erat, crinibus[1] passis scissaque veste, victo malis muliebri pavore, ausae se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto, dirimere infestas[2] acies, dirimere iras; hinc patres, hinc viros orantes, *ne se sanguine nefando soceri generique respergerent: ne parricidio*[3] *macularent partus suos*, ne-

9. *Trepidante equo*, consternato, vel pavide currente (cf. ad III, 49, n. 4), *in paludem sese coniecit*, i.e. coniectus est.—*Adverterat ea res*, ad se verterat, et eo converterat. Cf. ad Tac. Ann. I, 41, 1, et Drak. ad h. l. —Olim legebatur, teste Creverio, *averterat*, quod habet Cod. Paris.; Lipsius mutavit recte: nisi malis *advertitque*, quod probat idem Crev. Lem.

10. *Favore multorum*, quem clamore significabant, *addito animo*; vid. ad cap. 25, n. 7. —*Romana res*, fortuna et arma.

Cap. XIII, 1. *Crinibus passis* seu *pansis*, non nexis, non compositis, fusis et fluentibus. *Passi* crines lugentium sunt et supplicum, ut *sparsi* furibundorum et vaticinantium; Ern. Sic et Burm. ad Virg. Aen. I, 480, et II, 403; quibus locis multi libri hanc vocem praeferunt, sed optimi illam, ut et inf. XXVI, 9, n. 4; conf. ad XXXIX, 13, n. 8, et Drak. ad h. l.

2. *Dirimere infestas acies*, vim inferentes sibi, in se invicem directas et impetum facientes. Sic *infesto exercitu in agrum pergere* cap. 23; *equum infestus admisit in eum* II, 19, 20, al. i. e. recta via in eum concitavit; *infestis hastis, spiculis petere aliquem, signis infestis impetum facere* etc. Cf. ad XXI, 44, n. 2; Drak. ad II, 46, n. 7, et Cort. ad Sall. Cat. 60. — *Hinc patres, hinc*, illinc, inde, ex parte Romanorum, *viros orantes* etc. Ita *hinc, hinc* III, 23; XXI, 8; XXX, 19; XLIV, 11. Alii tradunt, mulieres raptas, in castra Sabinorum profectas, precibus obtinuisse, ut pax fieret; vid. Dionys. II, 45, 46.

3. *Ne parricidio macularent partus suos*, ne mutuis caedibus patres ac mariti efficerent, ut stirpi suae posset obiici et exprobrari, eam a parricidis ortam esse, et patres simul avosque inquinatos et maculatos mutuo cognato sanguine; Gron. Cf. III, 50, et VIII, 11. *Parricidium* dicitur de omni caede nefanda et impia. — *Liberum progenies* pro liberis a se genitis: nam explicandi vim habet genitivus; Bauer. Cf. ad XXVIII, 29, n. 1.

potum illi, liberum hi progeniem. Si affinitatis[4] *inter vos, si connubii piget, in nos vertite iras: nos causa belli, nos vulnerum ac caedium viris ac parentibus sumus; melius peribimus, quam sine alteris vestrum viduae aut orbae vivemus.* Movet res tum multitudinem, tum duces: silentium et repentina fit quies. Inde ad foedus faciendum duces prodeunt: nec pacem modo, sed et civitatem unam ex duabus faciunt: regnum consociant, imperium omne conferunt Romam. Ita geminata Vrbe, ut Sabinis[5] tamen aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati. Monimentum eius[6] pugnae, ubi primum ex profunda emersus palude equus Curtium in vado statuit, Curtium lacum appellarunt. Ex bello tam tristi laeta repente pax cariores Sabinas viris ac parentibus, et ante omnes Romulo ipsi

4. *Si affinitatis inter vos etc.*, Ita oratio obliqua mutatur in rectam, ut passim, sed et contra. Cf. c. 47 pr. 57; II, 2, 7; III, 9, 19, 48; VI, 24; XXI, 10; XXXV, 49, n. 2; Wessel. ad Diodor. IV, 26. — *Sine alteris vestrum*, alterutris.

5. *Vt Sabinis tamen aliquid daretur*, fieret in gratiam eorum, vel quod gratum iis foret, *Quirites a Curibus appellati* universi cives, et togati: nam singuli appellabantur *Romani*, ut et milites, qui nonnunquam *Quirites* contumeliose vocabantur; vide ad XLV, 37, n. 7. *Cures* priscum opp. Aboriginum in Sabinis, regia Tatii, ad sinistram ripam amnis Coresae, in agri Farensis loco, qui nunc *Monte Maggiore* dicitur. *Cures* pronuntiabatur olim *Quires*, s. *Quiris*, Κύρις: unde *Quirites*, Κυρῖτες, pro *Curensibus*, s. *Curetibus*. Multi tamen et *Quirites* et *Quirinum*, divum Romulum, dictos putant inde, quod *curis* in Sabinorum lingua significet hastam, virtutis insigne; v. Dionys. II, 48, et Ovid. Fast. II, 475 sq. Ceterum e Sabinis etiam centum in Patres fuisse lectos, tradit Dionys. (cf. infra c. 17) et Sabinis Capitolinum et Quirinalem, Romanis vero Palatinum et Coelium colles traditos. Coelium serius Vrbi adiectum dicit Livius I, 30 et 33.

6. *Monimentum* (quod monim. foret, esset, seu in monim., in memoriam) *eius pugnae*, locum, *ubi primum....statuit, Curtium lacum appellarunt*, qui in medio foro rom. fuit; vid. ad VII, 6, n. 1; *equum Curtius in vado destituit* conj. Sigon. ex Plut. ἐάσας τὸν ἵππον, ἑαυτὸν ἔσωσεν. « Quasi idem, in tam parva re, necesse habuerit Livius dicere. Alienus quoque a toto h. l. videtur equi interitus, quem haud dubie supra, quum evasisse Curtium scribebat, commemorasset. Sed h. l. laetam certe rem, Curtium servatum, et isti homines et Livius respexere. *Primum* quoque, etsi pleonastice positum, vulgatae lect. melius convenire, periti sentient ». Bauer.

fecit. Itaque, quum populum in curias triginta divideret, nomina[7] earum curiis imposuit. Id non traditur, quum haud dubie aliquanto numerus maior hoc mulierum fuerit, aetate, an dignitatibus suis virorumve, an sorte lectae sint, quae nomina curiis darent. Eodem tempore et centuriae[8] tres equitum conscriptae sunt, Ramnenses ab Romulo, ab Tito Tatio Titienses appellati; Lucerum nominis et originis causa incerta est. Inde non modo commune, sed concors etiam regnum duobus regibus fuit.

XIV. Post aliquot annos, propinqui regis Tatii legatos[1] Laurentium pulsant: quumque Laurentes iure

7. *Nomina* (earum, Sabinarum) *curiis imposuit:* sed Curiarum nomina bello sabino antiqoiora fuisse contendit Varro ap. Dionys. II, 47. Plutarchus etiam in Rom. p. 30, compluribus Curiis nomina fuisse dicit a regionibus petita, sed alia, in honorem Sabinarum decreta, memorat. Conf. et Nardini Roma antiq. II, 1. *Curia* est graece φρατρία, unde φράτορες et φρατρίαρχος: sed κυρία etiam Atheniensibus dicta tota populi concio.

8. *Centuriae tres equitum* etc., ut c. 36; sed inf. X, 6, haec tribuum nomina fuisse dicit, ut Varro, Dionys. III, Plut. et alii, qui tradunt, omnem et agrum et populum a Romulo in tres partes (quae vel a *tributo* dando, vel a numero ternario, vel a gr. τριττύς, seu τριτὺς, tertia tribus parte, *tribus* dictae sint), easque singulas iterum in decem *Curias* divisas, tribui vero unicuique *Tribunum* praefectum, et nomina post pacem demum cum Sabinis factam imposita fuisse. (Quae ratio quomodo postea mutata sit, v. inf. cap. 36, 43; II, 21; IX, 46; Graev. ad Flor. I, 5 pr. et Gron. Obs. III, 25). Idem Livius inf. cap. 15 extr. ab his equitibus *Celeres* distinguere videtur, quos vulgo pro iisdem habent: nisi potius vulgarem amplexus est opinionem, quae est, centuriis illis equitum et tribubus eadem fuisse nomina, ex quaque tribu lectis centum iuvenibus, genere opibusque insignibus, qui equo mererent, quosque Romulus *ad custodiam* simul *corporis, non in bello solum, sed etiam in pace, haberet* (c. 15). — *Ramnenses*, s. *Ramnes* (ut c. 36; X, 6; apud Prop. IV, 1, 31; Pers. et al.) a Romulo dictos putant Romanos, qui inde a principio cum illo fuerint; *Tatienses*, sc. *Titienses* a Tito Tatio, Sabinos; *Luceres* a *Lucumone* Etrusco, qui Romulo adversus Sabinos opem tulerit, vel a *luco*, in quo asylum aperuerit Romulus, vel a *Lucero* Ardeae rege, eos, qui undique confugerint ad illud asylum. Varro autem omnia haec vocabula Tusca fuisse monet L. L. 4, 9. *Titienses* an *Tatienses* h. l. legendum sit, ambigunt viri docti: sed a praecipuo nomine, quam a praenomine dictos, probabilius est; Bauer. Cf. ad Tac. Ann. I, 54, 2.

CAP. XIV. 1. *Legatos Laurentium:*

gentium agerent, apud Tatium gratia suorum et preces plus poterant. Igitur illorum poenam in se vertit: nam Lavinii, quum ad solemne sacrificium eo venisset, concursu facto, interficitur. Eam rem minus aegre[2], quam dignum erat, tulisse Romulum ferunt; seu ob infidam societatem regni, seu quia haud iniuria caesum credebat. Itaque bello quidem abstinuit: ut tamen expiarentur legatorum iniuriae regisque caedes, foedus inter Romam Laviniumque urbes renovatum est. Et cum his quidem insperata pax erat; aliud multo propius, atque in ipsis prope portis, bellum ortum. Fidenates, nimis vicinas prope se convalescere opes rati, priusquam tantum roboris esset, quantum futurum apparebat, occupant[3] bellum fa-

quidam *Laviniensium legatos* memorant (forte quia Tatius non *Laurenti*, sed *Lavinii*, de quibus vicinis oppidis vid. ad cap. 1, n. 7 et 10, poenas dedit, quod tamen omnes narrant), et alii legatos non modo *pulsatos*, sed et spoliatos in itinere necatosque tradunt; v. Plut. Rom. p. 32, et Dionys. II, 51 seq. qui c. 52 narrat, Tatium *παραγενέσθαι εἰς τὸ Λαβίνιον ἕνεκα θυσίας, ἣν ἔδει τοῖς πατρῴοις θεοῖς ὑπὲρ τῆς πόλεως θῦσαι τοὺς βασιλεῖς*. Hoc est *solemne sacrificium*, quod ab imperatoribus in provinciam profecturis ante oblatum fuisse Diis Penatibus, docet Servius ad Virg. Aeneid. III, 12. Iisdem et Vestae consules, praetores ac dictatores, magistratum ineuntes, Lavinii sacrificasse, tradit Macrob. Sat. III, 4; cf. inf. ad V, 52, n. 5; Plut. l. l. et Oudend. ad Obseq. de prod. c. 83. — *Iure gentium agerent*, querentes de violato iure gentium, ex quo legati sunt sacrosancti, et satisfactionem postulantes. Confer infra II, 4 extr.

2. *Minus aegre, quam erat dignum*, ἄξιον, fas et aequum, ut II, 8. — *Ob infidam societatem regni*, ut *insociabile regnum* ap. Tac. Ann. XIII, 17. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς, Homer. Iliad. II, 204. — *Vt tamen expiarentur* (expiatione non superstitiosa, qua diis, sed civili, qua hominibus satis fit laesis) *legatorum iniuriae regisque caedes*, colloquio habito placuit compensari iniurias et rediri in gratiam *foedere renovato*; Gronov. Conf. VIII, 11 extr. Superstitiosam quoque expiationem aliquam interpositam fuisse, docent verba Dionys. II, p. 115: τό τε ἄγος ἀφοσιοῦται etc., et Plut. Rom. p. 32: καὶ καθαρμοῖς ὁ Ῥωμύλος ἥγνισε τὰς πόλεις, οὓς ἔτι νῦν ἱστοροῦσιν ἐπὶ τῆς Φερεντίνης πύλης συντελεῖσθαι. — Verba *prope se* male adiecta voci *vicinas*, eiusque glossa esse videntur. Perperam quoque repetitur voc. *prope*, etsi vario sensu.

3. *Occupant facere*, vel propere, vel prius faciunt, ut *praeoccupaverunt ferre* IV, 30, n. 3, et graece φθάνειν, in pr. iunctum cum πρὶν, ut *occupare*

cere. Iuventute armata immissa, vastatur agri, quod inter Vrbem ac Fidenas est. Inde ad laevam versi, quia dextra Tiberis arcebat, cum magna trepidatione agrestium populantur: tumultusque repens, ex agris in Vrbem illatus, pro nuntio fuit. Excitus Romulus, neque enim dilationem pati tam vicinum bellum poterat, exercitum educit: castra a Fidenis mille passuum locat: ibi modico praesidio relicto, egressus omnibus[4] copiis, partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere[5] in insidiis iussit; cum parte maiore atque omni equitatu profectus, id quod quaerebat, tumultuoso et minaci genere pugnae, adequitando ipsis prope portis, hostem excivit; fugae quoque, quae simulanda erat, eadem equestris pugna causam minus mirabilem dedit: et quum, velut inter pugnae[6] fugaeque consilium trepidante equitatu, pedes quoque referret gradum, plenis[7] repente portis effusi hostes; impulsa[8] romana acie, studio instandi

cum *prius* et *priusquam*. Cf. c. 30 extr. II, 48 pr. XXI, 39, n. 7; XXXI, 35 pr. ad XXIV, 7, n. 6, et XXIV, 38, n. 2.

4. *Egressus omnibus copiis*, pro *cum omnibus c.*, ut saepe ap. Livium. Sic et gr. σὺν omittitur; v. Periz. ad Sanct. Min. IV, 6, 18; Gron. et Drak. inf. ad XXIII, 41, 43; XXV, 22 et al. — *Locis circa densa obsita*, adsita, adiacentia, quae ibi erant, *virgulta obscuris*; nisi leg. *partem militum locis circa densa obsitis virgulto obscuram seu et obscuris*, vel potius delenda vox *obsita* tanquam glossa. Cf. XXVIII, 2 pr.

5. *Subsidere in insidiis* ὑφιζάνειν, poplite vel genibus flexis et demissis (cf. ad VIII, 8, n. 7; XXVIII, 2 et 44, 5), de felibus et leone, qui artubus contractis subsidunt et in praetereuntes repente insiliunt (cf. Theocr. XXV, 252, et Sil. V, 310), vel de venatoribus insidiatoribusque, qui similiter subsidunt et deinde ex insidiis *subito exorti* faciunt impetum; unde *subsessores* dicti venatores. Cf. ad Sil. XIII, 221.—*Id quod quaerebat*, mente agitabat, vel perficere conabatur, vel optabat. Cf. ad IX, 19, n. 5; XXII, 34, n. 3, et XXIII, 41, n. 5.

6. *Inter pugnae fugaeque consilium trepidante*, fluctuante; ut passim *trepidare* ap. Livium pro dubium incertumque esse, sibi non constare. Cf. ad III, 49, n. 4.

7. *Plenis portis effusi*, h. e. portis multitudine repletis *effusi*, catervatim proruentes et cum impetu, instar fluvii, seu torrentis, ut ἐκχεῖσθαι, ἐκχύεσθαι, ἐπιχύεσθαι, et *campo se fundere* XXVII, 41, n. 4.

8. *Impulsa rom. acie*, retro cedente

sequendique trahuntur ad locum insidiarum. Inde subito exorti Romani transversam invadunt hostium aciem: Addunt pavorem mota e castris signa eorum, qui in praesidio relicti fuerant: ita multiplici terrore perculsi Fidenates, prius pene quam Romulus, quique cum eo equis ierant, circumagerent frenis equos, terga vertunt: multoque effusius, quippe vera fuga, qui simulantes[9] paulo ante sequuti erant, oppidum repetebant. Non tamen eripuere se hosti: haerens in terga Romanus, priusquam fores portarum obiicerentur, velut agmine uno irrumpit.

XV. Belli Fidenatis[1] contagione irritati Veientium animi et consanguinitate, nam Fidenates[2] quoque Etrusci fuerunt, et quod ipsa propinquitas loci, si romana arma omnibus infesta finitimis essent, stimulabat. In fines romanos excucurrerunt, populabundi magis, quam iusti more belli. Itaque non castris positis, non exspectato hostium exercitu, raptam ex agris praedam portantes, Veios rediere: romanus contra, postquam hostem in agris non invenit, dimicationi ultimae instructus intentusque, Tiberim transit. Quem postquam castra ponere, et ad urbem

et fluctuante, loco depulsa et mota impetu, inclinata, ut II, 20; VI, 13; IX, 27, 40; XXIV, 16; XXVI, 6.

9. *Simulantes*, se fugere, Romanos, *paulo ante sequuti* etc. — *Haerens in terga*, propr. *tergis* instans. — *Fores portarum*, valvae.

Cap. XV. 1. *Belli Fidenatis contagione*, communione, societate (v. ad II, 5, n. 3), *irritati* (forte *irretiti* vel *imbuti* vel *infecti*) *Veientium animi*, ad belli societatem tracti sunt etc. Post *stimulabat* maiorem dist. posui, ne iungatur *Veientium animi ... excucurrerunt*.

2. *Nam Fidenates quoque*, aeque ac Veientes, *Etrusci fuerunt:* sed Fidenas, s. Fidenam, Nomentum et Crustumerium in Sabinis colonias Albanorum fuisse, multis annis ante Romam conditam a tribus fratribus deductas, tradit Dionysius II, 53. Post Fidenates autem subactos et coloniam Fidenas deductam Camerinos a Romulo fusos, et urbe eorum capta cives fuisse Romam traductos, bis totidem colonis in locum illorum missis, refert Plut. in Romulo, p. 33.

accessurum Veientes audivere; obviam egressi, ut potius acie decernerent, quam inclusi de tectis moenibusque dimicarent. Ibi, viribus[3] nulla arte adiutis, tantum veterani robore exercitus rex romanus vicit: persecutusque fusos ad moenia hostes, urbe valida muris ac situ ipso munita abstinuit: agros rediens vastat, ulciscendi magis, quam praedae studio. Eaque clade, haud minus quam adversa pugna, subacti Veientes pacem petitum oratores Romam mittunt. Agri parte mulctatis in centum annos induciae datae. Haec ferme, Romulo regnante, domi militiaeque gesta: quorum nihil absonum fidei divinae originis divinitatisque post mortem creditae fuit; non animus in regno avito recuperando, non condendae urbis consilium, non bello ac pace firmandae: ab illo enim profectu viribus[4] datis tantum valuit, ut in quadraginta deinde annos tutam pacem haberet. Multitudini tamen gratior fuit, quam Patribus; longe ante alios acceptissimus militum animis: trecentosque armatos ad custodiam corporis, quos Celeres[5] appellavit, non in bello solum, sed etiam in pace, habuit.

3. *Viribus adiutis nulla arte*, nullo dolo, s. stratagemate (ut II, 51; VII, 14, et *consilio vires adiuvare* III, 62), quali eum contra Fidenates usum esse vidimus in cap. sup.

4. *Tantum valuit* urbs *viribus* ei *datis ab illo profectu*, initio (a *proficiscor*, orior, exsisto), vel potius prospero successu (a *proficio*), nisi malis e MSS. reponere *profecto*, ut sensus sit: *tantum valuit profecto*, sane, utique, re vera, *viribus datis ab illo*, sc. Romulo. Scheller. voc. *illo* ad bellum referebat; sed potius legendum putabat *a bello enim profecto viribus* etc., ut his verbis exacte explicentur proxime praec. *consilium urbis bello ac pace firmandae. Vires* sunt robur militum belli peritorum, fama bellica, auctoritas apud finitimos populos et potestas, partae gentibus devictis, captis oppidis et coloniis illuc deductis.

5. *Celeres* equites, quos primum *Celeres* (vel a Fabio *Celere*, interfectore Remi, primum iis praefecto, vel a *celeritate* ministerii, vel a gr. κέλης, aeol. κέλης), deinde *Flexumines*, posteà *Trossulos*, et tandem *Equites* dictos esse putant; v. Plin. XXXII, 2, s. 9; Plut. Rom. p. 34, et sup. ad c. 13, n. 8. Iis praeerat *tribunus Celerum*, qui regi, ut praefectus praetorio Imperatori, dignitate pro-

XVI. His immortalibus editis [1] operibus, quum ad exercitum recensendum concionem in campo ad Caprae paludem haberet, subito coorta tempestas cum magno fragore tonitribusque, tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum eius concioni abstulerit; nec deinde in terris Romulus fuit. Romana pubes, sedato tandem pavore, postquam ex tam turbido die serena et tranquilla lux rediit, ubi vacuam sedem regiam vidit, etsi satis credebat Patribus, qui proximi steterant, sublimem raptum procella; tamen, velut orbitatis [2] metu icta, moestum aliquandiu silentium obtinuit. Deinde, a paucis initio facto, Deum [3] Deo natum, regem, parentemque urbis romanae salvere universi Romulum iubent; pacem [4] precibus expo-

ximus erat. Cf. I, 59; Dionys. II, 13; Plut. Rom. p. 23, 34, et in Numa, p. 94, ubi Celeres non pulsis demum regibus, sed iam a Numa dimissos dicit.

Cap. XVI. 1. *His immortalibus editis operibus*, forte legend. cum Crev. *mortalibus*. Cf. cap. 2 extr.—*Concionem in campo* Martio etc. De Romulo inter deos relato et in curru Martis abrepto cf. Plut. Rom. p. 34, Dionys. II, 56; Ovid. Met. XIV, 772–851; et Fast. II, 475 sq. Talia, si fas est profanis sacra conferre, de Henocho et Elia narrant; qui sublimes in caelum rapti dicuntur, sive ob singulares animi corporisve virtutes, sive ob ignotum mortis genus et locum, sive ob immaturum subitumque obitum: de quibus vide nos in Henkii *Magazin für Religionsphilos.* t. VI, pag. 1. —*Palus Caprae*, s. *Capreae*, s. *Caprea*, graece αἰγὸς λίμνη, in campo Martio. Cf. Plut. in Rom. p. 36, ἡ δὲ ἡμέρα, ᾗ μετήλλαξεν, ὄχλου φυγὴ καλεῖται καὶ νόνναι καπρατῖναι, διὰ τὸ θύειν εἰς τὸ τῆς αἰγὸς ἕλος ἐκ πόλεως κατιόντας, intpp. Ov. Fast. II, 491, et Fest. voc. *Capralia*. — *Nec deinde in terris Romulus fuit*, ut Gen. V, 23 de Henocho.

2. *Velut orbitatis metu icta*, perculsa, ut, eadem metaphora a telo desumpta, al. *perfixa*, *percussa*, πληγεῖσα, ἐκπληγεῖσα. gall. *frappée*. Conf. V, 21, n. 5; XXVII, 9, n. 6; XXXIII, 28, n. 5; XXXIV, 17, n. 2; XXXVII, 6, n. 4; XXXVII, 24, n. 7; ad Sil. II, 213, et VIII, 388. — *Moestum aliquandiu silentium obtinuit*, tenuit, ut c. 28, nisi ita et h. l. legendum.

3. *Deum...salvere Romulum iubent*, in precibus appellare, vel alloqui his verbis: *Salve, deus!* etc. Cf. ad cap. 7, n. 9.

4. *Pacem precibus exposcunt*, h. e. veniam, placidum propitiumque animum, indulgentiam, ut passim in formulis precum et votorum. In iisdem *volens propitius* ut synonyma iunguntur, v. c. VII, 26; XXII, 37;

scunt, uti volens propitius suam semper sospitet progeniem. Fuisse credo tum quoque aliquos, qui discerptum [5] regem Patrum manibus taciti arguerent: manavit enim haec quoque, sed perobscura, fama: illam alteram admiratio viri et pavor praesens nobilitavit. Consilio [6] etiam unius hominis addita rei dicitur fides. Namque Proculus Iulius, sollicita civitate desiderio regis, et infensa Patribus, gravis [7], ut traditur, quamvis magnae rei auctor, in concionem prodit. *Romulus*, inquit, *Quirites, parens urbis huius, prima hodierna luce caelo repente delapsus, se mihi obvium dedit; quum, perfusus horrore venerabundusque, adstitissem, petens precibus* [8], *ut contra intueri fas esset; Abi, nuntia*, inquit, *Romanis, Caelestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit: proinde rem militarem colant: sciantque, et ita posteris tradant, nullas opes humanas armis romanis resistere posse. Haec*, inquit, *loquutus, sublimis abiit.* Mirum, quantum [9] illi viro, nuntianti haec, fidei fuerit; quam-

XXIV, 21, 38; XXIX, 14 extr. Cf. ad c. 2, n. 3, et ad Silium V, 167.

5. *Discerptum regem Patrum manibus* in templo Vulcani, unde partem corporis discerpti quisque in sinu extulisse credebatur, ne res manifesta fieret; v. Plut. l. l. et de Patrum odio propter superbum Romuli imperium, Dionys. II, 56.

6. *Consilio* (commento callido) *unius hominis*, a Patribus subornati, ut ita caedis invidiam a se removerent.

7. *Gravis auctor*, ut XXXIII, 45; vir, testis ac nuntius summae fidei et auctoritatis, διὰ τὸν τρόπον τοῦ λέγοντος καὶ τὸν ὅρκον Plut. l. l. Sic contra *auctor levis nec satis fidus* V, 15; VI, 24; VII, 9; XXIII, 13, et *vani homines* XXIV, 32, n. 1.—*Quamvis magnae rei auctor*, quamvis rem nuntiaret magnam et miram vel parum probabilem. Cf. ad c. 4, n. 6. Similiter *res maior, quam auctores* XXII, 13, n. 4.

8. *Petens precibus*, v. ad IX, 16, n. 3. — *Contra intueri*, obtutu in eius facie fixo, vel potius vicissim, ut IX, 6. Veteres enim putabant, deos, propria ac divina specie conspicuos, non nisi a paucis hominibus, qui ipsis carissimi essent, cerni posse, et plerosque eorum adspectu vel interimi, vel saltem excaecari; v. Heynii Excurs. XIII ad Virgilium Aen. I. Proculus egregie agit partes hominis callidi et ad fraudem acuti.

9. *Quantum illi viro fidei fuerit* a quibusdam MSS. recepit Drak. Vulgo legitur *fides*, ut *parum fidam*, *satis*

que desiderium Romuli apud plebem exercitumque, facta fide immortalitatis, lenitum sit.

XVII. Patrum interim animos certamen [1] regni ac cupido versabat. Necdum [2] a singulis, quia nemo magnopere eminebat in novo populo, pervenerant factiones: inter ordines certabatur. Oriundi ab Sabinis, ne, quia post Tatii mortem ab sua parte non erat regnatum, in societate aequa possessionem imperii amitterent, sui corporis creari regem volebant. Romani veteres peregrinum regem aspernabantur. In variis voluntatibus regnari tamen omnes volebant, libertatis [3] dulcedine nondum experta. Timor deinde Patres incessit, ne civitatem sine imperio, exercitum sine

otium, satis tempus habere; Duk. Forte leg. *quanta fides;* Drak.—Cod. Paris. dat. *fides*, quod Crev. servandum recte iudicat: τὸ *quantum* refertur ad verbum *fuerit*, non ad voc. *fides:* sic apud Virgil. Aen. III, 348, *Et multum lacrymas verba inter singula fudit;* Plaut. prol. Menaechm. *tantum adest benignitas;* Terent. Eun. II, 2, *forsitan hic mihi parum habeat fidem.* Lem.

Cap. XVII. 1. *Certamen regni*, de regno; vid. ad I, 57, n. 7.—*Animos versabat*, agitabat, varie movebat, nunc huc nunc illuc movebat; Bauer.

2. *Necdum a singulis factiones pervenerant*, ita e comp. scribendi male intellecto perperam legi semper putavi pro *provenerant*, i. e. natae, ortae erant; nondum singuli erant factionum auctores, s. capita. Nunc video, idem censuisse Bauerum, eique etiam plures ob causas displicuisse emendationem Graevii, Gronovio nhice probatam: *cupido versabat, necdum ad singulos ...pervenerat: factionibus*, i. e. *certabatur.* Immo: *necdum a s. provenerunt factiones;* sed, tantum *inter ordines certabatur*, inter Patres e Romanis et e Sabinis oriundos, vel inter partes, populos variae originis, Sabinos et Romanos: unde mox *ab sua parte regnari* et *regem creari sui corporis*, ordinis, loci ac gentis, ut IV, 9, n. 2; VI, 34, n. 4; XXIV, 48. *Corpus civitatis* dicitur XXVI, 16; XXXIV, 9; XXXVIII, 34.—Ingeniosa Graevii coniectura videbatur Creverio; ante *pervenerat* supple certamen ac cupido regni: huic emendationi favet cod. Paris. et duo alii Creverii, in quibus *pervenerat factionibus* Lem.

3. *Libertatis dulcedine nondum experta*, eam n. experti; v. ad II, 29, n. 1.—*Multarum circa civitatum*, id est, quae circa erant sitae; v. ad I, 4, n. 11, et XLV, 3, n. 4.—*Vis aliqua externa*, *eine auswärtige Macht;* Ern. *Ita*, itaque (v. ad I, 5, n. 7), *rem*, imperium, *consociant centum Patres:* tot e Romanis et totidem e Sabinis lectos memorant Plut. l. l. et Dionys. II, 57, qui etiam tradit, decurias regnantes sorte lectas, et cuique in ea per quinque dies fuisse fasces, s. imperium.

duce, multarum circa civitatum irritatis animis, vis aliqua externa adoriretur. Et esse igitur aliquod caput placebat; et nemo alteri concedere in animum inducebat. Ita rem inter se centum Patres, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summae rerum praeessent, consociant. Decem imperitabant; unus cum insignibus imperii et lictoribus erat. Quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes [4] in orbem ibat: annuumque intervallum regni fuit: id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, Interregnum appellatum. Fremere deinde plebs; multiplicatam servitutem, centum pro uno dominos factos: nec ultra nisi regem, et ab ipsis creatum videbantur passuri. Quum sensissent ea moveri Patres, offerendum ultro rati, quod amissuri erant, ita gratiam [5] ineunt, summa potestate populo permissa, ut non plus darent iuris, quam detinerent. Decreverunt enim, ut, quum populus regem iussisset, id sic ratum [6] esset, si Patres auctores fierent: ho-

4. *Ac per omnes in orbem ibat*, ut III, 36, n. 6. Sic et *senae horae in orbem*, per vices eundo, *operi attributae sunt*, propr. munitoribus, *senis horis in orbem succedentibus* operi huic, ut *proelio* VI, 4.—*Intervallum regni*, tempus, quo non esset rex seu regium imperium, inter Romuli mortem et creationem novi regis, Numae. —*Interregnum* saepe fuit, quia populi comitia non nisi a summo magistratu haberi poterant, v. ad III, 8, n. 1. — *Quod nunc quoque tenet*, v. ad cap. 4, n. 9.

5. *Ita gratiam ineunt*, ea moderatione, tam caute ac prudenter. *Ineunt* quidem *gratiam*, sed tamen *non plus dederunt iuris* etc.; Bauer. Cf. ad IV, 7, n. 4; XXII, 61, n. 4; XXXI, 31, n. 8, et XXXIII, 47, n. 5. —*Detinerent*, quaedam edd. *retinerent*, quod omnino rectius videtur, iudice etiam Bauero, qui monet, *ius detinere* esse ius morari, debitum alteri reddere nolle.

6. *Id sic ratum esset, si Patres auctores fierent*, i. e. id probarent et permitterent. *Hodieque in legibus magistratibusque rogandis usurpatur* (a Patribus) *idem ius*, senatus auctoritas ad *populi suffragium* accedens, sed omni *vi adempta*; quae verba, a multis male intellecta, iam Gron. Obss. I, 25, bene ita interpretatus est: « *Usurpare ius* est facere, quod documentum sit nostri iuris et potestatis: at *usurpare ius vi adempta* est solemnibus quibusdam peractis testari ius suum, etsi uti

dieque in legibus magistratibusque rogandis usurpa-

ao idque exsequi prohibearis; ut hodieque Principes amissa regna titulis retinent. Distinguit Livius inter *usurpationem iuris* et *vim*, ut Tacitus inter *imaginem* et *vim* (v. ad Tac. Ann. III, 30, 7). Patres ex antiquo obtinebant, quod a Romulo acceperant, uti comitiis, quaeque illic agerentur, auctores essent. Eius iuris haec vis erat, ut, quod iussisset populus, lex ratumque esset, si Patres approbassent (ἂν καὶ τῇ βουλῇ ταῦτα δοκῇ Dionys.); hi si auctoritatem suam adiungere recusarent, ut ad irritum recideret. Haec toties antiquis commemorata *Senatus*, s. *Patrum auctoritas* paulatim imminuta est; primum comitiis, quibus Servius Tullius, suffragiis plebis contentus, χαίρειν τῇ βουλῇ φράσας, ἣ οὐκ ἠξίωσεν ἐπικυρῶσαι τὰ τοῦ δημοτικοῦ πλήθους, ὥσπερ αὐτῇ ποιεῖν ἔθος ἦν, κατέσχε τὴν ἀρχήν, ut scribit Dionys. lib. IV; deinde tributis comitiis Publilia ac Laetoria lege inductis, et Patribus ex concilio plebis submotis: ex quo plebeii magistratus comitiis tributis creati sunt, et Patres non nisi auctores centuriatorum et curiatorum comitiorum fuere (vid. Liv. II, 56 sq., et Cic. p. domo 14); tum legibus Horatia Valeria, Publilia et Hortensia, ut plebiscita omnes Quirites tenerent (v. Liv. III, 55; VIII, 12; Epit. Liv. XI; Gell. XV, 27); porro senatusconsulto, quod post tribunitias rogationes de modo agrorum, de fenore, de altero consulatu acceptas et longas seditiones senatus cunctus est facere, ut Patres auctores omnibus eius anni comitiis fierent (v. Liv. VI, 42); legibus a Publilio Dict. an. Vrb. 416, et a Maenio trib. pl. an. Vrb. cond. 467 latis, ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium Patres auctores fierent (v. Liv. VIII, 12, et Cic. Brut. 14).» *Auctoritas* senatui propria fuit (ut *maiestas* et *potestas* universo populo: unde toties legimus *ex auctoritate Patrum et iussu populi* bellum indictum, *sine a. P., populi iussu* triumphatum esse etc.), et primum non nisi consilium (v. sup., cap. 9): postea ad leges, comitia et omnia, quae a populo vel consulibus agebantur, traducta est. Ea auctoritatis huius pars, quae ad comitia pertinebat, paulatim, ut diximus, omnem vim amisit; reliquae partes semper quidem mansere, sed et hae imminutae sunt: nam si aliquis tribunorum pl. intercessisset, aut senatus alieno tempore locove, vel non legitimo edicto sive numero convenisset, vim nullam habebat sententia vel decretum et placitum senatus, et appellabatur fere *senatus auctoritas*, non *senatusconsultum*; etsi nonnunquam haec sunt synonyma. Illa perscribebatur tantum, ut saltem constaret, quid Patres censuissent: hoc ad aerarium deferebatur, et tum vim suam obtinebat. Cf. ad II, 23, n. 9, et III, 55, n. 12; Dio. LV, 3; Ernesti clav. Cic. v. *auctoritas senatus*.— *Vi adempta*, quemadmodum Sulla tribunatui pl. et Augustus omnibus fere magistratibus omnem vim ademit; qui ipsi non sunt sublati, sed mera nomina facta: unde tribunatus *imago sine re* dicitur Velleio II, 30. Conf. ad Tac. Annal. III, 30, 7. Baueri nota est: « Quid sit *vi adempta*, ipse statim Livius interpretatur. Intelligas modo post haec verba *nam*, *quippe*. Mos Livio, tales particulas omittere. *Ius* autem h. l. non est nisi consuetudo, species et imago iuris, dignitatem senatui largiens, non potestatem. »

tur idem ius, vi adempta. Priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum eventum Patres auctores fiunt. Tum interrex, concione advocata: *Quod bonum, faustum, felixque sit*, inquit, *Quirites, regem create, ita Patribus visum est. Patres deinde, si dignum, qui secundus ab Romulo numeretur, crearitis, auctores fient.* Adeo id gratum plebi fuit, ut, ne victi beneficio viderentur, id modo sciscerent iuberentque [7], ut senatus decerneret, qui Romae regnaret.

XVIII. Inclyta iustitia religioque ea tempestate Numae Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat, consultissimus [1] vir, ut in illa quisquam aetate esse poterat, omnis divini atque humani iuris. Auctorem doctrinae eius, quia non exstat alius, false Samium [2] Pythagoran edunt: quem, Servio Tullio [3] regnante Ro-

7. *Iuberentque ut* etc., sic passim; ut et *iubet* vel *iubetur fiat* etc., omisso *ut*. Cf. XXVIII, 36; XLIV, 2; Duk. ad XXIII, 21; Drak. ad XXXII, 16; Wolf. ad Cic. p. domo c. 17, et Oudend. ad Suet. Tib. 22.

Cap. XVIII. 1. *Consultissimus omnis divini et humani iuris*, peritissimus iuris naturae et civilis, vel legum divinarum humanarumque, quae vulgo naturales et positivae dicuntur. *Numa* Pomponii f. et Tatii regis gener; v. Plut. Num. p. 61.

2. *Samium Pythagoran edunt*, forte pro Pythagora Spartano quodam, vel quod Pythagorae Samii et Numae instituta non pauca inter se congruerent; v. Plut. Numa, pag. 60, 64, 65, 69. *Edunt auctorem*, dicunt eum auctorem esse, ut I, 46, n. 6; et *editio*, traditio, IV, 23 pr. Hinc et *edere* consilia, ea enuntiare, X, 27; XXV, 9, n. 6; *edere deos*, *precationes*, *hostias*, *sacrificia ex libris fatalibus*, i. e. dicere, pronuntiare, indicare ex iis, quibus diis et quibus quotve hostiis sacrificandum sit, VII, 6; XXI, 62; XXII, 10; XXX, 2; XL, 45; XLI, 13; XLII, 2.

3. *Pythagoran... Servio Tullio regnante* etc., vel tempore Tarquinii Superbi et Bruti, secundum Cic. Tusc. I, 16; IV, 1. Sed de vera Pythagorae aetate, disciplina et sodalitio accuratius disputarunt intpp. Gell. XVII, 21; Heyn. Opusc. Acad. t. II, p. 186-199, et *Meiners in d. Gesch. d. Wissensch. in Griech. und Rom.* t. I, p. 304 sq., 322 sq., 398 sq. — *In ultima Italiae ora*, in Magna Graecia, *iuvenum aemulantium*, sectantium, *studia*, et diligentem iis operam navantium *coetus habuisse*: quod sapientiae studium non tam ad philosophiam artesve ingenuas discendas, quam ad formam, leges et instituta civitatum et cognoscenda et emendanda spectabat; v. *Meiners* et Heyn. *locis citt.* De *Metaponto*, *Heraclea*, et *Crotone*, clarissimis Lucaniae et Bruttiorum

mae, centum amplius post annos, in ultima Italiae ora, circa Metapontum, Heracleamque et Crotona, iuvenum aemulantium studia coetus habuisse constat. Ex quibus[4] locis, etsi eiusdem aetatis fuisset, qua fama in Sabinos, aut quo linguae commercio, quemquam ad cupiditatem discendi excivisset? quove praesidio unus per tot gentes, dissonas sermone moribusque, pervenisset? Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis; instructumque non tam peregrinis artibus, quam disciplina[5] tetrica ac tristi veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Audito nomine Numae, Patres romani, quamquam inclinari opes ad Sabinos, rege inde sumpto, videbantur, tamen, neque se quisquam, nec factionis suae alium, nec denique Patrum aut civium quemquam praeferre illi viro ausi, ad unum omnes Numae Pompilio re-

oppidis, v. Ind. et Heyn. opusc. Acad. l. II, p. 205 sq., 234 sq., et 178 sq. Idem pag. 240 monet, per prolepsin h. l. memorari *Heracleam*, cuius origines non ultra Olymp. 86 assurgant. *Pythagoran* et *Crotona* Graecorum more dixit Livius, ut passim similia. Conf. ad XLIV, 28, n. 5.

4. *Ex quibus locis, etsi eiusdem aetatis fuisset* Pythagoras cum Numa, *qua fama in Sabinos*, sc. perlata, quae in Sabinos penetrasset (Liviana prorsus brevitate et graeco more, ut pr. Thucyd., dictum, ut c. 21; *fons ex opaco specu*, sc. profluens), *aut quo... excivisset*; Bauer. Is recte monet, non de Numae aut cuiuslibet audire Pythagoram cupientis, sed de ipsius Pythagorae *fama* h. l. sermonem esse, adeoque non cum Gron. (Drak., Stroth. et Ern.) e MSS. et edd. antt. legendum, *quae fama in Sabinos excivisset*, evocasset Pythagoram ad Numam discendi cupidum; sed forte legendum *qua fama in Sabinos lata*, *quo linguae commercio*, vel *qua fama tum Sabinos, aut quo* etc., forsan et *ob cupiditatem discendi*. Cf. XL, 29; Cic. Tusc. IV, 1, et Or. II, 37. Ceterum leve hoc esse Livii argumentum, docet Drak.

5. *Disciplina tetrica*, horrida et severa: ob quam morum severitatem etiam efficta est Sabinorum origo spartana. Cf. Plut. in Numa, p. 61, D, ubi Livium ante oculos habuisse videtur, nisi uterque antiquiorem quemdam exscripserit; Stroth. — *Quo genere* disciplinae aut hominum, nisi potius est qua gente (ut his XXVII, 32, et XXX, 12, n. 4; XXXIV, 17, n. 3), *nullum quondam incorruptius fuit*, v. ad Iuven. III, 169; VI, 164; X, 299.

gnum deferendum decernunt. Accitus, sicut Romulus augurato[6] urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque deos consuli iussit. Inde ab augure, cui deinde, honoris ergo, publicum id perpetuumque sacerdotium fuit, deductus[7] in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit. Augur ad laevam eius, capite velato, sedem cepit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt: inde ubi, prospectu in urbem agrumque capto, deos precatus, regiones[8] ab oriente ad occasum determinavit; dextras ad meridiem partes, laevas ad septemtrionem esse dixit. Signum contra, quo longissime conspectum oculi ferebant, animo finivit. Tum, lituo in laevam manum translato, dextra in caput Numae imposita, precatus est ita: *Iupiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romae esse, uti tu signa nobis certa adclarassis*[9] *inter eos fines, quos feci.* Tum[10] peregit verbis auspicia, quae mitti vellet: quibus missis, declaratus rex Numa de templo descendit.

XIX. Qui, regno ita potitus, urbem[1] novam, con-

6. *Augurato*, capto ante augurio (ut V, 54 extr.), de quo vid. cap. 6 et 7. Sic et *auspicato*, de quo vid. ad V, 21, n. 1. — *Adeptus est*, forte esset.

7. *Deductus in arcem... de templo descendit*, vid. ad cap. 6, n. 6. Ipsa superstitio satis nota. Docte de ea egit Spanhem. ad Callim. H. in Pall. v. 121–124. — *Ad meridiem versus*, conversus; vid. ad XXXVIII, 51, n. 2. — *Capite velato*, v. ad cap. 32, n. 7, et cf. cap. 36, et X, 7.

8. *Regiones ab oriente ad occasum determinavit* pro terminavit, descripsit, finivit: illud tantum in sacris usitatum; Bauer. — *Signum contra... animo finivit*, ex adverso fixit, posuit, destinavit, prop. signo locum.

9. *Uti tu signa... adclarassis*, acclaraveris, h. e. clara et perspicua facias, sc. precor; nisi cum Gronov. leg. *at* (tum) *tu signa* etc.

10. *Peregit verbis auspicia*, pronuntiavit, nuncupavit, declaravit, ut cap. 24 et 32. Sic et *peragere* pro dicere, enarrare, exponere, proponere, v. c. *sententiam* III, 40; IX, 8; XXII, 60; XXXIX, 15. 43 pr. *laudes* VII, 37 pr. *carmen* XXXIX, 15; *indicium* VI, 16; *fabulam* III, 44, et simpl. *peragere* I, 32, n. 8, et XXXIV, 31, n. 7.

Cap. XIX. 1. *Urbem novam*, con-

ditam vi et armis, iure eam legibusque ac moribus de integro condere parat. Quibus quum inter bella assuescere videret non posse, quippe efferatos militia, animos; mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, Ianum[2] ad infimum Argiletum, indicem pacis bellique, fecit: apertus ut in armis esse civitatem, clausus pacatos circa omnes populos significaret. Bis deinde post Numae regnum clausus fuit: semel T. Manlio consule, post punicum primum perfectum bellum: iterum, quod nostrae aetati dii dederunt, ut videremus, post bellum Actiacum, ab imperatore Caesare Augusto, pace terra marique parta. Clauso eo, quum omnium circa finitimorum societate ac foederibus iunxisset animos, positis externorum periculorum curis, ne luxuriarentur otio animi, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat; omnium primum, rem ad multitudinem imperitam, et illis saeculis rudem, efficacissimam, deorum metum iniiciendum ratus est. Qui quum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum dea Egeria[3] congressus

ditam vi et armis, iure eam, eandem: sed πλεονάζει *eam*, more Graecorum, ut passim *is* et *hic*, vel perspicuitatis causa additur; unde et eadem pronomina passim repetuntur, in pr. post parenthesin plurave verba interposita. Cf. ad I, 49, n. 3; I, 58, n. 4; V, 24, n. 6; VI, 8, n. 2; XXI, 3, n. 5; XXII, 1, n. 26; XXV, 27, n. 1; XXVI, 24, n. 10; XXXIII, 13, n. 8; Gronov. et Drak. ad h. l. ad XXV, 27, et XLIV, 40; Purson. Praefat. ad Eurip. Hecub. p. 13.— *Quippe*, utpote, *militia efferatos*. Alii *efferatis m. animis*, non improbante Bauero.

2. *Ianum* (Iani templum) *ad infimum Argiletum* montem, aut potius vicum in XI regione Vrbis, qui a circo maximo ducebat ad forum olitorium portamque Carmentalem; et in Vrbe *Argiletum summum*, extra murum eius *Argiletum imum* dicebatur. In foro illo fuit templum Iani. Conf. intpp. Virg. Aen. VIII, 345, 346, et Varro L. L. IV, 32.—*Semel T. Manlio cos.* anno Vrb. cond. 517, adeoque anno 7 *post punicum bellum primum*. Ab Augusto Ianus bis terve clausus est; v. ad Suet. August. 22. Hinc Lipsius Elect. I, 22 suspicatur, primam certe operis Liviani partem prius editam fuisse, quam Augustus Ianum post devictos Cantabros iterum clauderet.

3. *Dea Egeria*, nympha, vel musa,

nocturnos esse: eius se monitu, quae acceptissima diis essent, sacra instituere; sacerdotes[4] snos cuique deorum praeficere. Atque omnium primum, ad cursum lunae, in duodecim[5] menses describit annum: quem, quia tricenos dies singulis mensibus luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalaribus mensibus interponendis, ita dispensavit, ut quarto[6] et vigesimo anno

vel Numae amica (v. Dionys. II, 60), cuius fons et lucus ad Aricium fuit, et congressus cum Numa in antro Capenarum sub Aventino. Conf. c. 21; Heynius ad Virgil. Aen. VII, 763, et Plut. Numa, p. 61, 62, ubi hanc fabulam inde potissimum ortam dicit, quod Numa post uxoris mortem ruri fere et in lucis sacris ac solitudinibus vixerit. Numa Egeriam quoque *coniugem suam* esse finxit, si vera est lectio cap. 21. Simili vero *commento miraculi* eandemque ob causam Scipio Africanus maior (v. XXVI, 19) aliique sunt usi.

4. *Sacerdotes suos cuique deorum*, h. e. sacris cuiusque dei, *praeficere*, constituere, qui curent deos horumque cultum; ut *antistites Iovis* apud Nep. Lys. 3. Sed cum Duk. forte leg. *cuique eorum*, sc. sacrorum: *suos* aptos, gratos, congruos, quales quisque posceret; Bauer.

5. *In XII menses describit annum*, a Romulo in decem distributum menses, quorum sex erant XXX, quatuor autem XXXI dierum. Numa Ianuar. et Februar. adiecit, illumque primum, hunc ultimum fecit anni mensem, qui postea, sed tempore nobis ignoto, inter Ian. et Mart. interiectus est. Eius annus non CCCIV, ut Romuli, sed CCCLV dierum fuit. Qua ratione Romulus, Numa et Caesar annum rom. ordinaverint, optime docuit Macrob. Sat. I, 12–14, et ex eo egregie totum h. l. obscurum illustravit Gron. Obss. II, 18; conf. et Censorin. de die nat. c. 18; Ernesti clav. Cic. voc. *intercalaris*; intpp. Suet. Caes. 40; et Aelian. V. H. X, 7. — *Solstitiali orbe*, solari, ab uno solstitio ad alterum. — *Intercalaribus mensibus interponendis*, ut *stipendio praeterito exsolvendo* XXI, 5, n. 5 (ubi alii *stipendia praeterita* legunt); cf. ad I, 53, n. 3, et Gron. l. l.

6. *Quarto et vigesimo anno* etc. Cf. de hoc cyclo XXIV annorum, a Numa instituto, Gron. et Ern. ll. ll. Quum vero ille non satis dilucide, et hic non accurate rem exposuisse, vera autem eius ratio etiam doctissimos viros et interpretes Livii fugisse videatur, tirones haec teneant. Annus Graecorum lunaris erat, CCCLIV dierum, et, quia sic quilibet annus XI dies et VI horas, cyclus vero VIII annorum XC dies aberrabat a cursu solis, hi XC dies ab iis octavo quoque anno collecti et in tres menses XXX quemque dierum distributi intercalabantur. Numa autem anno Graecorum in honorem imparis numeri unum adiecit diem, ita ut eius annus CCCLV dierum esset, mensibusque Graecorum intercalaribus retentis post tertiam octaëterida s. XXIV annum dies XXIV superflui essent. Itaque XC illos dies, a Graec. intercalatos,

ad metam eandem solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent. Idem nefastos dies[7] fastosque fecit, quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.

XX. Tum sacerdotibus creandis animum adiecit, quamquam ipse plurima sacra obibat, ea maxime, quae nunc ad Dialem[1] flaminem pertinent. Sed, quia in civitate bellicosa plures Romuli, quam Numae, similes reges putabat fore, iturosque ipsos ad bella, ne sacra regiae vicis[2] desererentur, flaminem Iovi

in quatuor menses intercalarios, (qui ἐμβόλιμοι et Μερκηδόνιοι, s. Μερκιδῖνοι Plutarch. Caes. p. 59, et Num. p. 72 dicuntur), et quidem duos XXII, duos XXIII dierum, descripsit, et quovis biennio post diem XXIII Febr. (v. ad XLIII, 11, n. 7) unum ex his, atque alternis, modo parem, modo imparem, interposuit primis duobus octenniis; at tertio quovis octennio non XC, sed LXVI dies, sc. ter XXII, intercalavit, quia per XXIV annos totidem dies lunari Graec. anno adiecerat. Qua rat. factum est ut *XXIV anno* vel cyclo XXIV annorum *plena annorum omnium spatia* essent, hi XXIV anni lunares, numero dierum intercalationibus aucto, aequarent totidem solares annos, et ipsi diesque eorum *ad metam eandem solis, unde orsi erant*, ad modum anni tropici et cursum solis, vel cum ratione caeli, *congruerent.* — Obscuram hanc fastorum omnisque civilis temporis rationem in rem suam convertit postea callidum Pontificum collegium, quod, prout ipsi libitum fuit et rationibus eius respondit, dies intercalavit; vid. Suet. Caes. 40. Eam quoque non recte percepere Plut. ll. ll., Scaliger et alii, melius vero Solinus, Censorinus et in pr. Macrobius, qui etiam omnes dicunt, Numae annum CCCLV dierum fuisse, non CCCLIV, qui Graecorum et plane lunaris erit. Interpretes Livii tantum non omnes totum hunc locum silentio praetermittunt; pauca et aliena disputant Sigonius et Bauerus.

7. *Fastos dies*, quibus *fas est* ius dicere, vel praetori licet *fari* tria verba solemnia *do* (iudices), *dico* (ius), *addico* (scilic. rem, dominium, debitores etc.); *nefastos*, quibus non licet. Cf. ad VI, 1, n. 7; Varro L. L. V, 4; Ovid. Fast. I, 47, 48.

Cap. XX. 1. *Flaminem Dialem*, s. Iovialem, qui reliquis dignitate antecellebat. *Flamines* erant sacerdotes uni alicui numini addicti, et maiores Dialis, Martialis et Quirinalis, quibus XII minores additi sunt variis temporibus, etiam in honorem Imperatorum. Appellati ita creduntur vel a *filo*, s. *filamentis* laneis, infulis, quibus caput cingebant, vel a *pileo*, quasi *pilamines*, vel a *flameo*, eodem capitis tegumento, apice, proprio Flaminum insigni; vid. Dionys. II, 64, et Plutar. Numa, p. 64, qui Dialem et Martialem iam a Romulo *proditos*, iisque Quirinalem a Numa adiectum dicit.

2. *Ne sacra regiae vicis*, regii mu-

assiduum sacerdotem creavit, insignique eum veste et curuli regia sella adornavit. Huic duos flamines adiecit: Marti unum, alterum Quirino. Virginesque[3] Vestae legit, Alba oriundum sacerdotium, et genti[4] conditoris haud alienum; his, ut assiduae templi antistites essent, stipendium[5] de publico statuit: virginitate aliisque caeremoniis venerabiles ac sanctas fecit. Salios[6] item duodecim Marti Gradivo legit, tunicae-

naris, a rege curanda, *desererentur*, negligerentur. — *Insigni veste*, praetexta, et *curuli sella*, quae *regia* erat, ut postea summorum magistratuum, *curulium*. Formam eius e nummis dedit Spanhem. de usu et pr. num. Dissert. X.

3. *Virgines Vestae legit*, Geganiam, Vereniam, Canuleiam et Tarpeiam, quibus duas addidit Tarquinius Priscus aut Servius Tullius: sed alii iam a Romulo Vestales putarunt *lectas* fuisse; quod voc. propr. est; v. Plut. Numa, p. 66, 67, et Dionys. II, 65, 68.— *Alba oriundum sacerdotium*: Vestam enim eum igni aeterno Aeneas abstulisse Troia dicitur; vid. Heyn. Exc. IX ad Virgil. Aeneid. II. *Vesta*, graece Εστία, s. Ιστία, symbolum erat ignis, primum domestici (cuius usus magnam habebat vim ad vitam hominum excolendam, et familias societatesque formandas, de quo vid. Diodor. V, 68), deinde et elementaris, s. aetherei, ac proprie ita dicebatur focus, qui sacer erat. Hinc Vesta primum colebatur a singulis familiis, postea a civitatibus, maxime vero Romae, cuius salus pendebat ab aeterno eius igni et palladio, quod *fatale pignus imperii romani in aedis penetrali conditum* XXVI, 27. Quoniam focus in medio erat aedium, sacrum eius propr. penetrale dicebatur (ut forte VI, 41, n. 8); at arae illius ac simulacra sacrata erant positaque in penetrali seu media parte aedium privatarum, templorum et Prytaneorum, quin ipsa haec Πρυτανεῖα, in quibus Vesta colebatur et perpetuus servabatur ignis, in media urbium parte sita: unde inf. XLI, 20, *Cyzici Prytaneum, id est, penetrale urbis* etc. Conf. Spanhem. ad Callim. H. in Del. 325, et in Cic. 129; Heyn. l. l. et Hermanni Mythol. t. II, p. 71 et 75 sq. ed. pr.

4. *Genti conditoris* Vrbis, Romuli, *haud alienum*, quasi cognatum; vid. c. 3 extr.

5. *Stipendium de publico statuit*, pecuniam et agros. — *Aliis caeremoniis*, insignibus honoribusque, scil. vittis, praetexta, carpento, lictore, loco honestiore in spectaculis (v. Suet. Aug. 44), iure testamenti condendi, licet minores essent, et rei forte obviam facti a supplicio liberandi.

6. *Salios*, a saltando sic dictos: quae saltatio eorum similis erat πυῤῥίχαις, armatis Graecorum tripudiis; v. Plut. Numa, p. 68, 69. — *Martem Gradivum* explicant vel *gradientem*, in pr. acri impetu in hostem (θοῦρον Ἄρηα), vel κραδαίνοντα, vel *gravem deum*, vel *gramine* ortum. Mitto alias ineptias. — *Aeneum pectori tegumen*, χαλκέας μίτρας et χαλκοῦς ζωστῆρας dicit Dionys. II et VII. Sed fuisse potius ἡμιθωράκιον vel καρδιοφύλακα, pectorale,

que pictae insigne dedit et super tunicam aeneum pectori tegumen: caelestiaque arma, quae ancilia[7] appellantur, ferre, ac per Vrbem ire canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu iussit. Pontificem[8] deinde Numam[9] Marcium, Marci filium, ex Patribus legit, eique[10] sacra omnia exscripta exsi-

laminam aeneam pectori impositam, semiloricam, monet Lips. Mil. Rom. III, 6; vid. Polyb. VI, 23; Paus. X, 26, n. 2, et Polyaeni Strat. lib. IV.

7. *Ancilia*, quae ab omni parte *an-cisa*, recisa quasi vel curva erant, aut potius *ancilia* ab ἄγκυλος appellata, quod περιφέρειαν sinuosam, crebro incurvatam et in apices excurrentem habebant, scuta XII, quorum primum et verum (imperii pignus), ab Egeria de caelo missum esse fingebat Numa; reliqua XI alia simillima, ne furto auferretur, a Veturio Mamurio fabricanda curaverat. Haec *ancilia* Kal. Mart. a Saliis saltantibus canentibusque carmina Saliaria *movebantur*, h. e. per Vrbem ferebantur in honorem Martis; vide ad V, 52, n. 3; XXXVII, 33, n. 3; ad Iuvenal. II, 126; Plut. l. l. et Ovid. Fast. III, 259–389.

8. *Pontificem*, et quidem *Maximum*, si aliis fides habenda, qui tradunt, praeter eum quatuor Pontifices, eosque patricios, a Numa institutos esse (vid. Dionys. II, 73; III, 45); quibus an. Vrb. cond. 452, quatuor e plebe adiecti (v. infr. X, 6), et deinde septem a Sylla. Vocem *Maximum* Livius adiicere demum coepit inde a III, 24; omisitque etiam II, 2, et 27.

9. *Pontificem Numam Marcium*, *Marci* (Marcii) *filium*, Numae regis (cui idem fuit praenomen Sabinum) generum, et Anci Marcii regis patrem. Cf. Tac. Ann. VI, 11; Spanhem. de usu et pr. num. Diss. X, t. II, p. 19, 20; et Plut. Numa, pag. 73, 74, qui docet, Numae ab aliis unam uxorem Tatiam, Tatii regis filiam, ab aliis duas, Tatiam et Lucretiam, a nonnullis quoque unam filiam Pompiliam, ab aliis vero praeter eam quatuor filios, Pomponem, Pinum, Calpum et Mamercum (unde Pomponii, Pinarii, Calpurnii, Mamercii, et eorum cognomen *Rex*) tribui; Pompiliam autem nupsisse Marcio, patri Anci Marcii regis et filio illius Marcii, qui Numam ad regnum suscipiendum impulerit, et cum eo commigraverit Romam, sed post obitum Numae, regni spe frustratus, mortem sibi consciverit.

10. *Sacra omnia exscripta ..... curarentur*: hi sunt *commentarii Numae*, XII libri sacri, βίβλοι ἱεραὶ, sc. ἱεροφαντικαὶ, libri iuris pontificii etc., in papyro Aegypt. et literis forte hieroglyph. vel lineamentis et picturis rudibus compositi, quorum arcano sensu imbuerat pontifices, et quos una cum corpore suo et XII aliis libris, philosophicis et graece scriptis, sub Ianiculo in duabus arcis lapideis recondi iusserat, ὡς οὐ καλῶς ἐν ἀψύχοις γράμμασι φρουρουμένων τῶν ἀπορρήτων; vid. Plut. Num. 74, et ibi Antias Valerius; a quorum narratione abhorrere videntur, quae leguntur inf. c. 31 extr. Hi libri in arcis inventi an. Vrb. cond. 572; sed cremati sunt; v. ad XL, 29. — *Caelestes caeremonias*, cultum deorum superorum (nam opp. *Manes*), *ut idem pontifex edoceret*, sc. voluit, ex praec. *pontificis scitis*

gnataque attribuit; quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica privataque sacra Pontificis scitis subiecit: ut esset, quo consultum plebes veniret; ne quid divini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinosque adsciscendo, turbaretur: nec caelestes modo caeremonias, sed iusta quoque funebria placandosque Manes, ut idem Pontifex edoceret; quaeque prodigia, fulminibus aliove quo visu missa, susciperentur[11] atque curarentur. Ad ea elicienda ex mentibus divinis, Iovi[12] Elicio aram in Aventino dicavit, deumque

subiecit: sed licet etiam iungere illi *ut esset, quo plebs veniret;* Bauer.

11. *Prodigia suscipere*, ut cap. 34, *accipere augurium*, res et eventus extraordinarios (qui non omnes sunt prodigia) pro prodigiis, h. e. indiciis divinae voluntatis vel rebus, non temere et casu, sed consilio nutuque divino, factis, habere, et dignos iudicare, quorum ratio habeatur, quique procurentur. Nam veteres putabant, *ostentorum vires in nostra potestate esse, ac prout quaeque accepta sint, ita valere*. Plin. XXVIII, 2 s. 4. Conf. ad I, 31, n. 1, at XLIII, 13, n. 6. — *Procurare* et *curare prodigia* pro vulg. *expiare*, h. e. curare et facere ea (in pr. sacra), quibus expiari piaculum aliquod, deorumve ira prodigiis declarata placari potest. Conf. ad III, 23, n. 8, et V, 50, n. 1.

12. *Iovi Elicio:* is idem qui Καταιβάτης, descensor, fulgurator (de quo Burm. docte egit in singulari libello), nisi quod ille ita dictus est a prisca opinione Etruscorum et Romanorum, qua Iupiter et fulmina sacris quibusdam et precationibus e caelo *elici* (quae ratio nominis, ab Ov. Fast. III, 327, 328, memorata, probabilior est ea, quam h. l. Livius attulit), vel *cogi*, *evocari* et *impetrari*, s. *impetriri* posse credebantur, quod a Porsena, Numa et Tullo Hostilio factum refert ex lib. II Valerii Antiatis Arnobius adv. gentes, lib. V, p. 154 (ed. Lugd. Batav. 1651), et e L. Pisonis Annalib. Plin. II, 52, 53, et XXVIII, 2 s. 4, ubi dicit, «Volsinios totos concrematos esse fulmine; evocatum et a Porsena, et ante eum saepius a Numa; Tullum Hostilium, hoc imitatum et ex Numae libris eodem, quo illum, sacrificio Iovem caelo devocare conatum, quoniam parum rite quaedam fecisset, fulmine ictum». Cf. inf. c. 31 extr., ubi Livius verbis *nulla* Tullo *oblata caelestium species* vel exornavit Pisoniana, vel antiquam superstitionem significavit, vel indicare voluit Tullum fulmine ictum nihil vidisse aut audivisse; Ovid. Fast. III, 285-348; Dionys. III, 35; Plutarch. Num. pag. 70, qui tamen pag. 75. Tullum dicit ludibrio habuisse religionem Numae; at Lenz, *in Magazin für Philol. herausg. von Ruperti und Schlichthorst:* tom. II, pag. 48 sq., ubi his narra-

consuluit auguriis, quae suscipienda [13] essent.

XXI. Ad haec[1] consultanda procurandaque, multitudine omni a vi et armis conversa, et animi aliquid agendo occupati erant, et deorum assidua insidens cura, quum interesse rebus humanis caeleste Numen videretur, ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac iusiurandum, proximo[2] legum ac poenarum metu, civitatem regerent. Et quum ipsi se[3] homines

tionibus primos, vulgo sic dictos, conductores fulminis designari ingeniose suspicatur. Sic ad electricae materiae vim et naturam referendae omnino sunt flammae subito in antennis navium, vel in spiculis ac signis castrorum terrae infixis, vel in puerorum virorumque capitibus visae, necnon ignes caelestes multifariam orti et complurium vestimenta adurentes, atque alia, de quibus v. ad c. 31, n. 1. Sed homines olim, talia animadvertentes, iam vera eorum perspexisse causas, et ita facile ad artem Franklini demum ingenio inventam, traduci potuisse, nec potius ad vulgaria prodigiorum procurandorum remedia, a superstitione reperta, precationes et sacrificia, confugisse, vix crediderim: at liceat mea facere verba Heynii in Opusc. Acad. t. III, p. 125: «Casu accidit, ut Tullus fulmine ictus cum domo sua conflagraret: nam eum arte aliqua temere adhibita ignem caelestem in se derivasse videri, temporum barbaries credere vetat; etsi potuit certos ritus patrare, sacris factis, in loco incluso, quibus fulminis vim adliceret; potuit quoque res fabulose ornari, quum fama tantum hoc constaret, incendio Tullum periisse: certe Dionys. III, 35, e suis auctoribus nihil de ea re memoravit».

13. *Quae suscipienda essent*, scilic. prodigia.

Cap. XXI. 1. *Ad haec consultanda*, ad consultandum de his rebus, ut c. 55 extr. et *rem delatam consulere* II, 28 pr. — Mox *assidua* pro *assidue*, more Livii; nisi forte ita legend., ne duo epitheta iungantur: sed cf. Virg. Georg. I, 449; Bauer.

2. *Proximo legum ac poenarum metu* dure dictum, pro iniiciendo civibus metum proxime accedentem ad eum metum, quem leges ac poenae incutiunt, ei paene parem. Forte legend. *proxime metum*, quam Mureti coniecturam probarunt Gron., Drak. et Bauer. (qui monet, leges ac poenas primum esse, quod metuant plerique homines, tempore certe ac sensus ordine, et, ubi hic metus parum valeat, numinis metum adiiciendum esse), vel *perculsam proxime* (paulo ante, Romuli temporibus) seu simpl. *perculsam legum ac p. metu civitatem*: nam in multis MSS. leg. *propulso* pro *proximo*.

3. *Quum ipsi se homines in regis, velut unici exempli, mores formarent*: nam qualis rex, talis grex. Conf. V, 28; ad Iuven. VI, 617; VIII, 198, et Lamberti Bosii Spec. animadv. ad script. latin. p. 3; *unici exempli*, singularis, praecipui, optimi; ut passim *unicus* dicitur, qui parem sui non habet, vel in genere suo praestantissimus est. Cf. II, 58; III, 33, 35; VI, 6, 22; VII, 1, 12, 25; VIII, 31; IX,

in regis, velut unici exempli, mores formarent; tum finitimi etiam populi, qui ante, castra, non urbem, positam in medio ad sollicitandam omnium pacem, crediderant, in eam verecundiam adducti sunt, ut civitatem, totam in cultum versam deorum, violari ducerent nefas. Lucus[4] erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua: quo quia se persaepe Numa sine arbitris, velut ad congressum deae, inferebat, Camenis eum lucum sacravit; quod earum ibi concilia cum coniuge sua Egeria essent: et soli[5] Fidei solemne instituit. Ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato[6], vehi iussit, manuque ad digitos usque involuta rem divinam facere: significantes fidem tutandam, sedemque eius etiam in dextris sacratam esse. Multa alia sacrificia[7] locaque sacris fa-

15; XXII, 14, 27; XXIII, 11, 21, 42; XXIV, 34; XXV, 28; XXXIII, 21; XLV, 6; Heins. ad Ovid. Met. III, 454; Passerat. ad Catull. p. 24, et ad Prop. p. 150. Sic et *unus* XLV, 32, n. 3, nisi leg. ibi *unicus*.

4. *Lucus erat....cum coniuge sua Egeria essent*, vid. ad cap. 19, n. 3.—*Fons ex opaco specu*, vid. ad cap. 18, n. 4. — *Sine arbitris*, vid. ad VI, 33, n. 3.

5. *Et soli Fidei solemne instituit*, ei prae ceteris numinibus instituit sacra solemni et singulari ritu celebranda, putaos; ut aute dictum est, *fide* potissimum *ac iureiurando civitatem regendam*, et, ut Dionys. II, 75 dicit, Iustitiae, Nemesi, Furiis aliisque eiusmodi numinibus honores divinos sat amplos a maioribus, Fidei vero, qua nulla res hominibus aut maior esse posset aut sanctior, nullum cultum, nec publice nec privatim, tributum esse: ταῦτα διανοηθεὶς πρῶτος ἀνθρώπων ἱερὸν ἱδρύσατο Πίστεως δημοσίᾳ etc. Ab eodem Numa primum Termino templum esse exstructum, tradunt Dionys. II, 74, et Plutarch. in Numa, pag. 70. Baueri adnotatio est: « *soli Fidei*, i. e., ut cum aliis commune ei non esset. *Solemne* hic *templum* significare posse, audacius forsan, quam verius dixerim, ut hoc velit Livius, numen Fidei non habuisse σύνναον vel πάρεδρον. Sequentia firmant *ad id sacrarium*. Sed et sic intelligere licet, totum Fidei sacrum commune ei cum alio non fuisse, rem divinam quoque soli factam; quod tamen minime infrequens: semper enim uni deo, etiamsi σύνναον haberet, separatim sacra fiebant. Fortasse mendum subest ». Quidam τὸ *soli* delendum putant, aut legendum *simul*, vel *populi* e Dionysio; qui tamen δημοσίᾳ dixit, non Πίστιν δημοσίαν.

6. *Curru arcuato*, semicirculari; vel potius camerato, velo virgisve desuper adoperto, tecto, ut hoc curru et *manu involuta* taciturnitas designetur, et *fidem tutandam* vel secreta servanda esse.

7. *Multa alia sacrificia locaque...*

ciendis, quae Argeos pontifices vocant, dedicavit. Omnium tamen maximum eius operum fuit tutela, per omne regni tempus, haud minor pacis, quam regni. Ita duo[8] deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt. Romulus septem et triginta regnavit annos: Numa tres et quadraginta. Tum valida, tum temperata et belli et pacis artibus, erat civitas.

XXII. Numae morte ad interregnum res rediit. Inde Tullum[1] Hostilium, nepotem Hostilii, cuius in infima arce clara pugna adversus Sabinos fuerat, regem populus iussit. Patres auctores facti. Hic non solum proximo[2] regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit: tum aetas viresque, tum avita quoque gloria animum stimulabat: senescere[3] igitur civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quaerebat. Forte evenit, ut agrestes Romani ex albano agro, Albani ex romano praedas invicem agerent. Imperitabat tum C. Cluilius[4] Albae. Vtrimque

dedicavit, illa constituit, haec destinavit. Conf. ad I, 33, n. 7.— *Argei* luci unde dicti sint ignoramus.

8. *Duo deinceps reges*, ordine sequuti, sibi succedentes. *Deinceps* alter post alterum, alii post alios ordine continuo, et ἑξῆς vel ἑξείης, v. c. ap. Hom. Il. VI, 241; cf. I, 44, n. 6; III, 39, 60; V, 17, 37, 51; VI, 5; IX, 6, et Drak. ad II, 47, n. 11.

Cap. XXII. 1. *Tullum Hostilium, nepotem Hostilii* etc. vid. c. 12 pr. et ibi n. 3. — *Regem iussit*, esse voluit, creavit. — *Patres auctores facti*, v. ad c. 17, n. 5.

2. *Proximo regi dissimilis*, ut Numa bellicoso regi successit pacis amans, quod magno usui fuit reipublicae.

3. *Senescere igitur civitatem otio*, ut alibi *languere, languescere, elanguescere*, quibus opponuntur *florere, vigere* et *maturescere*; cf. III, 12, n. 4, *senescentibus vitiis*, *maturescente virtute*, et apud Polybium VI, 51, 5: ἡ μὲν Καρχηδὼν ἤδη τότε παρήκμαζεν, ἡ δὲ Ῥώμη μάλιστα τότ' εἶχε τὴν ἀκμήν· *senescere*, ut *consenescere* et γηράσκειν, est vigorem amittere et vires, adeoque debilitari, imminui, languere, ut V, 21; IX, 3, 27; XXI, 53; XXII, 39, XXV, 7; XXVII, 20; XXVIII, 36; XXIX, 3, 22; XXX, 19; XXXV, 12; deinde et moerore curisque confici, vexari, cruciari, ut V, 43, n. 6, et ap. Flor. I, 22 extr. unde *senium* inf. VII, 22, n. 3, est taedium, quod scilicet nimia rei diuturnitate creatur. Cf. ad Sil. II, 457.

4. *C. Cluilius*, a quo dicta *fossa*

legati fere sub idem tempus ad res repetendas missi. Tullus praeceperat suis, ne quid[5] prius, quam mandata, agerent: satis sciebat, negaturum Albanum; ita pie[6] bellum indici posse. Ab Albanis socordius res acta: excepti hospitio ab Tullo blande ac benigne, comiter regis convivium celebrant. Tantisper Romani et res repetiverant priores, et neganti Albano bellum in trigesimum[7] diem indixerant: haec renuntiant Tullo. Tum legatis Tullus dicendi potestatem, quid petentes venerint, facit. Illi omnium ignari, primum purgando terunt tempus: *se invitos quidquam, quod minus placeat Tullo, dicturos; sed imperio subigi: res repetitum se venisse: ni reddantur, bellum indicere iussos.* Ad haec Tullus: *Nuntiate*, inquit, *regi vestro, regem romanum deos facere testes, uter prius populus res repetentes legatos aspernatus dimiserit, ut in eum omnes expetant*[8] *huiusce clades belli.*

Cluilia, c. 23. Ducem Κοίλιον et fossam Καιλίαν vocat Dionys. III; sed hanc lib. VIII Κλοιλίαν. Sic quoque Plut. in Coriol. et Festus *Claelium* et *Claeliam fossam*. Fuit etiam *Claelia gens* Albae, post huius excidium Romam translata. *Cluilius* autem et *Claelius* eiusdem gentis nomina sunt.

5. *Ne quid prius, quam mandata, agerent*, ut extemplo, sine mora, *res repeterent*, ablatas res exposcerent reddendas, vel *ut res redderentur et satis fieret*, ut XXXVI, 3, n. 4. Si nihil ablatum est, *res repetere* significat poscere, ut satisfiat iustis desideriis, vel iniuria quacumque abstineatur, ut inf. cap. 32, et VII, 32 pr.

6. *Pie bellum indici*, iustam ob causam; ut *pium bellum* pro iusto, quo non violatur religio aut fides, et contra c. 23, *impium*. Hinc *pium iustumque bellum* XLII, 23; IX, 1, et 8, ubi vid. Drak.

7. *In trigesimum diem*, Sigonius emend. *in trigesimum tertium diem*, quoniam *tot dies solemnes esse* dicit Livius c. 32, et Serv. ad Virg. Aen. IX, 53. Sed aut rotundius hic loqui visum est Livio, aut nondum illa iuris fetialis ratio, ut ab Anco est constituta, ita sub Tullo iam servabatur; Bauer. Cum Livio facit Dionys. II, p. 132, et alia ratio est infr. c. 32, ubi dedita opera belli indicendi rationem diligentius enarrat; Drak.

8. *In eum expetant clades*, immittant, ab eo, poenae loco, expetant, ei contingere iubeant, ut c. 23, *In omne nomen albanum expetere poenas*, ab omnibus Albanis repetere poenas iniuriae, et simpl. *expetere poenas* VI, 29 (cf. ad. c. 25, n. 7); nisi malis cum Bauero exponere: belli *clades* (nomin.) ei ingruant.

XXIII. Haec nuntiant domum Albani. Et bellum utrimque summa ope parabatur, civili simillimum bello, prope inter parentes natosque; Troianam utramque prolem, quum Lavinium ab Troia, ab Lavinio Alba, ab Albanorum stirpe regum oriundi Romani essent. Eventus tamen belli minus miserabilem dimicationem fecit: quod nec acie certatum est; et, tectis modo dirutis alterius urbis, duo populi in unum confusi sunt. Albani priores ingenti exercitu in agrum romanum impetum fecere. Castra ab urbe haud plus quinque millia passuum locant, fossa circumdant: fossa Cluilia ab nomine ducis per aliquot saecula appellata est, donec cum re nomen[1] quoque vetustate abolevit: in his castris[2] Cluilius albanus rex moritur; dictatorem Albani[3] Mettum Fuffetium creant. Interim Tullus ferox, praecipue morte regis, magnumque deorum numen, ab ipso capite orsum, in omne nomen albanum expetiturum poenas ob bellum impium dictitans, nocte, praeteritis hostium castris, infesto[4] exercitu in agrum albanum pergit. Ea res ab stativis excivit Mettum: ducit, quam proxime

CAP. XXIII. 1. *Nomen vetustate abolevit*, interiit, intercidit, ut passim *abolescere*, vel, ut alii putant, *abolere*, neutraliter et passive dictum; v. c. III, 55; VIII, 11 pr. IX, 36. At *abolere magistratum alicui* III, 38, n. 7, est eripere (ut *abrogare* V, 11, XXXIII, 16, XXXVII, 20); *societatem* VIII, 27, n. 2, tollere, dirimere; *ritus rom. intra parietes* XXV, 1, n. 5, non colere, omittere (ut *intra parietes abrogare* apud Tac. Ann. XII, 41); *disciplinam*, scilicet ritus *sacrificandi* XXXIX, 16, tollere, abrogare.

2. *In castris Cluilius moritur*, mortuus saue inventus in tabernaculo cum indiciis violentae caedis; vide Dionys. III, 4.

3. *Albani Mettum Fuffetium creant dictatorem*, qui est summus magistratus in multis oppidis et municipiis; cf. III, 18; VI, 26; XXIII, 13 ext. (*Dictator* Carthagin., quem titulum etiam Hannibali dat Cato ap. Gell. X, 24); Cic. Mil. 10; Periz. diss. de praet. I, 11; intpp. Iustini IX, 1, et Frontini II, 1, 4; Spanhem. ad Iuliani orat. I, pag. 130; Μέττιον Φουφέττιον appellat Plutarch. Φουφέττιον Dionys. *Metum* Virg. Aen. VIII, 642; non *Mettium* aut *Metium*, quod gentis potius, et Romanae, nomen est.

4. *Infesto exercitu*, vid. ad c. 13,

ad hostem potest; inde legatum praemissum nuntiare Tullo iubet, priusquam dimicent, opus esse colloquio: si secum congressus sit, satis scire, ea se allaturum, quae nihilo minus ad rem romanam[5], quam ad albanam, pertineant. Haud aspernatus Tullus, tametsi vana[6] afferebantur, in aciem educit. Exeunt contra et Albani. Postquam instructi utrimque stabant, cum paucis procerum in medium duces procedunt. Ibi infit Albanus: *Iniurias[7] et non redditas res ex foedere, quae repetitae sint, et ego regem nostrum Cluilium, causam huiusce esse belli, audisse videor: nec te dubito, Tulle, eadem prae te ferre. Sed, si vera potius, quam dictu speciosa, dicenda sunt, cupido imperii duos cognatos vicinosque populos ad arma stimulat: neque, recte[8], an perperam, interpretor: fuerit ista eius deliberatio, qui bellum suscepit: me Albani gerendo bello ducem creavere: illud te, Tulle, monitum velim: etrusca res, quanta circa nos teque maxime sit, quo propior[9] es, hoc magis scis: multum*

n. 2. — *Ducit*, sc. copias, s. exercitum, ut sexcenties ap. Livium. Sic et *educere* (h. e. copias ducere e castris) *in aciem* paulo post et XXI, 39 ext. XXII, 12; XXVI, 2, n. 3; XXXII, 30, n. 2; XL, 25, n. 5; *mittere* XLII, 56, n. 5; *adducere* et *reducere* XXXIII, 37, n. 3; *circumducere* XXXIV, 14 pr.

5. *Ad romanam rem*, utilitatem.

6. *Tametsi vana afferebantur*; nam Tullus pugnandi cupidus erat; *tamen*, ut *si vana a.* conj. Periz. et *tametsi vana afferri rebatur* non male Faber.

7. *Iniurias et non redditas res causam huiusce esse belli, et Cluilium*, scil. *prae se ferre*, h. e. dicere, s. dicentem aliquando *audisse ego* mihi *videor* (puto), *et te non dubito eadem prae te ferre*, dicere, profiteri: nisi Liv. scripsit *et ego rege ex nostro Cluilio audisse videor*, vel cum Periz. et Bauero supplere malis *dicentem*, vel ipse Cluilius etiam *causa huius belli* dicitur: et revera ejus auctor fuit, si scriptoribus romanis fides habenda; vid. Dionys. III, 2, et inf. ad XXI, 43, n. 4.

8. *Neque recte an perperam* id fiat, *interpretor*, iudico, iudicium facio: *fuerit*, ait, *ista eius*, populi aut regis, *deliberatio*, *qui bellum suscepit*, incepit. Dubitanter loquitur metu ferociae Tulli.

9. *Quo propior es*, scilic. Etruscis, *hoc magis scis* (cf. ad XXXI, 31, n. 9), edidi auctore Heynio in *Goetting. Anzeigen* A. 1781, p. 437. In omnibus fere MSS. legitur *quo proprior*

illi terra, plurimum mari pollent. Memor esto, iam, quum signum pugnae dabis, has duas acies spectaculo fore; ut fessos confectosque, simul victorem ac victum aggrediantur. Itaque, si nos dii amant, quoniam, non contenti libertate certa, in dubiam[10] *imperii servitiique aleam imus, ineamus aliquam viam, qua utri utris imperent, sine magna clade, sine multo sanguine utriusque populi, decerni possit.* Haud displicet res Tullo, quamquam, tum indole animi, tum spe victoriae, ferocior erat. Quaerentibus utrimque ratio initur, cui et fortuna ipsa praebuit materiam.

XXIV. Forte in duobus tum exercitibus erant trigemini[1] fratres, nec aetate, nec viribus dispares. Ho-

es Volscis, s. *Vulscis*, et in plurimis edd. *quo propiores vos*. Sed tum *Volscis* tum *vos* glossam interpolationem redolet; nam illa vox ab h. l. aliena, quia Volsci erant Latini, non Etrusci; haec inde orta est, quod librarii *propior es* perperam una voce scripserant. — In Cod. Paris. legitur *qui propior Vulscis*, omisso τῷ *es*; manus secunda correxit *Volscis*. Lem. — *Tuscis* pro *Volscis* reposuit Stroth., et *Veiis* conj. Iac. Gron. ex c. 15 et 28: cf. Dionys. III, 6, ubi tradit, Veientes et Fidenates, certiores de hoc bello factos, convenisse Fidenas, ibique consilium cepisse, insidias utrique populo parandi, et *fessos confectosque*, proelio fractos, *simul victorem ac victum aggrediendi*; Mettum vero comperisse id per literas, easque Tullo tradidisse. Hinc minus mirum, quod ferox Tullus haec non *aspernatus* sit, tanquam *vana* et ficta.

10. *In dubiam imperii servitiique aleam*, nam *alea* dicitur omnis res, quae magis fortuna quam arte regitur; cf. ad XXVIII, 42, n. 11; XXXI, 35; XXXVII, 36; XL, 21; XLII, 50, 59. — *Decerni possit*, vid. ad VII, 9, n. 4.

Cap. XXIV. 1. *Trigemini fratres* (voc. *fratres* addere non est necesse, Quintil. Inst. Orat IX, 4), alii *tergemini*. Illam scripturam nummi gentis Curiatiae firmant, et *trigemini* dicuntur tres uno partu editi, *tergemini* vero triformes, triplices, vel amplissimi maximique; Duk. ad Flor. I, 3, 3; prob. Drak. Alii nihil inter has voces interesse putant. Fratres illos eodem quoque die a matribus, geminis sororibus filiabusque Sequinii Albani, editos dicit Dionys. III, 14, 15. Sed fabulosa forte tota historia, cui prorsus similem de Tegeatibus Pheneatibusque, ex Demarati Arcadicis petitam, narravit Plutarch. in Parall. t. II, p. 309. — *Curatiosque* multi MSS. pro *Curiatiosque*, ut et III, 32 pr. V, 11 et al. Mox *notabil.* pro *nobilior* conj. Wak. ad Lucret. I, 356; cf. inf. ad XXVII, 35, n. 5. — *Nominum error*, dubitatio de nominibus, qua nomina, ut incerta sint nomina, nempe utrum utrius partis fuerit; Bauer.

ratios Curiatiosque fuisse, satis constat; nec ferme res antiqua alia est nobilior: tamen in re tam clara nominum error manet; utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint. Auctores[2] utroque trahunt: plures tamen invenio, qui Romanos Horatios vocent: hos ut sequar, inclinat animus. Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro: ibi imperium[3] fore, unde victoria fuerit. Nihil recusatur; tempus et locus convenit. Priusquam dimicarent, foedus ictum inter Romanos et Albanos est his legibus, ut, cuiusque[4] populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Foedera alia aliis legibus, ceterum eodem modo omnia, fiunt. Tum ita factum accepimus, nec ullius vetustior foederis memoria est. Fetialis[5] regem Tullum ita rogavit: *Iubesne me, Rex, cum patre patrato populi albani foedus ferire?* iubente rege, *Sagmina*[6], inquit, *te*, *Rex*,

2. *Auctores utroque trahunt*, ad ntrumque populum. Similiter *in diversum auctores trahunt*, diverso modo narrant, XXV, 11 extr. et XXXVIII, 56 pr. — *Hos ut sequar, inclinat animus*, unde et c. 30, Curiatios Alba Romam translatos et in Patres scribit lectos: quod, si constare vellet sibi, aut in eiusmodi dubitationibus operam consumere, pro certo scribere haud posset; Bauer. Cf. ad I, 55, n. 4.

3. *Ibi imperium fore*, penes eam partem, *unde*, a qua, *victoria fuerit*. Cf. Cort. ad Sall. Iug. 14 §. 22.

4. *Cuiusque populi* antique pro *cuius*, vel potius *cuiuscumque*, ut passim *quisque*, v. c. XXIII, 11, n. 8; XXV, 29, n. 4. Sic et *quandoque* pro *quando* vel *quandocumque* c. 31 (ubi vid. Drak.); IX, 10; XXI, 3; XXIX, 10; cf. Gron. Ap. Horatium nil frequentius esse monet Bauer. coll. Od. IV, 1, 17; IV, 2, 44; A. P. 259. Idem mox *vetustior* per hypallagen pro *vetustioris* dictum putat.

5. *Fetiales* XX sacerdotes, a Numa instituti; vid. Dionys. II, 72; Plutar. Numa pag. 68, et Cic. de Leg. II, 9. Ritus, quo bellum indicebant, et forma iuris, quo utebantur, ab Anco constitnta. Cf. c. 32, ubi Livius, alios forte auctores sequutus, ab Aequiculis iura fetialia petita dicit, quae tamen iam antiquitus inter alios Italiae populos, v. c. Albanos et Samnites, viguisse constat ex hoc cap. et 8, 39. Cf. ad I, 55, n. 4. *Fetiales*, gr. Φιτιαλεῖς, Φητιαλεῖς et Φετιαλεῖς, non *Feciales*; sie dieti putantur a *facere* vel *ferire* foedus, vel *fari*, vel ant. *fedus*, s. *fetus* pro *foedus*. — De *patre patrato* mox plura dicuntur.

6. *Sagmina te posco* (a te), ut

posco. Rex ait, *Puram tollito.* Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea regem ita rogavit: *Rex, facisne*[7] *me tu regium nuntium populi romani Quiritium? vasa, comitesque meos?* Rex respondit: *Quod sine*[8] *fraude mea populique romani Quiritium fiat, facio.* Fetialis erat M. Valerius: patrem patratum Sp. Fusium fecit, verbena caput capillosque tangens. Pater patratus ad iusiurandum patrandum, id est, sanciendum fit foedus; multisque id verbis, quae longo effata[9] carmine non operae est[10] referre,

XXX, 43, n. 5, et XXXV, 33, n. 5. Sic et *quisque signum duces poscere* VII, 32, n. 2; *sagmina* (prop. forsan *sancimina*) vel *verbenae* omnes herbaa saerae ac *purae*, *ex arce*, e loco Capitolii sacro, cum sua terra evulsaa, et propter arcanam vim, quae iis inesse credebatur, in sacris, legationibus, lustrationibus artibusque magicis adhibitae; vid. ad II, 54, n. 6; XXX, 43, n. 5; Pliu. XXII, 2, et Festus. — *Puram*, sc. herbam, verbenam, *ἱεροβοτάνην.—Graminis herbam*, g. germen viride, vel herbam gramineam, ut forte infra not. 14 *saxo silice* pro siliceo; vel quia gramen a Plin. XXIV, 19, inter herbas refertur. Cf. ad XXIV, 3, n. 3; Heyn. ad Virg. Ecl. V, 26, et Gierig. ad Ovid. Met. X, 87.

7. *Facisne me tu regium nuntium populi romani Quir.*, quidam libri rectius, puto, *populique*, ut mox *sine fraude mea populique rom. Q.—Vasa* res et instrumenta mea (ut σκεύη omne suppellectil. genus: unde *vasa colligere* XXII, 30; XXIV, 16; XXVII, 27, 47; de impedimentis exercitus castra moventis), scil. regia, *comitesque meos* regios: declarasne, me et omnia mea quasi publica esse; non privata? *Populus romanus Quiritium*, ut al. *populus romanus Quirites.* Cf. c. 32, et Gron. Obss. IV, 14.

8. *Quod* (utinam, vel potius quoad) *sine fraude mea populique rom. fiat*, sine meo populique detrimento (conf. ad III, 53, n. 4, et XXII, 10, n. 6), vel, ut mox dicitur, *sine dolo malo*, sine malitiosa foederis interpretatione (si sciens quis fallit), quae mihi possit esse *fraudi*, damno.—*Sp. Fusium*, non *Fufium* (quae gens nova fuit et plebeia), sed ex gente *Furia*, quae *Fusia* olim dicta est. Cf. Drak.—*Verbena caput capillosque tangens*, quidam MSS. *tegens*, quod arridere potest coll. Virg. Aen. XII, 120. *Pater patratus ad sanciendum foedus*, h. e. confirmandum iureiurando atque exsecrationibus in violatores eius, *fit*, eligitur ex Fetialium collegio et inauguratur verbena tactus.

9. *Longo effata*, expressa, *carmine*, formula, verbis solemnibus, ut c. 26; III, 64; XXXI, 17; XXXIII, 32; XXXIX, 15. Sic μέλος et ὕμνος de oratione prosaica; Ern. v. Cuper. Obss. I, 10.—*Peragit* idem quod mox *recitare.* Conf. ad c. 18, n. 10, ubi pluribus exemplis illustratur.

10. *Non operae est* mihi pretium vel res, h. e. cui operam dare vel vacare possim; non est mihi otium,

peragit. Legibus deinde recitatis: *Audi*, inquit, *Iupiter; audi, pater patrate populi albani; audi*[11] *tu, populus albanus: ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerave*[12] *recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus romanus prior non deficiet. Si prior defexit*[13] *publico consilio, dolo malo; tu illo die, Iupiter, populum romanum sic ferito, ut ego hunc porcum*[14] *hic hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque.* Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit: sua item carmina Albani suumque iusiurandum per suum dictatorem suosque sacerdotes peregerunt.

XXV. Foedere icto, trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Quum sui utrosque adhortarentur, *deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum*[1] *tunc arma, il-*

aut facultas, aut libido. Cf. IV, 8; IX, 23; XXI, 9; XXXIII, 20; XLI, 25; XLIV, 36.

11. *Audi tu, populus albanus*, popule albane. — *Prima postrema* pro *prima et postrema*. Copula *et* millies omittitur, in pr. in formulis priscis et solemnibus. Confer ad II, 39, n. 10; VII, 40, n. 1; XXVI, 1, n. 1; XXVI, 41, n. 4; XXXI, 6 princip. *postremaque* et *postremave* al.

12. *Tabulis cerave*, forte *ceratis*: certe ita h. l. expono, non de tabulis aeneis et ceratis. — *Vtique*, et uti, scilicet ut.

13. *Defexit* antique pro *defecerit*. —*Tu illo die Iupiter*. Sigonius observavit scriptos habere *tum ille dies Iupiter*. Consentiunt unus Gronovianus, et cod. Paris.: inde manifestum est legi debere *Diespiter*, ut Sigonios et Turnebos, Advers. XI, 17, voluere. Turbat τὸ *ille*: quod facile credideriums natum esse e mala cura eorum, qui quom legerent *dies Iupiter*, voluerunt fulcire nomen *dies* addito pronomine. Vt ut sit, emendandum censemus *tum Diespiter*, vel *tum tu Diespiter*. Omnem dubitationem eximit Festus, a Sigonio allegatus, qui in voce *lapidem* affert hanc iurandi formulam, *si sciens fallo, tum me Diespiter bonis eiiciat. Diespiter* autem Iupiter dictus est, quasi *diei pater*. Lem.

14. *Vt ego hunc porcum feriam* . . ., *porcum saxo silice percussit*, cf. IX, 5; XXI, 45; Plutarch. Syll. p. 458, Festus v. *Lapidem*. Hinc *foedus ferire*, *icere*, *percutere*, ὅρκια τέμνειν, forte et *Iovem lapidem iurare*, de quo vid. intpp. Gell. I, 21; Cic. ad div. VII, 12, et Schweigh. ad Polyb. III, 25, 6, 7.—*Saxo* et quidem *silice*. Alterum substant. aut redundat, aut adiectivi loco est; Baner. Cf. not. 6.

Cap. XXV. 1. *Illorum tunc arma*, quum pugnam inituri essent; nisi

lorum intueri manus: feroces et suopte ingenio, et pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt. Consederant utrimque pro castris duo exercitus, periculi magis praesentis, quam curae, expertes: quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Itaque[2] ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur. Datur signum; infestisque armis, velut acies, terni iuvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt: nec his, nec illis periculum suum; publicum imperium servitiumque obversatur animo, futuraque ea deinde patriae fortuna, quam ipsi fecissent. Vt primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit; et, neutro[3] inclinata spe, torpebat vox spiritusque. Consertis deinde manibus, quum iam non motus tantum corporum, agitatioque[4] anceps telorum armorumque, sed vulnera quo-

potius leg. *nunc*. Sed passim *tunc* et *tum* pro *nunc* dictum, e Livii forte persona ac mente. Cf. ad XXXIX, 11, 13, 17. — *Et feroces* (ita verba forte transponenda) *suopte ingenio, et pleni adhortantium vocibus*, v. ad Tac. Ann. I, 31, 11.

2. *Itaque ergo*, passim obvius pleonasmus, ut III, 31; IX, 31; XXVIII, 12; XXXIX, 25, al. — *Erecti suspensique*, exspectationis vel spei et metus pleni; vid. ad II, 54, n. 12. Mox ante *publicum imperium*, supple *sed* vel *tantum*; vid. ad III, 71, n. 4. — *Futuraque ea*, quod ea futura esset, τὸ μέλλειν ἔσεσθαι; Bauer.

3. *Neutro inclinata spe*, ad neutram partem.

4. *Agitatio anceps*, duplex, *telorum*, vel pro *ancipitium telorum*, i. e. ab utraque parte missorum, ut XXIII, 24, n. 7; XXVIII, 19, n. 4; XXX, 33, n. 3; XXXVII, 11. Sic et *anceps metus* et *periculum*, duplex, geminum, tam ab hoste quam a civibus paratum II, 20, 45; XXXVII, 43; *anceps proelium*, hoste et a fronte et a tergo urgente, V, 8, 13; VI, 33; *anceps odium* XXVII, 27, 17, ubi vid. not. 7; *anceps utrimque* (de quo pleonasmo vid. ad II, 45, n. 10), *hostis*, *ictus* et *ad ictum* XXVI, 46, n. 1 et n. 3; XXX, 33, n. 10; ubi Gronov. monet, *anceps* dici utrimque sese eodem modo habens, hinc et illinc capitatum, in utramque partem idem, sive ob naturam rei, sive ob ingenium loci, sive ob effectum. De discrimine *telorum armorumque* v. ad I, 43, n. 4.

que et sanguis spectaculo essent; duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. Ad quorum casum quum conclamasset gaudio albanus exercitus, romanas legiones iam spes tota, nondum tamen cura[5] deseruerat, exanimes vice unius, quem tres Curiatii circumsteterant. Forte is integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox. Ergo, ut segregaret[6] pugnam eorum, capessit fugam, ita ratus sequuturos, ut quemque vulnere affectum corpus sineret. Iam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, quum respiciens videt magnis intervallis sequentes: unum haud procul ab sese abesse. In eum magno impetu rediit: et dum albanus exercitus inclamat Curiatiis, uti opem ferant fratri, iam Horatius, caeso hoste victor, secundam pugnam[7] petebat. Tum clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adiuvant militem suum: et ille defungi praelio festinat. Prius itaque, quam alter, qui nec procul aberat, consequi posset, et alterum Curiatium conficit. Iamque aequato Marte singuli supererant; sed nec spe, nec viribus pares: alterum intactum

5. *Nondum tamen cura*, sollicitudo, *deseruerat*, *exanimes vice unius*, sorte et periculo tertii; *vicem* malebat Gron. i. e. ob vel κατὰ vicem, s. conditionem, ut *vicem* alicuius *indignari* II, 31; XL, 23, vel *vicem suam anxium esse* et *sollicitum* VIII, 35; XXVIII, 19; XLIV, 3; *sollicitus omnia* XXI, 34; *cetera egregius* et *teres* I, 32, 35; XXI, 8.

6. *Vt...pugnam eorum*, eos pugnantes. — *Vt quemque vulnere affectum corpus sineret*, s. pateretur se sequi.

7. *Secundam pugnam petebat*, affectabat; aut in eam ibat; aut potius eam capiebat, capessebat, sumebat, ut *petere fugam* IX, 23; XXVIII, 6; *viam* XLIV, 2; *iter* XXII, 2; *expetere poenas* I, 22, n. 8; et forte *proelium* XXX, 18, n. 5. — *Clamore, qualis ex insperato* (tum enim maior clamor) *faventium esse solet* spectatorum, in circo et amphitheatro gladiatori, cui favent, et qui praeter spem vincit, acclamantium (conf. ad Sil. XVI, 314), *Romani adiuvant militem suum*, ut cap. 12 extr. *favore addere animum*. Cf. ad Tac. Ann. XVI, 4, 8.—*Defungi proelio*, v. ad XXV, 35, n. 2.

ferro corpus et geminata victoria ferocem[8] in certamen tertium dabant: alter, fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victusque fratrum ante se strage, victori obiicitur hosti: nec illud proelium[9] fuit. Romanus exsultans, *Duos*, inquit, *fratrum manibus dedi: tertium causae*[10] *belli huiusce*, ut *Romanus Albano imperet*, *dabo*. Male sustinenti arma gladium superne iugulo defigit: iacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt; eo maiore cum gaudio, quo prope[11] metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur; quippe imperio alteri aucti, alteri

8. *Ferocem in certamen tertium dabant*, faciebant (ut *dare impetum* II, 51; III, 5; IV, 28; IX, 43; *motus* VII, 12; *stragem* VIII, 30; *sinum* XXII, 47), aut potius mittebant, ut IX, 16, n. 4, et al.

9. *Nec illud proelium fuit*, sed caedes. Ita saepe (quod iam monuit Strothius) ex duobus oppositis alterum, cui maxima vis inest, reticetur. ut X, 14 extr. *non vero tantum metu terruere Samnitium animos*, sed etiam vano maxima metu (quod ex adiecta ratione *nam et Fabius* etc., intelligitur; VII, 32, n. 5; *fuit*, *quum hoc dici poterat*, scil. nihil mirum te consulem factum esse (ad quam sententiam omissam spectant verba seqq.), *Patricius enim eras* etc., sed *nunc*, *quum Patribus et plebeiis promiscuus*, promiscue, sine discrimine, *consulatus* et via ad eum patet, non amplius est tempus illud, quo hoc dici possit mihique obiici, me non propter meam virtutem, sed nobilitatem generis factum esse ter consulem. Sic *fuimus Troes*, *fuit Ilium*, pro nunc non amplius est, apud Virg. Aen. II, 325, at similia aliis locis, ubi praet. *fuit* non tam de praeterito aliquid affirmat, quam de praesenti negat.

10. *Causae* (fini consilioque) *huiusce belli* (sc. uter populus imperet) *dabo*, quasi destinabo, devovebo, immolabo. —*Male sustinenti arma*, ut XXI, 54, *vix armorum tenendorum potenti*; et XXIII, 45, *vix arma membraque sustinenti*; Duk.

11. *Quo magis prope metum res fuerat*, quo propius: nam quemadmodum *magis* vel *potius* nonnunquam comparativo pleonastice adiicitur, ita et saepe omittitur in comparationibus, ut gr. μᾶλλον, praecipue ubi in voce aliqua praeced. latet, ut h. l. in *maiore*, magis magno, et in *multiplex* VII, 8, n. 1; vel ante *quam*, vid. ad I, 40, n. 1; II, 56, n. 8; II, 45, n. 12; III, 40, n. 3; III, 68, n. 7; V, 21, n. 10; VII, 8 pr. XXIII, 43, n. 7; XXV, 29, n. 4; XXVIII, 44, n. 6; XXIX, 29; XXXIV, 4, n. 3; Duk. et Drak. ad III, 68, n. 11, et XXXIV, 49, n. 10; Fischer. ad Anacr. II, 11; Koeppen. et Heyn. ad Hom. Il. I, 117. *Prope* vero et *propius* a Livio plerumque quarto iungitur casui; vid. ad II, 48, n. 5.

ditionis alienae facti. Sepulcra exstant, quo quisque loco cecidit. Duo[12] romana uno loco propius Albam, tria albana Romam versus; sed distantia locis, et ut pugnatum est.

XXVI. Priusquam inde digrederentur, roganti Metto, ex foedere icto quid imperaret, imperat Tullus, uti iuventutem in armis habeat: usurum se eorum opera, si bellum cum Veientibus foret. Ita exercitus inde domos abducti. Princeps [1] Horatius ibat, trigemina spolia prae se gerens; cui soror virgo, quae desponsa uni ex Curiatiis fuerat, obvia ante portam Capenam fuit: cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi quod ipsa confecerat, solvit crines, et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Movet feroci iuveni animum comploratio sororis in victoria sua tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio, simul verbis increpans, transfigit puellam. *Abi*[2] *hinc cum immaturo amore ad sponsum*, inquit,

12. *Duo romana uno loco propius Albam, tria albana Romam versus;* Baueri nota est haec: « Initio statim belli albanus exercitus in agro rom. castra habuit, c. 23. Tullus, praeteritis hostium agris, in agro albano fuit. Propius ergo Romam albanus exercitus, uti Albam romanus erat. Iam Horatius, simulata fuga, ad suos utique rediit: quem sequuti Curiatii propius romanum exercitum, ergo et Albam propius, cecidere; sicut Horatii in ipso loco pugnae, qui, propter fugam Horatii, Romam et albanum exercitum propior erat. Quid ergo est, quod Albanorum sepulcra Romam propius, romana Albam versus, dicit fuisse? Aut oblitus sui est, aut Mettius alio itinere in agrum albanum ita redierat, ut post Tulli castra in albano esset; de quo tamen nihil noster tantum, quam proxime potuerit, ad hostem duxisse Mettium, narravit. » Enimvero in medio inter utrasque acies pugnatur, et ita Romani Albanique eo, quo Livius dicit, loco cadere potuerunt; neque est, quod Horatium victorem in fuga simulata ad suos rediisse censeamus: nam non pavidus fugit, sed ut segregaret Curiatios.

Cap. XXVI. 1. *Princeps ibat*, primus, ante signa et omnes. — *Paludamento sponsi*, chlamyde, s. pallio elegantiori imperatorum, quod album purpureumve esse solebat; vide ad XLI, 10, n. 2.

2. *Abi hinc cum immaturo amore*, intempestivo: nisi potius ita dicitur amor puellae, quae vel nondum matura viro est, vel adhuc sponsa, non-

oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriae. Sic eat, quaecumque Romana lugebit hostem. Atrox visum id facinus Patribus plebique: sed recens[3] meritum facto obstabat: tamen raptus in ius ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus iudicii, aut, secundum iudicium, supplicii auctor esset, concilio populi advocato, *Duumviros*, inquit, *qui Horatio*[4] *perduellionem iudicent, secundum legem facio.* Lex horrendi carminis erat: *Duumviri perduellionem iudicent. Si a duumviris*[5] *provocarit, provocatione*

dum uxor. *Abi hinc... Sic eat*, vide ad cap. 7, n. 4.

3. *Recens meritum facto* improbo et invidiae eius *obstabat*, opponi poterat, h. e. obstabat, quo minus atroci poena afficeretur, etsi dignus putaretur. — *Ingrati ad vulgus*, vulgo; ut *in vulgus gratum*, *acceptum* etc.; vid. ad Tac. Ann. I, 76, n. 5.

4. *Horatio perduellionem iudicent*, eum perduellionis reum iudicent, ut XLIII, 16. *Perduellionis* emend. Gron. coll. XXVI, 3, n. 3, *vel capitis vel pecuniae iudicasset privato* (cum poena capitis multctave dignum iudicasset, accusasset), ... *perduellionis se iudicare Fulvio*; et VI, 14 pr. XXIII, 14, *iudicatus pecuniae*, iudicatus et damnatus pecuniae solvendae et non solutae causa. Cf. ad XXVI, 3, n. 3, et Wagner. ad Cic. de Leg. III, 12, § 27. *Perduellio* primum et propr. dicebatur hostilitas (ut *perduellis* hostis, XXV, 12; XXXVIII, 50; XLII, 20; XLV, 6), deinde omne facinus capitale, quo hostilis animus adversus rempublicam vel principem declaratur, proditio, tyrannis affectata, libertas ac ius civitatis violatum, in pr. parricidium vel omnis caedes liberi hominis, quam sciens quis facit. Cf. ad Tac. Ann. I, 72, 5; Cic. pro Rab. perd. in pr. c. 4; Ern. clav. Cic. et Grünebusch, de crim. perduell. Cell. 1802. — *Secundum legem*, a Romulo Numave latam. Haec verba alii cum *facio*, alii cum *iudicent* iungunt. — *Lex*, edictum, *horrendi carminis*, argumenti vel formulae, *erat*: sed ita potius dicendum erat *legis carmen*. Hinc Ernesti in Clave Cic. p. 1, *legem* putabat esse formulam modumque (nam *legem* propr. dici formulam quamdam verborum a graeco λέγειν), et *carmen* ipsum regis edictum. Quo tamen sensu haec vox nusquam occurrit. Forte *carmen* h. l. est formula verborum, s. edicti (vid. ad cap. 24, n. 9), et *lex* modus, conditio, ratio, ut *lex loci* apud Ovid. Am. III, 2, 20; cf. infr. ad XXII, 10, n. 4. Sed ita displicet, *legem* modo dictam esse alio sensu.

5. *Si a duumviris provocarit* reus, perduellis, ad populum (v. ad XXVI, 3, n. 4) *provocatione certato*, causam agat ad populum. Hinc mox legendum videtur *ita* vel *itaque provocatione certatum ad populum est.* — *Si vincent* duumviri, iudicio eorum confirmato suffragiis populi, *caput obnubito*, sc. *lictor*, quae vox forte excidit post *caput*. Bauer. haec annotavit: « In lege omnia lubricata, confusa. For-

certato: si vincent, caput obnubito: infelici[6] *arbori reste suspendito: verberato vel intra pomoerium, vel extra pomoerium.* Hac lege duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege, ne[7] innoxium qui-

ta sis omnia in secunda persona intelligenda, ut quasi totum populum universosque cives ac singulos alloqui legem dicamus. Forsan et lictor accusatoris partes egit. Quis enim Horatium, dicis certe causa, ut legitimum esset iudicium, accusaret? Ad eum ergo haec lex, aut privilegium adeo, pertinebat. Quod si legem curiatam XXX lictores nomine populi iubere potuerunt; quid obstat, quo minus accusatorem ad populum, vel dicis causa, lictor egerit? Nempe et hodie in iudiciis capitis lictor apponitur, qui velut criminantis partes agat, *der Zeterschreyer.*

6. *Infelix arbor*, tristis et funesta, vel sterilis (ut *felix arbor, ramus* etc. frugifera, fertilis V, 24 al.), vel *damnata religione, quae neque feritur, neque fructum fert* (Plinius XVI, 26; XXIV, 9), vel *quae inferorum deorum avertentiumque in tutela esse dicitur* (vid. Macrob. Sat. III, 20, ubi multae huius generis recensentur), h. l. crux vel furca (unde mox *sub furca vinctum*, nam furcis nostrorum fere patibulorum forma fuit; cf. ad II, 36, n. 2, et Suet. Ner. 49), cui alligatus reus *more maiorum punitur*, h. e. ad necem *verberatur.* Fuit enim antiquissimum supplicii genus idemque atrocissimum, ut virgis ad mortem caederetur reus damnatus, et deinde securi quoque nonnunquam percuteretur: qui mos servatus est in gravissimis criminibus (v. II, 5; VII, 19; XXVI, 15; XXVIII, 29), in perduellibus (nisi quod semel exsilii poena memoratur XLIII, 16, et alia apud Sall. Cat. 51), in stupratoribus virginum Vestalium (vid. XXII, 47; Dionys. VIII, 89; IX, 40), et in militia (vid. II, 59 extr.). In huius saevitiae locum successit mox lenior ratio, ut reus securi percuteretur antequam exspiraret sub virgis; cuius prima memorantur exempla II, 5 et 41. (Nonnulli putant, verberationem fuisse genus quaestionis, ante ipsum supplicium adhibitae, vel eo spectasse, ut reos se mori sentiret). Postea lege Valeria de provocatione cautum, ne, qui provocasset, virgis caederetur securique necaretur, et lege Porcia ac Sempronia Tib. Gracchi, ne civem (praeter milites) virgis caedi liceret. Cf. II, 8; X, 9, et Cic. p. Rab. perd. 4. Ceterum posteriori et in pr. imperatorum aevo in militia *fustis* virgae locum occupavit, et institutum *fustuarium*, triste supplicium propriumque Romanorum, qui vel milites aliquot, gravioris flagitii reos, vel decimum quemque sorte ductos (quae *decimatio* est) fustibus ad necem caedebant; de quo vide ad V, 6, n. 8; Polyb. VI, 37, 38, et Lips. de Mil. rom. V, 18. Omnia haec copiosius exposuit Heyn. in Opusc. Acad. t. III, p. 184 sq.—*De pomoerio* vide cap. 44.

7. *Ne innoxium quidem* qui praeter voluntatem aut iure quemquam necasset: vel potius perduellionis falso insimulatum; Horatium, si vel innoxius esset.—*Se non absolvere posse* putabant, quia hac lege cum iudicare reum iussi erant.—*Quum condemnassent*, sc. Horatium, *tum* etc. Malim

dem, posse. Quum condemnassent, tum alter ex his, *P. Horati, tibi perduellionem iudico*, inquit; *I, lictor, colliga manus.* Accesserat lictor, iniiciebatque laqueum. Tum Horatius, auctore Tullo, clemente legis interprete, *Provoco*, inquit. Ita de provocatione certatum ad populum est. Moti[8] homines sunt in eo iudicio, maxime P. Horatio patre proclamante, se filiam iure caesam iudicare: ni ita esset, patrio iure in filium animadversurum fuisse. Orabat deinde, ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent. Inter haec senex, iuvenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc Pila[9] Horatia appellatur, ostentans, *Huncine*, aiebat, *quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I, lictor, colliga manus, quae paulo ante armatae imperium populo romano pepererunt; I, caput obnube*[10] *liberatoris urbis huius: arbori infelici*

quum condemnassent eum vel *reum*, *alter* etc. Post verbum *posse* pro minori distinct. posui maiorem.

8. *Moti homines sunt in eo iudicio, maxime P. Horatio patre proclamante.* Bauer. «Si vel maxime, inquit, absolute *motus* dicitur, tamen *aliqua re* debet addi; quod hic intelligere non licet; nisi *patre proclamante* dictum est pro substant. *proclamatione*, s. clamore patris, plane ut ap. Cic. p. Arch. c. 9, *nostra feretur depressa classis cum interfectis ducibus*, i. e. depressio classis, interfectio ducum. Nam in absoluto sensu *commotus* dici solet, ac ne hoc quidem sic, ut h. l., sed ut ad praecedd. utique referatur, ut intelligere liceat *ea re.*» — *Patrio iure*, iure vitae et necis in liberos; quod patri datum lege Romuli de patris potestate.

9. *Qui nunc Pila Horatia appellatur*, columella, tropaei instar, spoliis Curiatiorum ornata, ἡ γωνιαία στηλίς, s. στυλίς, ἐφ' ἧς ἔκειτο τὰ σκῦλα τῶν Ἀλβανῶν τριδύμων, Dionys. III, 21.—*Decoratum ovantemque victoria incedentem* (forte *incedere*) *vidistis*, cf. ad II, 6, n. 4; ad Tac. Ann. IV, 23, 5, et Iuvenal. XII, 126. — *I, lictor, colliga manus*, cf. Heyn. Op. Acad. t. III, p. 184.

10. *Caput obnube liberatoris urbis huius*, forte *liberatori*. Mox *inter illam pilam* recepi ex aliquot MSS, pro vulg. *inter illa pila* (conf. not. 9;

suspende: verbera, vel intra pomoerium, modo inter illam pilam et spolia hostium; vel extra pomoerium, modo intra sepulcra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc iuvenem potestis, ubi non sua decora eum a tanta foeditate[11] *supplicii vindicent?* Non tulit populus nec patris lacrymas, nec ipsius parem in omni periculo animum: absolveruntque admiratione magis virtutis, quam iure causae. Itaque, ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. Is, quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quae deinde genti[12] Horatiae tradita sunt, transmisso per viam tigillo, capite adoperto, velut sub iugum misit iuvenem. Id hodie quoque publice semper refectum manet: Sororium[13] tigillum vocant. Horatiae sepulcrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato.

XXVII. Nec diu pax albana mansit. Invidia vulgi, quod tribus militibus fortuna publica commissa[1] fuerit, vanum ingenium dictatoris corrupit; et, quoniam recta consilia haud bene evenerant, pravis reconciliare popularium animos coepit. Igitur, ut prius in bello pacem, sic in pace bellum quaerens, quia suae civitati animorum plus, quam virium, cernebat esse, ad bellum[2] palam atque ex edicto gerundum alios

Horatia pila apud Prop. III, 3, 7 sunt tela), et deinde *inter sepulcra* pro *intra sepulcra*. — In Cod. Paris. *inter illa pila*, quibus nimirum videntur fuisse suspensa Curiatiorum spolia donec erigeretur Pila, sive columna Horatiana. LEM.

11. *A tanta foeditate supplicii*, a tam foedo supplicio, ut c. 28 extr. *a tanta foeditate spectaculi*.

12. *Sacrificia genti Horatiae tradita*, v. ad IV, 2, n. 6.— De *iugo* vide infr. III, 28 extr. — *Hodie quoque*; Gron. et Duk. malebant h. l. et V, 27 pr. *hodieque*, i. e. hodie adhuc. Sed utrumque bene dicitur. — *Publice*, publico sumptu, vel mandato.

13. *Sororium tigillum*, cf. Dionys. III, 22, et Festus.

CAP. XXVII. 1. *Commissa fuerit*, forte *fuerat* aut *fuisset*; Bauer.—*Vanum ingenium dictatoris*, mutabile, vel inanis gloriae favorisque popularis cupidum. — *Coepit*, voluit, conatus est, ut alibi.

2. *Ad bellum ex edicto gerundum*;

concitat populos: suis per speciem societatis proditionem reservat. Fidenates, colonia romana, Veientibus sociis consilii assumptis, pacto transitionis Albanorum ad bellum atque arma incitantur. Quum Fidenae aperte descissent, Tullus, Metto exercituque eius ab Alba accito, contra hostes ducit. Vbi Anienem transiit, ad confluentes[3] collocat castra: inter eum locum et Fidenas Veientium exercitus Tiberim transierat. Hi et in acie prope flumen tenuere dextrum cornu: in sinistro Fidenates propius montes consistunt. Tullus adversus veientem hostem dirigit suos: Albanos contra legionem Fidenatium collocat. Albano non plus animi erat, quam fidei: nec manere ergo, nec transire aperte ausus, sensim ad montes succedit. Inde, ubi satis subisse sese ratus est, erigit[4] totam aciem: fluctuansque animo, ut tereret tempus, ordines explicat. Consilium erat, qua fortuna[5] rem daret, ea inclinare vires. Miraculo primo esse Romanis, qui proximi steterant, ut nudari latera sua sociorum digressu senserunt: inde eques citato equo nuntiat regi, abire Albanos. Tullus in re trepida duodecim[6] vovit Salios, fanaque Pallori ac

« quid hoc est? ut proposito edicto iuniores ad arma vocentur? Audio: sed quid hoc ad populum, cui bellum indicitur? Plane leg. *ex indicto* (quod etiam conj. Douiat. et Duk.), i. e. ita ut ante edicerent Romanis bellum. Neque enim *ex edicto* bellum geritur, sed milites conveniunt. Nisi forte *edicere* h. l. est id. q. *indicere*. » Bauer. — Suis *per speciem societatis* cum Romanis iunctae *proditionem reservat*, opportuno ublato tempore. — *Pacta transitionis Albanorum* in pugna, quod cum iis fecerat Mettus.

3. *Ad confluentes* amnes, Anienem et Tiberim, vel ad locum ubi confluunt.

4. *Erigit totam aciem* sursum in montes; unde infra *decursu ex collibus*.

5. *Qua* parte, in quam partem *fortuna rem daret*, victoriam, propr. commodum; ut *esse in rem* XXII, 3, 29; XXX, 4; *non ab re esse* XXXV, 32, n. 4; *e re mea*, *nostra*, *publica* etc., h. e. usui eius, ei utile. Cf. ad VI, 22, n. 2, et XXXII, 21, n. 2. *Res* significat aut occasionem, copiam, opportunitatem, aut eventum, victoriam; et hoc sensu *dare* sit vertere, efficere; Bauer. — *Ea inclinare vires*, in eam partem.

6. *Tullus XII vovit Salios*, Agonales et Collinos, s. Quirinales: nam Pa-

Pavori. *Equitem*, clara increpans voce, ut hostes exaudirent, *redire in proelium*, iubet: *nihil trepidatione opus esse: suo iussu circumduci albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadant*; idem imperat [7], ut hastas equites erigere iubeat. Id factum magnae parti peditum romanorum conspectum abeuntis albani exercitus intersepsit. Qui viderant, id, quod ab rege auditum erat, rati, eo acrius pugnant. Terror ad hostes transit: et audiverant clara voce dictum, et magna pars Fidenatium, ut qui coloni [8] additi Romanis essent, latine sciebant. Itaque, ne subito ex collibus decursu Albanorum intercluderentur ab oppido, terga vertunt. Instat Tullus, fusoque Fidenatium cornu, in Veientem, alieno pavore perculsum, ferocior redit. Nec illi tulere impetum: sed ab effusa fuga flumen obiectum a tergo arcebat. Quo postquam fuga inclinavit; alii, arma foede iactantes, in aquam caeci ruebant; alii, dum cunctantur in ripis, inter fugae pugnaeque consilium oppressi. Non alia ante romana pugna atrocior fuit.

XXVIII. Tum albanus exercitus, spectator certaminis, deductus in campos. Mettus Tullo devictos

latinos Numa instituerat; et hi in Palatio, illi in colle Quirinali habebant sacrarium et sacra faciebant; vid. Dionys. II, 70; III, 32. — *Fanaque Pallori ac Pavori* vovit, scil. non tam ut colerentur, quam placarentur, ne amplius eorum vim sentirent Romani.— *Redire in proelium*, in aciem, in ordinem suum et locum proelii, nondum quippe commissi; Bauer. Recte, nisi proelium iam commissum credas.

7. *Idem imperat*, scil. equiti, qui citatu equo nuntiaverat abire Albanos. Sed malim *eidem imperat*, sc. equiti. — *Hastas equites erigere* etc., vid. ad XXXV, 35, n. 5.

8. *Qui coloni additi Romanis essent*: nam colonia aliquo deducta, veteres oppidi cives tantum, non omnes colonis roman. ascribi solebant. Fidenae itaque iam colonia rom. Conf. III, 1; IV, 11; VIII, 14. « Qui in expugnato oppido relinquuntur cives, cum novis ibi colonis habitaturi, recte et ipsi *coloni* dicuntur, ut quos expellendi ius victoribus fuisset: urbs enim talis iam civium rom. erat. » Bauer. Hoc sensu Fidenates paulo ante *colonia romana* vocati sunt; Ernestus *quis coloni add. Romani essent* coniicit; Faber.

hostes gratulatur, contra Tullus Mettum benigne alloquitur. Quod [1] bene vertat, castra Albanos romanis castris iungere iubet: sacrificium [2] lustrale in diem posterum parat. Vbi illuxit, paratis omnibus, ut assolet, vocari ad concionem utrumque exercitum iubet. Praecones, ab extremo [3] orsi, primos excivere Albanos. Hi, novitate etiam rei moti, ut regem romanum concionantem audirent, proximi constitere. Ex composito armata circumdatur romana legio. Centurionibus datum negotium erat, ut sine mora imperia exsequerentur. Tum ita Tullus infit: *Romani, si unquam ante alias ullo in bello fuit, quod primum diis immortalibus gratias ageretis, deinde vestrae ipsorum virtuti, hesternum [4] id proelium fuit. Dimicatum est enim non magis cum hostibus, quam, quae dimicatio maior atque periculosior est, cum proditione ac perfidia sociorum. Nam, ne vos falsa opinio teneat, iniussu meo Albani subiere ad montes: nec imperium illud meum, sed consilium*

CAP. XXVIII. 1. *Quod bene vertat se*, vertatur (vid. ad II, 3, n. 2), in salutem, saluti sit utrique populo; ut infra *Quod bonum, faustum felixque sit populo rom. ac mihi vobisque, Albani*. Cic. Div. I, 45, « Maiores, inquit, nostri omnibus rebus agendis *quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset*, praefabantur. » Cf. ad X, 18, n. 9. Ceterum Albanus, vertentibus terga Fidenatibus Veientibusque, pugnae se immiscuisse et multos ex iis trucidasse, tradit Dion. III, 26, qui omnia fusius narrat cap. 24-31.

2. *Sacrificium lustrale*, suovetaurile, quo circa populum, s. exercitum ducto et mox immolato, ille in campo Martio lustrabatur a Censoribus, ita *lustrum condentibus*. Similiter lustrari et purgari solebant tum agri, ineunte vere, a Fratribus Arvalibus, sacrificio *ambarvali*, h. e. circa arva ducto pro felici frugum proventu; tum Vrbs ob prodigium vel insignem calamitatem vel ingens aliquod scelus admissum, *amburbio*, seu *amburbialibus hostiis*, circa Vrbem terminosque eius ductis. Conf. XXI, 62; XXXV, 9; XL, 6; XLII, 20; XLV, 16; ad Tacit. Ann. XIII, 24, 2; Polyb. IV, 21, 9; Salmas. ad Vopisci Aurelian. 20; Heyn. ad Virg. Ecl. V, 75, et ad Tib. II, 1 pr.

3. *Ab extremo orsi*, ab extrema castrorum parte, ubi castris roman. iuncta erant albana.

4. *Hesternum id proelium fuit*, forte leg. *hesterno in proelio fuit* (aliquid, s. ratio) cur, s. *quod diis gratias ageretis* etc.

et imperii simulatio fuit; ut nec, vobis ignorantibus deseri vos, averteretur a certamine animus; et hostibus, circumveniri se a tergo ratis, terror ac fuga iniiceretur. Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum est; ducem sequuti sunt: ut et vos, si quo ego inde agmen declinare voluissem, fecissetis. Mettus ille est ductor itineris huius, Mettus idem huius machinator belli, Mettus foederis romani albanique ruptor. Audeat deinde talia alius, nisi in hunc insigne[5] *iam documentum mortalibus dedero.* Centuriones armati Mettum circumsistunt; rex cetera, ut orsus erat, peragit: *Quod bonum, faustum, felixque sit populo romano ac mihi, vobisque, Albani; populum omnem albanum Romam traducere in animo est; civitatem dare plebi; primores in Patres legere; unam urbem, unam rempublicam facere. Vt ex uno quondam in duos populos divisa albana res est, sic nunc in unum redeat.* Ad haec albana pubes, inermis ab armatis septa, in variis voluntatibus, communi tamen metu cogente, silentium tenet. Tum Tullus: *Mette Fuffeti*, inquit, *si ipse discere posses fidem ac foedera servare, vivo tibi ea disciplina a me adhibita esset. Nunc quoniam tuum insanabile ingenium est, at tu tuo supplicio*[6] *doce humanum genus ea sancta credere, quae a te violata sunt. Vt igitur paulo ante animum inter fidenatem romanamque rem ancipitem gessisti, ita*

5. *Insigne documentum*, v. ad Praef. Liv. n. 14. — *Centuriones armati circumsistunt*; e MSS. *Mettum* addidit Drak. suadente Gron. Id haud temere est; nisi subaudire malueris *eum*: nam ipsum exercitum iam circumsteterant omnes Romani, nec centuriones ei rei, ut totum circumsisterent exercitum, sufficerent; Bauer. — Cod. Paris. habet *Mettium*. Quum teste ipso Bauero, hoc nomen habeant MSS., non est causa cur *eum* subaudias. Lem. — *Civitatem dare*, ius civitatis.

6. *At tu tuo supplicio doce* etc., at passim, in primis in concipiendis votis, *at* pro attamen, s. saltem, vel pro tum, tum vero, ponitur; vel coniungit cum vi quadam et emphasi, ut *ast* X, 19, n. 10; conf. inf. c. 41; III, 27, 31; IX, 1, 8; X, 26 pr. XXIV, 57 extr. ubi cf. Gron. et Drak.

iam corpus passim distrahendum dabis. Exinde, duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Mettum. Deinde in diversum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, qua inhaeserant vinculis membra, portantes. Avertere omnes a tanta foeditate spectaculi oculos; primum ultimumque illud supplicium 7 apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit. In aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse poenas.

XXIX. Inter haec iam praemissi [1] Albam erant equites, qui multitudinem traducerent Romam: legiones deinde ductae ad diruendam urbem. Quae ubi intravere portas, non quidem fuit tumultus ille, nec pavor, qualis captarum esse urbium solet; quum, effractis portis, stratisve ariete muris, aut arce vi capta, clamor [2] hostilis et cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet: sed silentium triste ac tacita moestitia ita defixit omnium animos, ut, prae metu obliti, quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantesque alii alios, nunc in li-

7. *Supplicium exempli* (prop. exemplum supplicii) *parum memoris legum humanarum*, nullam fere habentis rationem humanitatis in legibus sanciendis. « *Leges humanae*, i. e. humanitatis, rationis, qua tractare homines, parcere illis conveniat. Eleganter vere ipsum *exemplum parum memor legum* dicitur, quod eos, qui illud edant, legum humanarum parum memores indicet; » Bauer. Cf. ad III, 36, n. 8, et VII, 31, n. 6.

Cap. XIX. 1. *Praemissi Albam equites* duce M. Horatio. Ipsa excidii descriptio quem non miseratione afficiat? Cf. Virg. Aen. II, 486 sq., quem locum ex Enniano in Annal. II de Albae excidio expressum esse ibi monet Servius. — *Non quidem fuit tumultus ille* prop. illud, illa res; vid. ad XXIV, 42, n. 6.

2. *Clamor hostilis et cursus*, h. e. hostes clamantes currentesque. «Obscurius dixit Livius, dum notiones condensat, quas sic evolve: clamor et cursus per urbem est, et *omnia ferro flammaque miscentur*; » Bauer. — *Tacita moestitia ita defixit omnium animos*, vid. ad III, 47, n. 9. Verba *prae metu obliti* parum apta; nam paulo ante dixit, non fuisse *pavorem*, sed silentium ac *moestitiam*: unde forsan scripsit: *prae moerore obliti*; Duk. An leg. *paene mentis* (ut al. *sui*) *obliti*, vel *paene mente alienati*... *deficiente consilio, quid relinquerent* etc.?

minibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum [3] illud visuri, pervagarentur. Vt vero iam equitum clamor exire iubentium instabat, iam fragor tectorum, quae diruebantur, ultimis urbis partibus audiebatur, pulvisque, ex distantibus locis ortus, velut nube inducta omnia impleverat; raptim, quibus [4] quisque poterat, elatis, quum larem ac penates tectaque, in quibus natus quisque educatusque esset, relinquentes exirent; iam continens [5] agmen migrantium impleverat vias: et conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrymas: vocesque etiam miserabiles exaudiebantur; mulierum praecipue, quum obsessa ab armatis templa augusta praeterirent, ac velut captos relinquerent deos. Egressis [6] urbem Albanis, Romanus passim publica privataque omnia tecta

3. *Vltimum illud visuri*, sc. quod relinquerent: nisi potius dictum est pro simpl. *ultimum visuri*, sc. domos, vel quod ad ultimum illud tempus, attinet; h. e. ultima hac vice, ut *extremum hoc* dixit Valer. Flac. IV, 253; *hoc primum* Cic. ad Att. XIII, 46 pr. *hoc tertio* Curt. IV, 11 pr. τοῦτο τρίτον Ev. Ioan. XXI, 14, ubi cf. Raphelii Obss. in N. T. ex Herodoto, p. 319, et Gron. Obss. II, 8. Sed forte Livius scripsit: *ultimum* (postremo) *illas visuri*, vel: *ultimum vale dicturi*. Similiter *ultimum illum visurus* dixit Curt. V, 12, 8, et *hodie postremum me vides* Terentius, Andr. II, 1, 22; conf. ad XL, 42, n. 6; ad rem conf. Virgil. Aen. II, 490 sq.; Valer. Flac. I, 710; II, 168 seq. — Editi omnes et antiquiores quidem habent *ultimum illas*, sed *illud* ex tribus MSS. recte praefert Creverius, et interpretatur, ultima illa vice. Codex Paris. habebat *illud*, quod etiamnum facile suspicari potest quamquam manus secunda et longo posterior superscripserit *illas*. Lem.

4. *Raptim, quibus*, h. e. iis quae *quisque poterat* efferre, *elatis*; Graecorum more dictum, qui pron. relat. ὅς, ἥ, ὅ ad praec. substant. accommodant. Aliis tamen locis repetendum potius verbum, praecipue ubi quartus huius pronom. casus cum *videri* iungitur, v. c. VI, 26 *precibus eventum senatus, quem videbitur*, scilic. dare, vel dare velle, vel dandum esse, *dabit*; XXXI, 3 et 8, *ut consul, quem videretur ei*, sc. mittere, s. mitti debere, *mitteret*; confer XXIII, 34; XXIX, 20; XXXIII, 26; XXXIV, 56; XLIII, 15; XLIV, 18; nisi et in his *quem videbitur* et *videretur* positum, pro *eum, qui videbitur*, ipsi placebit.

5. *Continens agmen*, continuum, intervallis non interruptum, διηνεκές, ut II, 50; XXIV, 16; XXVII, 51; et *continuatum* II, 38 pr. Cf. ad IV, 22, n. 4.

6. *Egressis urbem Albanis*, alii *urbe*; vide ad II, 37, n. 5.

adaequat solo, unaque hora 7 quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, excidio ac ruinis dedit. Templis tamen deum, ita enim edictum ab rege fuerat, temperatum est.

XXX. Roma interim crescit Albae ruinis: duplicatur civium numerus: Coelius [1] additur Vrbi mons; et, quo frequentius habitaretur, eam sedem Tullus regiae capit, ibique habitavit. Principes Albanorum in Patres, ut ea quoque pars reipublicae cresceret, legit Tullios, Servilios, Quinctios, Geganios, Curiatios, Cloelios: templumque [2] ordini ab se aucto curiam fecit, quae Hostilia [3] usque ad patrum nostrorum aetatem appellata est; et, ut omnium ordinum viribus aliquid ex novo populo adiiceretur, equitum decem turmas ex Albanis legit. Legiones et veteres eodem supplemento explevit, et novas scripsit. Hac fiducia virium Tullus Sabinis bellum indicit, genti ea tempestate secundum Etruscos opulentissimae viris armisque. Vtrimque in-

7. *Vna hora*, admodum exiguo temporis spatio (ut pass. hora et ὥρα; v. Drak.), *quadrigentorum annorum opus* etc., paene *quingentorum*. Inter Albam certe et Romam conditam non CCC sed CCCC annos intercessisse summo consensu veteres tradunt scriptores; et Alba ann. Vrb. cond. 87 diruta est. Cf. Heyn. Exc. 3 ad Virg. Aen. XII, et Dodwelli Diss. de Cyclis X in fine. Annos. 487 memorat Dion. III, p. 172; annos 400 Strab. V, p. 350, C; sed 300 etiam Iustin. XLIII, 1, et Virg. Aen. I, 272. — *Dedit*, vid. ad II, 25, n. 2.

Cap. XXX. 1. *Coelius additur Vrbi mons*; Vid. ad Tac. Ann. II, 24, 1. —*Legit Tullios*; forte *Iulios*: nam hos Dionysius memorat. lib. III, p. 170, et gens Tullia fuit Corniculana; Sigon. Recte forsan: sed vulgata lectio firmatur auctoritate librorum, et Iuliam gentem iam Romae ante Albam dirutam fuisse, ex Liv. I, 16; Dionys. II, p. 124, et aliis patet, quos Freinsh. ad Flor. I, 1 laudavit; Drak.

2. *Templumque... curiam fecit*, v. ad cap. 6, n. 6.

3. *Hostilia curia*, a Tullo Hostilio exstructa, *usque ad patrum nostrorum aetatem appellata est*: nam conflagravit an Vrb. cond. 700, quum cadaver P. Clodii in ea cremaretur (vid. Plin. XXXIV, 5, s. 11; Appian. bell. civ. II, 21; Dio Cass. XL, 48); Livius autem obiit ann. Vrb. cond. 770. — Postquam dictatore Caesare diruta fuisset *curia Hostilia*, decretum fuit ut instauraretur, et *Iulia* appellaretur. Lem. — Mox *secundum Etruscos*, post eos.

iuriae factae, ac res nequidquam erant repetitae. Tullus ad Feroniae [4] fanum mercatu frequenti negotiatores romanos [5] comprehensos querebatur; Sabini, suos prius in lucum confugisse ac Romae retentos: hae causae belli ferebantur. Sabini, haud parum memores, et suarum virium partem Romae ab Tatio locatam, et romanam rem nuper etiam adiectione populi albani auctam, circumspicere et ipsi externa auxilia. Etruria erat [6] vicina, proximi Etruscorum Veientes; inde, ob residuas bellorum iras maxime sollicitatis ad defectionem animis, voluntarios traxere:

4. *Ad Feroniae fanum*, quae *Feronia* fuit dea Latii indiges (vid. Heyn. ad Virg. Aen. VII, 800; VIII, 564), et libertinorum libertinarumque, a quibus etiam ex eius templo pileus, libertatis insigne, petebatur; (vide XXII, 1, et Serv. ad Virg. l. l.). Eius triplex in Italia *fanum*, seu templum cum lnco memoratur: primum ad Tarracinam, s. Anxur in Latio et via Appia; alterum in Etruria inter Lunam et Pisas ad Vesidiam fluv. (v. inscript. apud Gruter. pag. 220); tertium, de quo h. l. agitur, in eadem Etruria, inter Veios et Tiberim, in agro Capenate (Capena, s. Capenas et Capenus Etruriae oppidum), ad radices Soractis montis. Fanum hoc opibus abundabat, ibique forum erat totius Italiae *mercatusque frequens*; dea autem in illo communiter colebatur a Sabinis et Latinis. Cf. XXVI, 11; XXVII, 4, 5; XXXIII, 26; Dionys. II, 6, 49; III, 32; Strab. V, 2, 9, p. 226.

5. *Negotiatores romanos*, qui non erant aratores vel publicani et pecuarii, neque etiam mercatores (quae mercatura tempnribus liberae reipublicae putabatur inhonesta, et a faece plebis vel libertinis exercebatur), sed vel feneratores, qui pecunias mutuas sub usuris dabant fenusque exercebant, praecipue in provinciis, ubi saepe binis, ternis, quaternis centesimis pecunia collocabatur, nec ulla lege definiebatur fenoris magnitudo (nisi forte Praetor coërcebat negotiatorum impudentiam, de quo v. VII, 28, VIII, 28; X, 23; XXXII, 27; XXXIII, 29; XXXV, 41), vel rustici romani et frumentarii negotiatores, qui ab aratoribus, cum civibus rom. tum provincialibus, necnon integris civitatibus, emebant frumentum, eoque Romam, aut quorsnm quaestus iubebat, vehendo lucrum quaerebant. Sub Caesaribus *negotii* verbum et mercaturae et negotiationi commune fuit, et mercatores etiam dicti sunt negotiatores, v. c. *negot. olearii, carbonarii, lignarii* etc. Cf. Ernesti clav. Cic. voc. *negotiator*, et de negotiatorum. in Opusc. philol. p. 1 sq.

6. *Etruria erat vicina* Sabinis, et *Veientes Etruscorum* vel ex Etruscis *proximi*, sc. Sabinis; quare perperam Fontanin. Aut. Hortae I, 1 ex h. l. colligit, Veientes e numero XII populorum expungendos esse; Duk.

et apud vagos quosdam ex inopi plebe etiam merces valuit. Publico auxilio nullo adiuti sunt; valuitque apud Veientes, nam de ceteris 7 minus mirum est, pacta cum Romulo induciarum fides. Quum bellum utrimque summa ope pararent, vertique 8 in eo res videretur, utri prius arma inferrent, occupat 9 Tullus in agrum sabinum transire. Pugna atrox ad silvam Malitiosam fuit: ubi et peditum quidem robore, ceterum equitatu aucto nuper, plurimum romana acies valuit. Ab equitibus repente invectis turbati ordines sunt Sabinorum: nec pugna deinde 10 illis constare, nec fuga explicari sine magna caede potuit.

XXXI. Devictis Sabinis, quum in magna gloria magnisque opibus regnum Tulli ac tota res romana esset, nuntiatum 1 regi Patribusque est, in monte Albano

7. *De ceteris* Etruscis *minus mirum est ..... pacta cum Romulo induciarum fides*; quae tamen iam pridem rupta erat: unde *cum Romano* conj. Duk. et cum *Tullo* Periz. Anim. hist. c. 4. Cf. c. 15, 27, et inf. ad c. 42, n. 3.

8. *Vertique in eo res videretur* (v. ad III, 27, n. 6), *utri prius arma inferrent*, bellum, ut passim *arma* poëtice pro *bello* dicuntur (vid. cap. IV, 45, n. 3; VIII, 16, n. 1; IX, 10 (ubi *arma* et *bellum* iunguntur), vel pro pugna, ut XXII, 5, n. 6.

9. *Occupat transire*; vid. ad c. 14, n. 3. De bello hoc vid. Dionys. III, 32, qui cap. 33 tradit, Sabinos mox iterum rebellasse et victos esse. — *Silvam Malitiosam*, τὴν ὕλην καλουμένην κακοῦργον, Dionys. III, p. 174. Sic romana locorum nomina in [illegible] cam, ut graeca in romansm[illegible] transferri solet. Conf. Cluv. It[illegible] II, 9.

10. *Nec pugna constare potuit*, acies constare, h. e. stare, consistere pugna (ut III, 60) vel proelium continuari, ob ordines turbatos; *fuga*, fugientes, *explicari*, ut *fuga dissipata* XXVIII, 20; XXXVIII, 27; *agrestium fuga* III, 69, pro agrestibus fugientibus, et *fuga Cannensis* XXIII, 25, n. 4, pro iis, qui apud Cannas fugissent.

Cap. XXXI. 1. *Nuntiatum regi, in monte Albano lapidibus pluisse* (ut al. *pluit terra*, et *lacte*; sed et *carnem*, *terram*, *sanguinem* III, 10; X, 31; XXXVII, 9; XL, 19), et *auditam vocem ingentem ex luco ..... et vocem caelestem ex Albano monte missam*. De his aliisque *prodigiis*, h. e. rebus quibusvis, quae contra naturae morem fiunt, iramque divinam indicant (unde hiems praeter morem gelida ac nivosa inf. V, 14 dicitur *prodigiis divinis similis*), v. I. A. F. Steger. *von den Prodigien* Brunsv. 1800, et Heyn. Op. Acad. t. III, p. 198 215, et 255-274; unde in lectorum gratiam pauca et semel excerpere liceat, quoniam ducen-

lapidibus pluisse. Quod, quum credi vix posset,

ties prodigiorum mentionem facit Liv. antiquitatis, annalium, fastorumque auctoritate motus, et communi Romanorum superstitione imbutus. Nam recte quidem is monet XXI, 62; XXIV, 10 et 44; XXVII, 23, motis semel in religionem animis multa nuntiata temere et credita esse; sed nonnunquam ipse fluctuat in iudicio de prodigiis; vid. c. XXVII, 23, et XLIII, 13, ubi queritur, *ab ea negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant*, quia eos providere rebus humanis negabant, vel potius parum tenebant naturales rerum causas, *neque nuntiari admodum ulla prodigia in publicum, neque in annales referri*: tam late enim propagatis imperii finibus nullus dies fuisset, quo non nuntiatum esset novum prodigium; recepta itaque persuasio, nullam vim habere et omina et portenta, si non *susciperentur*, h. e. si nemo illa curaret, (Cf. ad I, 20, n. 11). — Multa prodigia non nisi terrori animorum falsaeque persuasioni, mox fraudi ac praestigiis accepta referenda sunt (Cf. XXI, 62 pr.); v. c. voces repente e luco aut horrendi clamores strepitusque per noctem auditi (vid. I, 31; II, 7; V, 32; VI, 33; XXIX, 14; XXXI, 12); locuta bos (III, 10; XXIV, 10; XXVII, 11; XXVIII, 11; XXXV, 21; XLI, 17, 26; XLIII, 15); infans in utero matris, vel semestris triumphum clamans (XXI, 62; XXIV, 10); species hominum cum candida veste, vel arae et classes in caelo visae (XXIV, 10; XLII, 2). Alia a causarum physicarum ignorantia aut neglectu profecta sunt, et vel ad aëris caelique phaenomena, vel ad terrae marisque naturas, vel ad animantium, tam brutorum quam hominum, ingenia, cultus habitusque spectant. *Prioris gen. prodigia* sunt imbres insoliti sanguinis (XXIV, 10; XXXIX, 46, 56; XL, 19; XLIII, 15), lapidum (I, 31; VII, 28; XXI, 62; XXII, 86; XXIII, 31; XXV, 7; XXVI, 23; XXVII, 37; XXIX, 10, al.), terrae (X, 31; XXXIV, 44, 45; XXXV, 21; XXXVII, 3; XLII, 20; XLV, 16), lactis (XXVII, 11) cretae (XXIV 10), et carnis (III, 10 coll. Dionys. X, 2, et Val. Max. I, 6, 5), inde orti, quod aut terra argillacea, quae in multis Italiae locis rubra effoditur, unde facta vasa etrusca; aut lapides e monte campique lapidei, ut in Ligurum et Salyum finibus; aut creta ab imbre soluta, ut et lactis speciem referret; aut carnes, ex sacro aliquo epulo in altum sublatae turbinis vi, ut mox in terram aliumque locum deciderent (potuere etiam lapides, ut cineres quoque, vi ignis subterranei e monte agi, vel carnes a vulturiis ex aris ablatae deiici, et lacteae pluviae oriri ex polline certarum plantarum per turbinem collecto, vel ex particulis sulfureis per Vulcania incendia in nubes sublatis): stellae crinitae vel deciduae, et interdiu visae; duo vel tres soles, duae tresve lunae; et interdiu, solis orbis minui visus, aut circulo inclusus (XXII, 1; XXVIII, 11; XXIX, 14; XXX, 2, 38; XLI, 20, 26; XLIII, 15; XLV, 16); caelum ardens (III, 5, 10; XXXI, 12; XXXII, 9; XLIII, 13); species legionum, armorum, ararum, navium in nubibus visae; ardentes faces; transversae trabes et arcus ignei (XXI, 62; [illegible] XXIV, 10; XXIX, 14; XXX, 2; [illegible]I, 20, 26; XLII, 2; Steger l. l. p. 27 sq.); quae ad auroram borealem aliasque atmosphaerae affectiones pertinent; flammae subito in antennis

missis ad id visendum prodigium, in conspectu, haud

navium, in spiculis signisque castrorum terrae infixis, vel in puerorum virorumve capitibus visae; et ardens caput Vulcani; aut scipio in manu equitis vigilias circumeuntis (I, 39; XXII, 1; XXV, 39; XXXIII, 26; XXXIV, 45; XXXIX, 22; XLIII, 15; coll. Virgil. Aen. I, 680 sq., et VII, 71 sq.); quae ad vim et naturam aëris electrica materia gravidi ducunt: lacrymae et sudores parietum, saxorum, in primis marmorum, adeoque et signorum atque columnarum, ob vim austri et repentinam vicem seu intemperiem humidi et sicci aëris; sudor sanguineus signorum minio obductorum (XXII, 1, 36; XXIII, 31; XXVII, 4; XL, 19, 45; ad Sil. I, 86, 98; VIII, 645). *Secundi* generis prodigia tantum non omnia ad motus terrae et agri aut montium, ignibus abditis tumentium, labores referenda sunt, v. c. mons, mare et caelum ardere visum (III, 5, 10; XXIII, 31); pluvia lapidea, saxum ingens volitans (XXV, 27); terrae hiatus et subsidens in specus solum (VII, 6; XXX, 2, 38; XXXII, 9); obscuratus aër vel nox interdiu visa intendi (VII, 28); lux orta nocte (XXVIII, 11; XXIX, 14; XXXII, 29); sol pallens aut rubens similisque sanguineo (XXV, 7; XXXI, 12); hastae motae (XXI, 62; XXIV, 10; XL, 19); tenebrae interdiu obortae (VII, 28; XXXVIII, 36, quae loca a quibusdam ad defectionem solis referuntur, ut XXXVII, 4, et XLIV, 37); apertae subito templorum fores; signa deorum mota vel conversa, sortes extenuatae seu evolutae (XXI, 62; XXII, 1); pinnae murorum deiectae (XXV, 7; XXXII, 9, 29); arbores repente aut alieno in loco, in puppi aut templo enatae, vel revirescentes (XLIII, 15; Plin. XVII, 38, 25); lacus repente increscens vel deficiens (V, 15); amnes retroversi et absorpti; fons erumpens antea non visus; aut scaturigo lactis vel olei (haec quidem, vena forte bituminosa ex meatu recluso manante); rivi sanguinis aut lactis fluentes; et lacus sanguine manantes, sive cruentae aquae (XXVI, 23; XXVII, 11, 23, 37; XXXIV, 45; XLV, 16); aquis, scil. a soli argillacei vel cretacei contagione rubentibus vel albescentibus, aut innatantibus aquae rubenti insectorum generibus, v. c. pulice monoculo, unde aquae a procellis in altum raptae aliis in locis imbres cruentos vel lacteos facere potuere; hinc et Comitium sanguine fluens (XXXIV, 45); et spicae vel messes cruentatae, ubi adhaesere forte spicis aut guttae sordesve ex istis imbribus, aut papiliones ex chrysalide evolantes et rubicunda conspersi gutta, aut rubor ab aliis insectis aspersus (XXII, 1; XXVIII, 11). Obscurum est, quod lana Priverni e terra et in Veienti agro ex arboribus nata (XLII, 2, fraudem forte facientibus iubatorum, barbatorum aliorumque lichenum generibus, in primis filamentosis), quodque XXXII, 1, Ostiae in Herculis aede et signo capillus enatus dicitur. (V. Steg. l. l. p. 180, ubi suspicatur, capillum fuisse subtilissimas radicis plantaeve fibras, et lanam pullam terra enatam confervam lacustrem). Minima mirabilia vero sunt signa, vexilla, spicula evulsuris reluctantia, quia altius et in solo tenaci infixa erant (vel, ut Cic. de Divin. II, 31 dicit, quia *timide fortasse signifer evellebat, quod fidenter infixerat*, et, ut ipse Liv. 22, 3 extr. *quia ad convellendum manus metu ob-*

aliter quam quum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere caelo lapides. Visi etiam audire vocem ingentem ex summi cacuminis luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent, quae, velut diis quoque simul cum patria relictis, oblivioni dederant: et aut romana sacra susceperant, aut fortunae, ut fit, obirati, cultum reliquerant deum. Romanis quoque ab eodem [2] prodigio novemdiale sacrum publice susceptum est: seu voce caelesti ex Albano monte missa, nam id quoque traditur, seu haruspicum monitu. Mansit certe solemne, ut, quandoque idem prodigium
3 nunciaretur, feriae per novem dies agerentur. Haud

torpuerant); sanguis erumpens signis evulsis, r[illegible]entis, scil. aquae scaturigine sub solo latente; voces exauditae, vana religione visa obiiciente, in primis in solitudine agrorum et lucorum (ut h. l. et II, 7; V, 32; VI, 33); pisces sub aratro inventi, qui pisces fuere fossiles (vid. ad XLII, 2, n. 2). *Tertii* generis prodigia petita erant ab animantibus, si raro visae essent (ut angues iubati XLI, 26; XLIII, 13, et quadrupedes, etiam lacertae et serpentes); aut si insolito aut alieno in loco (v. c. anguis e columna lignea, s. ara, s. foribus templi elapsus I, 56; XXV, 16; XXVII, 4; XXVIII, 11; lupi III, 29; X, 27; XXI, 46, 47, 48, 62; XXVII, 37; al. apum examina XXI, 46, n. 1; XXIV, 10; XXVII, 23; boves XXI, 62; XXXVI, 37; corvi X, 40; XXI, 62; XXIV, 10; XXX, 2; volturius XXVII, 11, 23); aut si species insolitae, sive *monstra* essent (quorum tam frequens fit mentio, ut eorum maior olim, quam nunc, multitudo fuisse videri possit, nisi potius, quae olim superstitio ac metus notavit, hodie transmittit incuria hominum); aut facta ab natura illorum aliena (vid. c. XXVII, 23; XXX, 2, et XXXVII, 3). Ex his quaedam etiamnum doctorum hominum indagationem exigunt, v. c. bos loquuta (III, 10; XXIV, 10; XXVII, 11, al.); caprae lanatae (XXII, 1); agnus cum ubere lactenti natus (XXVII, 4); gallina in gallum, gallus in gallinam versus (XXII, 1); bos qui peperit equuleum (XXIII, 31); et vaccam aeneam iniit (XLI, 17; cf. XXXI, 12; ad Tac. Ann. XIV, 13, 3; Phlegonem Trallian. de Mirab. Fortunium Licetum de monstr. causis et differ.). At haec quoque, ut reliqua, possunt forte ad certa naturae eventa et causas revocari, et similibus nostri aevi exemplis confirmari. Conf. in primis Stegeri liber laud.

2. *Ab eodem prodigio*, ob idem prodigium (vid. ad I, 1, n. 5). Paulo ante *vocem ingentem*, scil. dicentem, iubentem, monentem.

3. *Vt quandoque idem prodigium nuntiaretur* (h. e. quando vel quandocumque, quoties: vid. ad cap. 24, n. 4), *feriae*, dies sacri, *per novem dies agerentur*, sive *novemdiale sacrum*. Exempla dabit Index.

ita multo post pestilentia [4] laboratum est: unde quum pigritia militandi oriretur; nulla tamen ab armis quies dabatur a bellicoso rege, salubriora etiam credente militiae, quam domi, iuvenum corpora esse; donec ipse quoque longinquo morbo est implicitus. Tunc adeo fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, ut, qui nihil ante ratus esset minus regium, quam sacris dedere animum, repente omnibus magnis parvisque superstitionibus obnoxius degeret, religionibusque etiam populum impleret. Vulgo iam homines, eum statum [5] rerum, qui sub Numa rege fuerat, requirentes, unam opem aegris corporibus relictam, si pax veniaque a diis impetrata esset, credebant. Ipsum [6] regem tradunt, volventem commentarios Numae, quum ibi quaedam occulta solemnia sacrificia Iovi Elicio facta invenisset, operatum [7] his sacris se abdidisse: sed non rite initum aut curatum id sacrum

4. *Pestilentia* et *pestis* h. l., ut ubivis fere ap. Liv., pro lue vel febribus epidemicis, quas Romae falso pro pestibus propria sic dictis habitas esse docuit Heyn. Opusc. Acad. t. III, p. 108 sq.— *Salubriora*, magis valentia et sana.

5. *Eum statum rerum requirentes*, desiderantes. — *Pax veniaque*, vid. ad cap. 16, n. 4.

6. *Ipsum regem tradunt volventem commentarios Numae... Iovi Elicio... conflagrasse*, vid. ad cap. 20, n. 10 et 12. Forte leg. *occulta ac* vel *et solemnia sacrificia*, vel delenda vox postrema. Mors Tulli vulgo a ritibus occultis procurandi morbi repetitur: sed quidam tradunt, eum aegrotantem ab Anco Marcio vel factione eius fuisse occisum, regiamque simul incensam, ut caedes occultaretur. Conf. Dionys. III, 35.

7. *Operatum* (supin., pro ut operaretur) *his sacris se abdidisse*; nisi leg. *operaturum*, vel certe *operatum* positum pro *operantem*, ut IV, 60 pr. ap. Plin. XXVI, 2, et Tac. Ann. III, 43, §. 3. *Operari*, operam dare, s. navare, *sacris*, ut *Musis, textis* etc., hinc ei deditum esse, v. c. lib. IV, 60 pr. X, 39 pr. XXI, 62; cf. ad Sil. II, 70, et Tac. Ann. II, 14, §. 3; Duk. et Drak. infr. ad X, 39, n. 2. — *Fulmine ictum cum domo conflagrasse.* Plerique scriptores, teste Dione, lib. III, Tulli mortem Anco Marcio successori eius adscribunt: qui captato tempore, quo turbida ac procellosa tempestas solitudinem circa regiam fecerat, cum globo amicorum irruperit, obtruncatisque rege et coniuge ac filiis eius, ignem aliquot locis aedibus subiecerit, ac deinde in vulgus de fulmine rumorem sparserit. Lem.

esse; nec solum nullam ei oblatam caelestium speciem, sed ira Iovis sollicitati prava religione, fulmine ictum cum domo conflagrasse. Tullus magna gloria belli regnavit annos duos et triginta.

XXXII. Mortuo Tullo, res, ut institutum iam inde ab initio erat, ad Patres redierat: hique interregem nominaverant; quo comitia habente, Ancum Marcium regem populus creavit: Patres [1] fuere auctores. Numae [2] Pompilii regis nepos, filia ortus, Ancus Marcius erat: qui, ut regnare coepit, et avitae gloriae memor, et quia proximum regnum, cetera egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat, aut neglectis religionibus, aut prave cultis, longe [3] antiquissimum ratus, sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facere, omnia ea ex commentariis regis pontificem [4] in album relata, proponere in publico iubet. Inde et civibus otii cupidis, et finitimis civitatibus facta spes, in avi mores atque instituta regem abiturum: igitur Latini, cum quibus, Tullo regnante, ictum foedus erat, sustulerant animos: et, quum incursionem in agrum romanum fecissent, repetentibus res Romanis superbe responsum reddunt; desi-

Cap. XXXII. 1. *Patres fuere auctores*, v. ad c. 17, n. 5.

2. *Numae*, regis religiosissimi, *nepos ex filia Ancus Marcius* et Numae Marcii Pontificis filius; vid. ad c. 20, n. 9. Hinc et ipse sacra rite colenda curabat.— *Regnum κατὰ cetera egregium*, ut c. 35; cf. XXXVII, 7, *virum ad cetera egregium*, ubi v. Iac. Gron.

3. *Longe antiquissimum*, primum et gravissimum, optimum factu, quod maxime est curae cordique, ut III, 10; VI, 40; VII, 31; IX, 31; et πρεσβύτερον apud Herodot. V, 63, et Aelian. V. H. V, 17. Paris. Codex habet *longeque*; ita et plerique scripti et omnes editi, teste Creverio; sed quum manifestum sit particulam *que* vacare, quod iam observaverat Gronovius affirmans a duobus scriptis abesse, ille eam eradere olim non dubitaverat. Lem.

4. *Pontificem*, sc. maximum, quae vox ab optimis MSS. abest. Cf. I, 20; II, 2, 27; XXXIV, 44, n. 1, al. — *In album relata*, in tabulam albam, s. albatam (λεύκωμα), in qua edicta aliaque, quae populo erant indicanda, scribi solebant et *in publico proponi*, s. promulgari.

dem romanum regem inter sacella et aras acturum esse regnum rati. Medium [5] erat in Anco ingenium, et Numae, et Romuli memor; et praeterquam quod avi regno magis necessariam fuisse pacem credebat, cum in novo, tum feroci populo; etiam, quod illi contigisset otium, sine iniuria id se haud facile habiturum; tentari patientiam, et tentatam contemni; temporaque esse Tullo regi aptiora, quam Numae. Vt tamen, quoniam Numa in pace religiones instituisset, a se bellicae caeremoniae proderentur; nec gererentur solum, sed etiam indicerentur bella aliquo ritu; ius [6] ab antiqua gente Aequicolis, quod nunc fetiales habent, descripsit, quo res repetuntur. Legatus, ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite [7] velato filo (lanae velamen est);

5. *Medium ingenium*, μέσον (apud Lucian. Conviv. c. 43 extr.: ἐκεῖνος δὲ μέσον ἑαυτὸν ἐφύλαττεν.), moderatum, medium quasi inter duo extrema, inter Romuli et Numae ingenium, *Medium se gerere* dicitur II, 27, qui neutri studet parti; *media oratio*, quae nec nobilitati, nec plebi favebat, sed mediam quasi inibat viam, X, 15; *medium decretum* III, 13, quod nec in vincula conici reum, nec plane dimitti iubebat; *medium consilium* II, 30; IV, 43; VIII, 13; *mediis*, inter tres censentes medium quasi tenentibus, XXVII, 25, n. 3; *medios nec in alterius favorem inclinatos* XL, 20.—*Et Numae et Romuli memor*, eorum ingenio respondens, indolem referens. Cf. II, 4; XXIII, 12, et ad III, 36, n. 8. — *Tentari patientiam*, periculum fieri, an se patientem iniuriae praebiturus sit, *et tentatam contemni*, si experta et feliciter tentata sit, i. e. si intelligatur ferri iniurias, contemni eum, qui tulerit; Ern. Conf. ad VIII, 4, n. 3.

6. *Ius ab antiqua gente Aequicolis* repetitum *descripsit*. Valerius in Epitome de praenomin. *Ab Aequicolis Sertorem Resium, qui primus ius fetiale instituit*. Conf. de eo et de *fetialibus* supr. ad cap. 24, n. 5. Pro *Aequicolis*, quae est depravatio grammaticorum, leg. *Aequiculis*; v. Heyn. ad Virg. Aen. VII, 747. *Aequi* vel *Aequani*, *Aequiculi* et *Aequiculani*, fera gens, ad utramque Anienis ripam exiguum tractum inter Marsos, Pelignos et Sabellos montes inhabitans, a Romanis devicta et exstincta; Heynius l. l.

7. *Capite velato filo*, vitta, infula, ut apud Tibull. I, 5, v. 15; Festus, *flamen dialis dictus, quod assidue filo veletur*. Alia sunt capitis velamenta sacerdotum (ut X, 7, n. 11), et augurum (I, 18; X, 7), quorum causam tradit Virg. Aen. III, 403 sq.

Audi, Iupiter, inquit; *audite, fines*, cuiuscumque gentis sunt, nominat; *audiat Fas. Ego sum publicus nuntius populi romani, iuste pieque legatus venio, verbisque meis fides sit.* Peragit deinde postulata: inde Iovem testem facit: *Si ego iniuste impieque illos homines illasque res dedier nuntio populi romani mihi exposco, tum patriae compotem me nunquam siris* [8] *esse.* Haec, quum fines suprascandit, haec, quicumque ei primus vir obvius fuerit, haec, portam ingrediens, haec, forum ingressus, paucis verbis carminis concipiendique iurisiurandi mutatis, peragit. Si non deduntur, quos exposcit, diebus tribus et triginta (tot enim solemnes sunt) peractis, bellum ita indicit: *Audi, Iupiter, et tu, Iuno, Quirine, diique omnes caelestes, vosque terrestres, vosque inferni, audite. Ego vos testor, populum illum*, quicumque est, nominat, *iniustum esse, neque ius persolvere: sed de istis rebus in patria maiores* [9] *natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamur.* Cum his nuntius Romam ad consulendum redit. Confestim rex his ferme verbis Patres consulebat: *Quarum* [10] *rerum, litium, causa-*

— Mox pro *cuiuscumque gentis* in c. Voss. legitur *cuius gentis*, el in Pal. *cuiusque gentis* forsan recte; vide ad cap. 24, n. 4. Sed mox sequitur *quicumque est*, nisi el hoc mutandum. — *Audiat Fas*, vide ad VIII, 5, n. 4. — *Peragit*, vide ad cap. 18, n. 10.

8. *Siris* antique pro *sinas*. — *Haec quicumque* etc., apud quemcumque qui etc. — *Paucis verbis carminis* (v. ad c. 24, n. 9) *peragit*, dicit; vid. ad c. 18, n. 10. — *Quos* homines et res *exposcit*; nisi cum Duk. leg. *quae*. — *Tot enim solemnes sunt*, vulgares, vel legibus definiti.

9. *Maiores natu*, Patres, senatum; conf. ad I, 8, n. 9. — *Cum his verbis*, quum haec dixisset (ἅμα τοῖσδε, al. *simul haec*), *nuntius Romam redit*; cf. ad VIII, 14, n. 3.

10. *Quarum rerum, litium, causarum* (synonyma, ut mox *populi priscorum Latinorum hominesque prisci Latini... fecerunt, deliquerunt... censuit, consensit, conscivit... bellum indico facioque*, et alia in formulis solemnibus, de quo conf. ad XXII, 10, n. 2) scilic. gratia, s. causa (nisi leg. *causam*, i. e. controversiam, quasi petitionem; solel enim cum quarto casu hoc verbum poni: sed ego non minus recte arbitror dici *condicere alicui furti* quam *furtum*: quin absolutum primitus illud vocabulum fuit,

rum condixit pater patratus populi romani Quiritium patri patrato priscorum Latinorum hominibusque priscis Latinis, quas res dari, fieri, solvi oportuit, quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec solverunt, dic, inquit ei, quem primum sententiam rogabat, *quid censes?* Tum ille: *Puro* [11] *pioque duello quaerendas censeo; itaque* [12] *consentio, consciscoque.* Inde ordine alii rogabantur: quandoque [13] pars maior eorum, qui

nec casum proprie rexit; Bauer.) *condixit pater patratus*, h. e. de quibus rebus convenere inter se (*condicere*, cf. Gron. Obss. I, 1) patres patrati, scil. in foedere, Tullo regnante icto: nam pater patratus foedus facit (ut fetialis clarigat, h. e. res repetit indicitque bellum), et Dionys. III, 37 diserte dicit, Romanos postulasse ex foedere, ut res redderentur, Latinos vero respondisse, foedus a se ictum esse cum Tullo, non cum Anco. De *priscis Latinis* vid. ad cap. 3, n. 5; *hominibus*, populis; ut 23, 31, *quorum hominum essent*, pro cuius populi cives fuissent; cf. omnino Gell. XVI, 4.

11. *Puro pioque duello* (bello) *quaerendas* (requirendas, *repetendas*), ut *iustum piumque bellum* inf. XXXIX, 36, et XLII, 23; vid. sup. ad cap. 22, n. 5; *purus*, scilic. a scelere, ut ἁγνὸς et καθαρὸς, iustus et pius.

12. *Itaque* (et ita) *consentio, censeo, consciscoque*, una, communiter, simul cum aliis, ut mox *consensu*, scisco, h. e. decerno, iubeo, censeo, constituo; cf. ad IV, 4, n. 6; X, 18 pr. X, 34, n. 9; XXXIII, 49; LX, 8. Sed *consciscere* etiam simpl. est sciscere, constituere, ut *facinus* XXVIII, 22; *exsilium* XXIV, 26 pr. *exsilium ac fugam sibi* V, 53; X, 16, 34, nisi haec etiam eo sensu dicta sunt, quo *mortem* vel *necem sibi consciscere*, h. e. moriendi consilium et capere et exsequi. Sic et plura verba composita pro simpl. obvia, ut *instare* II, 43, n. 6; *consequi* XXIV, 45, n. 4, et al. Cf. ad IV, 4, n. 6, et ad Tac. Ann. VI, 27, n. 1.

13. *Quandoque pars maior eorum, qui aderant* (conf. XXVI, 33 extr.), *in eandem sententiam ibat*, scil. *pedibus*, ut V, 9 pr. nam, ubi senatusconsultum per discessionem fiebat, iubebantur senatores discedere ad eum locum curiae, quo iverat sententiae alicuius pronuntiatae auctor, ut ita, numeratis capitibus, facile cognosceretur cuinam sententiae plurimi faverent; unde *in sententiam alicuius ire pedibus*, vel simpl. *ire, discedere, discessionem facere*, ut contra *in alia omnia*, h. e. in contrariam, diversam sententiam, *ire* (vid. Gell. III, 18; XIV, 7; Cic. Verr. IV, 65), et *contra ire* apud Tac. Ann. XIV, 45 pr. Sic et infr. II, 27 *in alteram causam*, sententiam, partem, *collega praeceps ierat*, h. e. temere, parum consulto, ut XXI, 18, *praeceps legatio*, temere missa. Ibidem in quibusdam libris legitur *praeceps erat*, h. e. proclivis, ut XXVI, 38, n. 3, et XXXVII, 7. Hinc et (quod iam notavit Gron. ad Gell. III, 18) *pedarii* dicti senatores non, quod multi etiam nunc putant,

aderant, in eandem sententiam ibat, bellum [14] erat consensu. Fieri solitum, ut fetialis hastam [15] ferratam, aut sanguineam praeustam ad fines eorum ferret, et, non minus tribus puberibus praesentibus, diceret: *Quod populi priscorum Latinorum hominesque prisci Latini adversus populum romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod populus romanus* [16] *Quiritium bellum cum priscis Latinis iussit esse, senatusque populi romani Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret; ob eam rem* [17] *ego populusque romanus populis priscorum Latinorum hominibusque priscis Latinis bellum indico facioque.* Id ubi

quotquot pedibus in sententiam discederent (nam vix erat quisquam senatorum, qui id non saepius vel semel certe fecisset), sed qui tantum ita pedibus irent, saltem plerumque, sive ipsi fiduciam non haberent dicendi sententiam, sive non rogarentur, ut qui nondum essent a censore in senatum lecti aut in postremis scripti; vid. loc. class. Gell. III, 18; inf. ad XXII, 49, n. 13, et XXVII, 34, n. 3.

14. *Bellum erat consensu*, bellum decernebatur perinde ac si omnes consensissent. Cf. ad XXIV, 37, n. 9. Sed forte e cod. Florent. legendum *consensum*, i. e. decretum; ut infr. VIII, 6, 3, *consensit senatus bellum*, h. e. consensu, s. communi consilio decrevit (nisi cum Drak. suppleveris *fieri*), et ap. Gell. XV, 26, *consensis quibusdam et concessis.* Cf. Cic. Fin. II, 35 extr. et inf. XXVII, 9 extr. ubi duplex loquendi ratio iungitur: *idem socios consensisse ad prodendam Urbem.*—Florentini codicis lectionem optimam, *bellum erat consensum*, admisit Creverius; et idem distinctionem mutavit, auctore Gronovio, et novae periodi initium fecit a vocibus, *Fieri solitum*; vulgo *bellum erat consensu solitum fieri, ut fetialis* etc. Lem.

15. *Hastam ferratam*, ferro praefixam, *aut sanguineam*, non e frutice vel arbore sanguinea fabricatam, sed sanguine infectam, ut iniiceretur terror, et ita significaretur bellum fore cruentum. Conf. Plin. XVIII, 18, et Ammian. Marcell. XIX, 1.

16. *Populus Romanus Quiritium*, ut VIII, 9; XLI, 16, al. pro populus romanus, qui idem populus Quiritium, ut *populus romanus Quirites* pro populus roman., qui iidem Quirites; vid. Drak. ad h. l. et Gronov. Obss. IV, 14, et ad Gell. I, 12; X, 24; *Quiritium* nomen *populo romano* adiunctum, ex quo Sabini Curibus Romam commigrarint, monet Brisson. de form. I, p. 61.

17. *Ob eam rem ego populusque romanus*, h. e. ego nomine et iussu populi romani *bellum indico facioque* (conf. not. 10), nisi *indico* referendum ad ego, et *facio* ad *populum romanum.* — *Emittebat*, sc. nuntiu.

dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Hoc tum modo ab Latinis repetitae res, ac bellum indictum; moremque eum posteri acceperunt.

XXXIII. Ancus, demandata [1] cura sacrorum flaminibus sacerdotibusque aliis, exercitu novo conscripto profectus, Politorium, urbem Latinorum, vi cepit; sequutusque morem regum priorum, qui rem romanam auxerant hostibus in civitatem accipiendis, multitudinem omnem Romam traduxit. Et, quum circa Palatium, sedem veterum Romanorum, Sabini [2] Capitolium atque arcem, Coelium montem Albani implessent; Aventinum novae multitudini datum; additi [3] eodem haud ita multo post, Tellenis, Ficanaque captis, novi cives. Politorium [4] inde rursus bello repetitum, quod vacuum occupaverant prisci Latini: eaque causa diruendae urbis eius fuit Romanis, ne hostium semper receptaculum esset. Postremo, omni bello latino Medulliam [5] compulso, aliquandiu ibi Marte incerto, varia victoria, pugnatum est: nam et urbs tuta munitionibus, praesidioque firmata valido erat, et, castris in aperto positis, aliquoties exercitus

Cap. XXXIII. 1. *Demandata cura sacrorum*, scil. eorum, quae ipse antea solebat curare.

2. *Et quum Sabini Capitolium atque arcem* (vid. ad I, 55, n. 6), *Albani Coelium montem implessent*; quae loca erant *circa Palatium*, *sedem veterum Romanorum*, h. e. eorum, qui Romam condiderant cum Romulo etc. Cf. c. 3a pr. *De Palatio* et *Aventino*, vid. ad c. 5, n. 2.

3. *Additi eodem*, in eundem collem, ut eo XXVII, 22. — *Tellenae* (s. *Tellene* et *Tellena*) et *Ficana* Latii oppida, prope Ostiam, ut forte et *Politorium* Confer. Dionys. III, 37, 38.

4. *Politorium inde rursus bello repetitum*, *quod vacuum* a civibus, seu incolis, Romam traductis, ut antea dictum, *occupaverant prisci Latini*, de quibus vid. ad cap. 3, n. 5. Forte delendum τὸ *rursus*, vel leg. *petitum*. Sed cf. IX, 27, et ad II, 45, n. 10.

5. *Medullia* a Latinis capta et cruento bello quatuor annorum recepta ab Anco. Cf. Dionys. l. c. Oppidi incertus situs in Sabinis.—Voc. *varia victoria* forte glossa, verbis *Marte incerto* adscripta.—*Praesidioque firmata valida*, vid. ad XXI, 57, n. 7.—*Castris in aperto positis*, cf. ad XXI, 32, n. 7.

latinus cominus cum Romanis signa contulerat. Ad ultimum; omnibus copiis connisus, Ancus acie primum vincit; inde, ingenti praeda potitus, Romam redit, tum quoque multis millibus Latinorum in civitatem acceptis; quibus, ut iungeretur Palatio Aventinum, ad Murciae [6] datae sedes. Ianiculum [7] quoque adiectum, non inopia loci, sed ne quando ea arx hostium esset: id non muro solum, sed etiam, ob commoditatem itineris, ponte [8] sublicio, tum primum in Tiberi fa-

6. *Ad*, apud, *Murciae*, sc. aedem, ut, *ad Iovis Statoris* c. 41; *ad Spei* II, 51; *ad Martis* et *ad Cereris* X, 23 extr. ἐς Ἀθηναίης, sc. νηὸν Hom. Il. VI, 379. Cf. et II, 7 extr. III, 48 al. Murciae sacellum sub Aventino monte, quem *Murcum*, seu *Murcium* inde olim dictum perperam, opinor, Festus tradit. Alii putant, eam a monte hoc ita appellatam, nec diversam esse a *Murcea*, ignaviae dea, de qua vid. Augustin. de civ. Dei IV, 16. Sed Plinius XV, 29, s. 36, et Plut. Qu. Rom. t. II, p. 268 docent Venerem a myrto, arbore ei sacra, primum dictam esse *Myrtiam*, Μυρτίαν, et postea *Murciam*, Μουρκίαν, vel rectius forte *Murtiam*: et *sacellum Murtiae Veneris* memoratur Varr. L. L. IV, 32.

7. *Ianiculum*, collis, s. mons altus, trans Tiberim situs. — *Ne quando*, aliquando, *ea arx hostium esset*, vid. ad IV, 31, n. 8, et XXIV, 42, n. 6. —*Id non muro solum*, scilic. cingi, *sed etiam ponte coniungi Vrbi placuit*: nam scriptores et graeci et latini saepe membris duobus unum iungunt verbum, a quo grammatice quidem utrumque pendet membrum, quamquam quoad sententiam plenus verbi significatus ad unum modo referri possit, et ad alterum vel pleni huius significatus pars quaedam (vid. c. 3, 48 pr. et III, 55, n. 9, τὸ *dicere* verbi *negare*), vel similis ei atque cognatus intelligendus sit significatus; quod ellipseos, seu figurae genus σύλληψιν et ζεῦγμα aut synezeugmenon appellant. Cf. ad XXII, 12, n. 8; XXIV, 5, n. 7; XXXVIII, 21, n. 5; XL, 9, n. 2; ad Tac. Ann. II, 20, 2; *d'Orville* ad Chariton. p. 398; Brunck. ad Sophocl. Electr. 72, 435; ad Oedip. Tyr. 271; ad Aiac. 1035; Burm. ad Virg. Aen. VII, 187; IX, 279; Drak. inf. ad XL, 42, n. 11; Stroth. ad III, 67 extr. ubi (ut iam ante eum Drak. l. l.) ad verba *Esquilias... captas* intelligit *nemo defendit*: quod tamen verbum τῷ *submovit* parum respondet; nisi haec duritiss affectu loquentis excusanda. Sic et h. l. neque *cingi*, neque aliud verbum satis aptum voci *muro*, τῷ *coniungi Vrbi* simile est et cognatum. Forte excidit *cingi*, s. *circumdari*, vel cum Schellero legendum *non muniri solum*. Ἐτείχισε δὲ καὶ τὸ καλούμενον Ἰανίκολον, καὶ φρουρὰν ἱκανὴν ἐν αὐτῷ κατέστησεν, Dionys. III, 45.

8. *Ponte sublicio*, qui innitebatur palis, sc. trabibus et tignis, quae *sublicae* dicebantur, vel ex trabibus, sine fulturis ferreisque clavis, sine omni aere aut ferro, compositus erat,

cto, coniungi Vrbi placuit. Quiritium quoque fossa, haud parvum munimentum a planioribus [9] aditu locis, Anci regis opus est. Ingenti incremento rebus auctis, quum in tanta multitudine hominum, discrimine [10] recte an perperam facti confuso, facinora clandestina fierent, carcer ad terrorem increscentis audaciae, media urbe, imminens [11] foro aedificatur: nec urbs tantum hoc rege crevit, sed etiam ager finesque. Silva Maesia [12] Veientibus adempta, usque ad mare imperium prolatum, et in ore Tiberis Ostia urbs condita, salinae circa factae, egregieque rebus bello gestis, aedis Iovis Feretrii amplificata.

ita disposita contignatione, ut eximerentur trabes ac reponerentur, et vel clavum iis addere religioni esset; vid. Plin. XXXVI, 15, s. 23. Hinc *roboreum pontem* dixit Ovid. Fast. V, 622; ξυλίνην et ἱερὰν γέφυραν Plut. Cf. inf. c. 37, et XI, 10; *in Tiberi facto*, alii *in Tiberim*, ut XL, 51, et in Epit. Vtrumque ferri potest; Drak. Cf. ad II, 14, n. 2.

9. *Haud parvum munimentum a planioribus aditu locis*, a parte locorum, qui planiora sunt et aditu faciliora.

10. *Discrimine recte an perperam facti confuso* (ut contra *salvo* inf. V, 40, n. 6), quum nondum exacte discernerentur bona et mala facinora, non satis intelligeretur, utrum quid recte an perperam factum esset.

11. *Carcer imminens foro aedificatur* publicus, auctus deinde in loco inferiore a Servio Tullio firmissima illa parte (*cachot*), quae dicta est *robur Tullianum*, quia roboreis parietibus olim certe cincta erat, et in qua exspirabant malefici illuc praecipitati. Cf. ad XXIX, 22, n. 4; XXXIV, 44 extr. XXXVIII, 59; in pr. Sallust. b. Cat. 55, ubi v. Cort. et Intpp. Tac. Ann. IV, 29. Hic carcer diu Romae unicus fuit (vid. Iuvenal. III, 312), postea plures exstructi, a quibus lapidei dicebantur *lautumiae*. Praeerant iis triumviri capitales (cf. XXXIX, 17), et custodes illorum erant primum servi publici, deinde urbani milites. Romae autem non liberae fuere custodiae, nec alii carceres publici, quam in quibus servabantur malefici, donec supplicium de iis sumeretur. Rei honoratiores, in perpetua habendi custodia, municipiis per Italiam tradebantur (vide Sallust. Cat. 50, 43, et Vell. I, 9), vel *privatis carceribus* in singulis patriciorum aedibus; vid. infr. VI, 36 extr. et ad Tac. III, 22, 6.

12. *Silva Moesia Veientibus adempta*, conf. Dionys. III, 41.—*In ore*, s. ostio *Tiberis Ostia condita*, vetus, a situ sic dicta, colonia rom. et postea velut emporium Romae ac portus. Cf. Dionys. III, 44, et Plin. IV, 5. «Ancus adversus Etruscorum latrocinia, negotiatores in Tiberi infestantium, *Ianiculum muniit* et *Ostiam condidit* (v. Dionys. l. l.), quae arguunt artes

XXXIV. Anco regnante, Lucumo [1], vir impiger ac divitiis potens, Romam commigravit, cupidine maxime ac spe magni honoris, cuius adipiscendi Tarquiniis, nam ibi quoque peregrina stirpe oriundus erat, facultas non fuerat. Damarati [2] Corinthii filius erat; qui, ob seditiones domo profugus, quum Tarquiniis forte consedisset, uxore ibi ducta, duos filios genuit. Nomina his Lucumo atque Aruns fuerunt. Lucumo superfuit patri, bonorum omnium haeres: Aruns prior, quam pater, moritur, uxore gravida relicta; nec diu manet superstes filio pater: qui

mercatorias Etruscorum adversus vicinos libertatem commerciorum sibi vindicantes; » Heynius Opusc. Acad. t. V, p. 416. A *salinis circa factis* nomen accepit *via salaria*, quae in Sabinos ferebat, vel, ut Festus dicit, a sale, quod per eam Sabini deferebant a mari. Conf. VII, 9; ad VIII, 15, n. 6; et infr. ad II, 9, n. 4. Mox *aedis* pro vulg. *aedes*, ut II, 21; IV, 25; VI, 5 al.

Cap. XXXIV. 1. *Lucumo* etiam rex Etruscorum dici solebat; vid. ad c. 8, n. 2; *Tarquinii* Etruriae oppid. Cf. Dionys. III, 46 sq.

2. *Damarati* (dorica forma pro *Demarati*, ut *Nicodamus* XXXVIII, 5; *Damoteles* XXXVIII, 8; *Damarata* XXIV, 22; *Damocritus* XXXI, 32; XXXIV, 24; *Archidamus* XXXII, 4; *Damiurgos* MS. Voss. XXXII, 22; *Nasos* XXV, 24; Drak.) *Corinthii*, ex nobili Bacchiadarum gente oriundi, quae a Bacchio vel Bacchide originem ducebat, et propter opes, mercatura potissimum quaesitas, summam regiamque Corinthi obtinebat potestatem, sed ob luxuriam aut affectatam dominationem a Cypselo tyranno expellebatur; v. Pausan. II, 4; V, 17-19; Herodot. V, 3 sq.; 93 sq.; Aelian. Var. Histor. I, 19, et Schol. Apollon. IV, 1212.—Nusquam in codice Paris. locum corruptiorem vidimus; tota pagina est; sed duas lineas manus impia ferro erasit, et deinde novum textum a vocib. *commigravit, cupidine maxime* usque ad *ob seditiones*, turbato ordine et voc. omissis, fabricavit: hic est: «Romam « commigravit cupidine maxime *ac* « *spe magni honoris*; *cuius adipi-* « *scendi, dum esset in Etruria sub* « *patre Tarquinio, facultas non fue-* « *rat. Is enim ibi quoque peregrina* « *stirpe oriundus erat Demarathi Co-* « *rinthii filius* ....ob seditio- « nes domo profugus. » Lem. — *Lucumo atque Aruns*; quidam MSS. *Lucomo*, et plerique *Arruns*, ut et II, 6, 14. Ἀῤῥοῦντα et Λοκόμωνα in cod. Vat. Dionys. 3, p. 184. in ceteris Ἀροντα et Λυκόμωνα. — Paris. cod. *Lucumo* et *Arruns*, Lem.—*Immemor in testando nepotis decessisset*; hoc ad antiquitatem et ius testamentorum pertinet: sed quod de nepote ab avo praeterito dicit, de eo postea iure rom. aliter constitutum est; Duk.

quum, ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando nepotis decessisset, puero, post avi mortem in nullam[3] sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen. Lucumoni contra, omnium haeredi bonorum, quum divitiae iam animos facerent, auxit ducta in matrimonium[4] Tanaquil, summo loco nata, et quae haud facile iis, in quibus nata erat, humiliora sineret ea, quae innupsisset. Spernentibus Etruscis Lucumonem, exsule advena ortum, ferre indignitatem non potuit; oblitaque ingenitae erga patriam caritatis, dummodo virum honoratum videret, consilium migrandi ab Tarquiniis cepit. Roma[5] est ad id potissimum visa: in novo populo, ubi omnis[6] repentina atque ex virtute nobilitas sit, futurum locum forti ac strenuo viro: regnasse Tatium Sabinum: arcessitum in regnum Numam a Curibus: et Ancum[7] Sa-

3. *Sortem bonorum*, partem, spem. — *Egerio inditum nomen*, quem alii fratrem Tarquinii, non fratris filium edunt, et Livius patrem Tarquinii Collatini. Is Aruns, s. Egerius, *Collatiae* urbi Sabinis ademptae praefectus, inde *Collatinus* est dictus, et hoc nomen ad posteros propagavit. Conf. c. 38, 57, et Dionys. III, 50.

4. *Tanaquil*, seu Caia Caecilia, *quae haud facile* ob superbiam *sineret*, pateretur, *ea*, *in quae innupsisset*, *humiliora esse iis*, *in quibus nata erat*, h. e. gentem, domum, in quam matrimonio reciperetur, humiliorem esse nobilissimo, quo nata erat, genere. Cf. ad IV, 4, n. 4.

5. *Roma est ad id* perficiendum, s. consequendum (vel propter, ob id, πρὸς τοῦτο, ideo, ut II, 3 extr. XXIII, 18: XXXVII, 27; *ad hoc*, ob hoc, XXVIII, 39; XLV, 39; *ad ludibrium*, ludibrii causa, XXXVI, 14) *potissimum visa*, lecta, vel petita. Sic fere *magnam gloriam*, vel *nihil praeter publicum commodum videre*, h. e. spectare, sequi, appetere II, 12; III, 68; XXVIII, 17, n. 2; *decus spectare* VII, 32 extr. *Asiam et Antiochum spectare* XXXVII, 6, n. 2; δόξας ὁρῶσιν ap. Lucian. in Hermot. Quidam emendant *potissima*, vel *aptissima*, vel *lecta*. Vulgatum defendi posse putat Bauer. vel poëtarum more, quem minime aspernetur Nuster, vel ut intelligamus, apta, accommodata.

6. *Ubi omnis repentina nobilitas sit*, h. e. recens orta, nova quasi et sine imaginibus.

7. *Ancum Sabina matre ortum*; forte legend. *Sabino patre* cum Periz. Anim. hist. c. 3, ubi docet, matrem eius, Numae filiam, Romae natam adeoque Romanam fuisse. Cf. ad cap. 20, n. 9. Contra Periz. haec disputavit Duk. «Non video, cur Anci pater omnino Sabinus dici debeat, quem Livius a Numa pontificem, Tacitus

bina matre ortum, nobilemque[8] una imagine Numae esse. Facile[9] persuadet, ut cupido honorum, et cui Tarquinii materna tantum patria esset. Sublatis itaque rebus commigrant Romam: ad Ianiculum forte ventum erat: ibi ei, carpento sedenti cum uxore, aquila, suspensis[10] demissa leniter alis, pileum aufert; superque carpentum cum magno clangore volitans, rursus, velut ministerio divinitus missa, capiti apte reponit: inde sublimis abiit. Accepisse[11] id augurium

a Tullo praefectum Vrbi factum, et Plut. in fine Numae patre quidem Sabino, sed cum Numa Romam profecto et ab eo in senatum allecto, natum scribunt. Nec patrem Anci in Sabinis natum fuisse et cum patre suo Romam venisse, ullo certo argumento ostendi potest. Quod autem nonnulli tradiderunt, Anci matrem non fuisse Sabinam, sed Romanam, quam Numa ex uxore Romae ducta susceperit, id non tantam vim habet in re, quam in controversia positam fuisse Plut. tradit, ut affirmari possit, eam *haud dubie Romae natam* fuisse. Si verum est, quod proditum Plut. scribit, Ancum, Numa moriente, quinquennem puerum fuisse, ratio temporum non repugnat, quo minus Numae filia, in Sabinis nata, XXXVII anno regni illius Ancum parere potuerit.»

8. *Nobilem una imagine Numae esse*, h. e. Numam primum fuisse maiorem eius, qui magistratum gesserit curulem, et hinc ius imaginis suae cera exprimendae et ad memoriam posteritatemque prodendae habuerit. Nam *imagines* erant signa nobilitatis, et ius illud dabant magistratus curules. Quos si quis gesserat primus e familia sua, dicebatur *homo novus* (conf. IV, 48, ubi *homines novi* opponuntur *principibus*, sed forte ii sunt, qui ex tribunis pl. primi hunc magistratum gessere, et hinc mox *collegis principibus* opponuntur, Drak. ad IV, 54, 6; Cort. et Wass. ad Sallustii Catil. 23), si nec ipse nec maiorum aliquis, *ignobilis*, si aliquis maiorum, *nobilis*, et si unus tantum (ut h. l. avus, Numa), *nobilis una imagine*, si plures, *nobilis multis imaginibus*. Vtrum vero ius imaginum iam illis temporibus in usu fuerit, non constat. Livius forte nobilitatem generis more loquendi, sua aetate recepto, expressit.

9. *Facile* ei, s. viro (quae etiam vox in quibusdam libris legitur) *persuadet*, *ut cupido honorum*, quippe qui cupidus honorum esset, scil. ut Romam commigrent.

10. *Suspensis alis*, extentis et *leniter* agitatis, sine strepitu aut clangore; ut *suspensus gradus*, s. *pes* tacite incedentis et leniter vel vix terram tangentis. Poëtice loquitur Livius, ut passim. Mox *ministerio*, pro ad ministerium.

11. *Accepisse id augurium*, v. ad c. 20, n. 11. — *Excelsa et alta* iunguntur etiam apud Cic. Tusc. II, 4, ut passim alia synonyma. *Excelsa ex alte* coni. Schellerus in Obss.

laeta dicitur Tanaquil, perita, ut vulgo Etrusci, caelestium prodigiorum mulier. Excelsa et alta sperare complexa virum iubet: eam[12] alitem ea regione caeli et eius dei nuntiam venisse: circa summum culmen hominis auspicium fecisse: levasse[13] humano superpositum capiti decus, ut divinitus eidem redderet. Has spes cogitationesque secum portantes, Vrbem ingressi sunt; domicilioque ibi comparato, L. Tarquinium[14] Priscum edidere nomen. Romanis conspicuum eum novitas divitiaeque faciebant: et ipse fortunam benigno alloquio, comitate invitandi, beneficiisque, quos poterat, sibi conciliando, adiuvabat; donec in regiam quoque de eo fama perlata

12. *Eam alitem*, cui imperium quasi in aves esset, *ea regione caeli*, sub qua sita esset Roma, *et eius dei nuntium*, Iovis, regis deorum hominumque, cui sacra est et armigera. — *Circa summum culmen hominis*, caput, quod *ominis* tantum causa ita hic dicitur, unde portendatur honoris *culmen*, fastigium regale; Bauer.

13. *Levasse*, abstulisse, *decus humano capiti superpositum*, pileum, quo non nisi capita hominum tegerentur, et non servorum, sed ingenuorum libertinorumque, *ut divinitus eidem redderet*, ut eo reddito ostenderet, se a deo missam esse; nam alioquin abstulisset forte, non vero reddidisset, et multo minus, ut supra dictum est, *capiti apte reposuisset.* Pileus ille Cicer. Leg. I, 1, *apex* vocatur, qui proprie erat pileus sutilis (acuminatus in summa parte, et in medio virga eminente vel laneo filo ornatus), et forsan regum quoque insigne, ut Pontificis Max. et flaminum vel flaminis tantum dialis; unde *apicem dialem imponere alicui* inf. VI, 41, pro eum flaminem dialem prodere vel creare. Cf. Ruben. Elect. II, 25. Hinc forte *decus* h. l. dicitur. — *Humana manu superpositum* conj. Stroth.

14. *L. Tarquinium Priscum edidere nomen*, romana dedere nomina *Lucumoni Tarquiniis* nato. — *Priscum* cognomen vel addidere librarii, vel Livius ipse per πρόληψιν· nam regnante demum Tarquinio Superbo vel post eum hic Tarquinius appellatus est *Priscus*, hoc est, prior seu primus (quemadmodum Belus ὁ ἀρχαῖος dictus, id est primus; Bauer.), ut ab illo rege discerneretur. Sic et *Rostra* IV, 17, de quorum origine vid. VIII, 14. Conf. ad I, 10, n. 3; III, 51, n. 3; XIV, 54, n. 7. — Vocem *Priscum* ab uno e suis MSS. abesse testatur Hearnius, quod magis consentiens verae lectioni probat Dionys. Halicarn. in libro IV; qui de cognomine prioris Tarquinii loquitur in eo tantum loco, ubi de alterius agit. Lem.

est: notitiamque[15] eam brevi, apud regem liberaliter dextreque obeundo officia, in familiaris amicitiae adduxerat iura, ut publicis pariter ac privatis consiliis bello domique interesset; et, per omnia expertus, postremo tutor etiam liberis regis testamento instituereiur.

XXXV. Regnavit Ancus annos quatuor et viginti, cuilibet superiorum regum belli pacisque et artibus et gloria par. Iam filii prope puberem aetatem erant: eo magis Tarquinius instare, ut quam primum comitia regi creando fierent. Quibus indictis, sub tempus[1] pueros venatum ablegavit: isque primus et petisse ambitiose regnum, et orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam; *quum, se non rem novam petere, quippe qui non primus, quod quisquam indignari mirarive posset, sed tertius Romae peregrinus regnum affectet: et Tatium non ex peregrino solum, sed etiam ex hoste, regem factum: et Numam, ignarum urbis, non petentem, in regnum ultro accitum: se, ex quo sui[2] potens fuerit, Romam*

15. *Notitiamque eam ... liberaliter*, non serviliter, ... *in fam. amicitiae adduxerat iura*, ex notitia fecerat amicitiam: sed forte leg. (quod quidam libri exhibent) *notitiaque eum ... iura*; Ern. et Bauer. — *Bello domique*, al. *belli d.*, ut c. 36, et *domi militiaeque* cap. 35.

Cap. XXXV. 1. *Sub tempus* eorum seu id, scilicet comitiorum, tempore eorum instante. Conf. ad II, 55, n. 1. Suspicari possis *sub tempus id*. Sed similiter dici *ad tempus* III, 46, 64; XXVIII, 42, 43; al. et *post tempus*, monet Drakenb. ad III, 64, n. 4. — *Quum* sc. diceret, ut cap. 48 pr. et alibi. Ita Duker. et Bauer. At Stroth. putabat, paulo post *et Tatium* positum esse pro *tum Tatium* (ut *quum studiose ac libenter* apud Cic. ad Div. XV, 11; vel *et*, *tum* inf. c. 40, n. 5; *tum ... et* XXI, 36 extr. XXVIII, 15 pr. et gr. μὲν et δὲ pro μὲν et καί· sed Bauer. id alienum esse monet ab h. l., ubi non *distributio* sit, sed comprobatio et *documentum* prioris per ipsa *exempla*); vel τὸ *quum* h. l. infinitivo iungi, ut II, 27. pr. III, 37; IV, 51; VI, 27 et ἐπεὶ apud Herodot. II, 32. Conf. ad V, 15, n. 6.

2. *Sui potens*, ut: homo *sui iuris*. — *Sub haud poenitendo*, spernendo, *magistro*, bono, optimo, idoneo; vid. ad II, 54, n. 16.

cum coniuge ac fortunis omnibus commigrasse: maiorem partem aetatis eius, qua civilibus officiis fungantur homines, Romae se, quam in vetere patria vixisse, domi militiaeque sub haud poenitendo magistro, ipso Anco rege, Romana se iura, romanos ritus didicisse: obsequio et observantia in regem cum omnibus, benignitate erga alios cum rege ipso certasse. Haec eum haud falsa memorantem ingenti consensu populus romanus regnare iussit. Ergo virum, cetera egregium, sequuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio est: nec minus regni sui firmandi, quam augendae reipublicae, memor, centum in patres legit; qui deinde minorum[3] gentium sunt appellati: factio haud dubia regis, cuius beneficio in curiam venerant. Bellum primum cum Latinis gessit, et oppidum ibi Apiolas[4] vi cepit; praedaque inde maiore, quam quanta belli fama fuerat, revecta, ludos opulentius instructiusque, quam priores reges, fecit. Tum primum circo, qui nunc maximus[5] dicitur, designa-

3. *Patres minorum gentium*, ex gentibus minus nobilibus lecti, unde et *Dii minorum gentium*. Cf. ad Tac. Ann. XI, 25, 4. — *Factio haud dubia regis*, haud dubiae fidei erga regem, cui is confidere poterat.

4. *Oppidum Apiolas*, cf. Plin. III, 5, 9; Strab. V, pag. 231; Dionys. III, pag. 186. — *Quam quanta belli fama fuerat*, gloria hoc bello parta; vel, quam speraverat, quum bellum parvi essel momenti, vel esse putasset.

5. *Circus Maximus*, in valle Murcia, inter Aventinum el Palatinum montes situs, qui stadia tria cum dimidio longus, unumque latus erat, el loca 150,000, sed, ut alii dicunt, 485,000 capiebat. — *Loca divisa Patribus Equitibusque*, saltem singulis curiis, circo in XXX partes diviso, si fides habenda Dionys. III, 68. Liberae reip. temporibus Patres Equitesque separatim quidem nec immixti plebi, sed promiscue h. e. locis incertis el quae fors tulerat, spectabant. Loca deinde certa illis adsignavit Claudius, bis Nero; vid. Lips. ad Tac. Ann. XV, 23; el Ern. ad Suet. Claud. XXI, et Ner. II. Ceterum *Circi* erant aedificia publica formae oblongae, et ab altera parte rotundae, ab altera rectae, in quibus ludi habebantur varii, cursus, certamina gymnica, ludus Troiae, venatio, naumachia, pugna equestris et pedestris.

tus locus est: loca divisa Patribus equitibusque, ubi spectacula[6] sibi quisque facerent; fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes: ludicrum fuit equi pugilesque, ex Etruria maxime acciti. Solemnes deinde annui mansere ludi, Romani[7] Magnique varie appellati. Ab eodem rege et circa forum privatis aedificanda divisa sunt loca; porticus tabernaeque[8] factae.

XXXVI. Muro[1] quoque lapideo circumdare Vrbem parabat, quum sabinum bellum coeptis intervenit: adeoque ea subita res fuit, ut prius Anienem transirent hostes, quam obviam ire ac prohibere exercitus romanus posset. Itaque trepidatum Romae est: et primo, dubia victoria, magna utrimque caede pugnatum est. Reductis deinde in castra hostium copiis, datoque spatio Romanis, ad comparandum de integro bellum, Tarquinius, equitem maxime suis deesse viribus ratus, ad Ramnes[2], Titienses, Luceres, quas centurias Romulus scripserat, addere alias constituit, suoque insignes relinquere nomine. Id quia inaugurato Romulus fecerat, negare Attus Navius, inclytus

6. *Spectacula sibi quisque facerent*, gradus, sedilia, seu loca, unde spectatur, vel ubi spectatores sunt seu sedent, ut XLV, 1. Sedilia, quae primum *sibi quisque faciebat*, a Tarquinio Superbo facta lignea et permanentia (vid. cap. 56), ab aliis deinde lateritia, tandemque marmorea, triplici porticuum ordine sustentata. — *Fori appellati*; conf. ad I, 56, n. 1; XXIX, 37, n. 2; XLV, 1, n. 5. — *Furcae*, pali, figuram *V* vel *Y* referentes; *furculi* XXXVIII, 7, n. 5. — *Ludicrum*, v. ad cap. 5, n. 3.

7. *Romani Magnique ludi*, v. ad I, 9, n. 4; et II, 36, n. 1.

8. *Tabernae factae et porticus*, vid. ad III, 27, n. 3.

Cap. XXXVI. 1. *Muro lapideo*, ex quadrato lapide constructo: nam muro Vrbs iam antea erat cincta.

2. *Ramnes* (al. *Ramnenses*), *Titienses*, *Luceres*, vid. ad cap. 13, n. 8. — *Attus Navius*, in quibusdam MSS. *Acius*, *Atius*, *Actus*, *Actius*, *Accius*, et *Nevius*, *Narvus*, apud Dionys. Νæίος Άττιος. Cf. Intpp. Valer. Max. I, 4, n. 1; Plin. XV, 18, 20; XXXIV, 5, 11; Cic. de Div. I, 17. — *Attus* esse pronomen Sabinum l, 23, et *Navius* legi in numo, sed perperam ab Harduino ad Plin. l. l. exponi, monet Drak.

ea tempestate augur, neque mutari, neque novum constitui, nisi aves[3] addixissent, posse. Ex eo ira regi mota, eludensque[4] artem, ut ferunt, *Agedum*, inquit, *divine tu, inaugura, fierine possit quod nunc ego mente concipio.* Quum ille, in augurio[5] rem expertus, profecto futuram dixisset; *Atqui hoc animo agitavi*, inquit, *te novacula cotem discissurum. Cape haec, et perage quod aves tuae fieri posse portendunt:* tum illum haud cunctanter discidisse cotem ferunt. Statua[6] Atti capite velato, quo in loco res acta est, in comitio, in gradibus ipsis ad laevam curiae fuit; cotem quoque eodem loco sitam fuisse memorant, ut esset ad posteros miraculi eius monumentum. Auguriis certe sacerdotioque augurum tantus honos accessit, ut nihil belli domique postea, nisi auspicato, gereretur; concilia[7] populi, exercitus vocati,

3. *Nisi aves addixissent*, hoc fieri permisissent, ut mox: *ubi aves non admisissent*: quo sensu XXXI, 5, dicitur *precationem admisisse deos*, h. e. exaudivisse, ab effectu. Cf. ad Sil. IV, 636. Vtrumque etiam verbum iungitur cap. 55. Conf. XXII, 42, et XXVII, 16.

4. *Eludens artem*, illudens, incidens, ut cap. 48, et II, 45; VII, 13; IX, 2, 6; XXV, 19, n. 7; XXVI, 22, n. 7. Fabulam ipsam illusit iam Cic. de Div. I, 17; *divine tu vir*, vates. — *Inaugurare* h. l. per augurium divinare, quidnam verius sit; at cap. 6, augurium capere, et III, 20, augurio eligere locum rei aptum; Drak.

5. *In augurio expertus*, quum explorasset, forte delendum *in*. Conf. Flor. I, 5. — *Inaugurio* (h. e. actu inaugurandi, vel pro simpl. *augurio*, ut paulo ante *inaugura* pro *augura*) ex vet. ed. legunt Douiat. et Schell. — Hoc loco Drakenb. recte iudicat eas voces, quas ἅπαξ λεγόμενα vocat, haud facile ex unius cod. vel edit. auctoritate fingi debere. Lem.

6. *Statua Attii fuit ante curiam*, *cuius basis conflagravit Curia incensa P. Clodii funere*, Plin. XXXIV, 5, 11. — *Comitium* locus in foro romano, prope rostra, ex quo aditus in curiam erat. Dictus *a coëundo* (Varr. L. L. IV, 32), quod ibi comitia curiata concionesque habebantur, et primum consules, deinde praetores ius dicebant; vide *Adler's Beschrib. d. St. Rom.* pag. 241. Ibidem legati excipiebantur, ut XLV, 20, n. 4.

7. *Concilio populi*, comitia minora, curiata et tributa, *exercitus vocati*, comitia maxima s. centuriata. Sic et XXXIX, 15: *Maiores vestri, ne vos quidem, nisi quum aut vexillo in arce posito, comitiorum causa, exercitus*

summa[8] rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur. Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit: numero [9] alterum tantum adiecit, ut mille et octingenti equites in tribus centuriis essent. Posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant, appellati sunt; quas nunc, quia geminatae sunt, sex vocant centurias.

XXXVII. Hac parte copiarum aucta, iterum cum Sabinis confligitur. Sed praeterquam quod viribus creverat romanus exercitus, ex occulto etiam additur dolus, missis, qui magnam vim lignorum, in Anienis ripa iacentem, ardentem in flumen coniicerent: ven-

eductus esset, *aut plebi concilium tribuni adixissent*, *aut aliquis magistratus ad concionem vocasset*, *forte temere coire voluerunt*; vid. inf. ad cap. 43, n. 16; et cap. 44, n. 3; Gell. XIII, 15, et XV, 27, ubi Laelius *Is*, dicit, *qui non universum populum*, *sed partem aliquam adesse iubet*, *non comitia*, *sed concilium edicere debet*. Populus autem universus dicebatur *exercitus urbanus*, quod distributio populi in classes et centurias (non in curias et tribus) proprie spectabat rem militarem, et exercitus ex iis scribendos (unde et cuique classi certa arma adsignata) quodque initio comitiorum centuriatorum bona centuriarum populique pars, dum ceteri in suffragiis ferendis erant occupati in campo Martio, cum armis in Ianiculo seu arce excubabant praesidii causa adversus subitam hostium vim, quae ingruere forte posset. Hinc *imperare exercitum* est id. q. *vocare Quirites inlicium*, h. e. ad comitia centuriata, ut contra *remittere exercitum* solutis comitiis. Cf. Gell. XIII, 15; XV, 27 extr. Varr. L. L. V, 9 extr. in pr. Dio Cass. lib. XXXVII, pag. 47, ed. Steph. et XLVII, 42; Gron. Obss. I, 1; Gruch. de com. I, 3, 4.

8. *Summa rerum*, summae, s. maximae res, aut deliberandae, aut perficiendae, confer ad III, 5, n. 6, *dirimerentur*, tollerentur, differentur in aliud tempus. Cf. ad VIII, 23, n. 13.

9. *Numero* autem capitum, s. equitum, non centuriarum, *alterum* numerum *tantum*, quantus prior fuit, *adiecit*, ut *alterum tantum* VIII, 8; X, 46; XL, 10. — *MDCCC equites*, non MCCC, ut in aliis libris legitur: nam tres centuriae, quaelibet C equitum, conscriptae a Romulo: totidem deinde adiecti equites e Sabinis, totidemque ex Albanis a Tullio, ut sic nongenti essent *in tribus centuriis*, quarum numerus non auctus est. Cf. c. 43; Gron. Obss. III, 25, et Drak. ad h. l. — *Qui additi erant*, dicebantur *Posteriores*, scil. secundi; nimirum Ramnes posteriores, Titienses posteriores, Luceres posteriores. — *Nunc quia geminatae sunt*, a Servio duae factae ex quavis una; vid. ad cap. 43, n. 17.

toque iuvante accensa [1] ligna, et pleraque, in ratibus impacta, sublicis quum haererent, pontem incendunt. Ea quoque res in pugna terrorem attulit Sabinis: effusis eadem fugam impediit; multique mortales, quum hostem effugissent, in flumine ipso periere: quorum fluitantia [2] arma ad urbem cognita in Tiberi prius paene, quam nuntiari posset, insignem victoriam fecere. Eo proelio praecipua equitum gloria fuit: utrimque ab cornibus positos, quum iam pelleretur media peditum suorum acies, ita incurrisse ab lateribus ferunt, ut non sisterent modo sabinas legiones, ferociter instantes cedentibus, sed subito in fugam averterent. Montes [3] effuso cursu Sabini petebant, et pauci tenuere; maxima pars, ut ante dictum est, ab equitibus in flumen acti sunt. Tarquinius, instandum perterritis ratus, praeda captivisque Romam missis, spoliis hostium (votum id Vulcano erat) ingenti cumulo accensis, pergit porro in agrum sabinum exercitum inducere: et, quamquam male gesta res erat, nec gesturos melius sperare poterant, tamen, quia consulendi res non dabat spatium, iere obviam Sabini tumultuario [4] milite. Iterumque ibi fusi, perditis iam prope rebus, pacem petiere.

Cap. XXXVII. 1. *Ligna pleraque in ratibus* advecta secundo flumine, non singula et dispersa, *haerebant impacta sublicis*, quas non facile ita permeare poterant. Sed forte cum Gron. leg. *pleraque ratibus impacta sublicisque* etc. Σκάφας ποταμηγοὺς καὶ σχεδίας ξύλων αὔων καὶ φρυγάνων γεμούσας, ἔτι τε θείου τε καὶ πίσσης παρασκευασάμενος· ἔπειτα πῦρ ἐνεῖναι ταῖς ὕλαις ἐκέλευσε... αἱ ἐμπίπτουσι τῇ γεφύρᾳ, καὶ ἀνάπτουσιν αὐτὴν πολλαχόθεν; Dionys. III, 56. — *Pontem succendunt* in multis libris; forte aptius.

2. *Fluitantia arma*, baltei, pila, clypei, aliaque a ligno coriove facta (vid. Heyn. ad Virgil. Aen. I, 118), *insignem*, notam, *victoriam fecere*, eam significarunt. Paulo ante Gron. non male emendat *Sabinis, et fusis eadem* etc. — *In fugam averterent*; v. ad III, 63, n. 1.

3. *Montes pauci tenuere*, ad eos pervenere. Conf. ad c. 1, n. 8. Forte leg. *at* vel *sed pauci*.

4. *Tumultuario milite*, militibus raptim collectis, non delectu conscriptis (ut XXXV, 2, 23; XL, 26, al.), unde et *subitarii* dicuntur III, 30;

XXXVIII. Collatia, et quidquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademptum. Egerius [1] (fratris hic filius erat regis) Collatiae in praesidio relictus: deditosque Collatinos ita accipio, eamque deditionis formulam esse. Rex interrogavit: *Estisne vos legati oratoresque missi a populo collatino, ut vos populumque collatinum dederetis? — Sumus. — Estne populus collatinus in sua potestate? — Est. — Deditisne vos, populumque collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia, in meam populique romani ditionem? — Dedimus. — At ego recipio.* Bello sabino perfecto, Tarquinius [2] triumphans Romam rediit: inde priscis Latinis bellum fecit; ubi nusquam ad universae rei dimicationem ventum est. Ad singula oppida circumferendo [3] arma, omne nomen latinum domuit. Corniculum, Ficulea vetus, Cameria, Cru-

XXXI, 2; XL, 26; XLI, 18. al. ac *repentini* XL, 1 et 10. Cf. ad III, 4, n. 5; XLI, 10, n. 1, et II, 26, n. 1. Sic et *tumultuaria castra*, raptim communita XXVIII, 16; *tumultuarium opus*, de muro raptim restituto, XLII, 63; *tumultuaria proelia*, cum *tumultu*, repentino impetu et perturbatione, facta, XXVII, 42; XXXV, 4. Cf. ad X, 14, n. 6, et XXI, 16, n. 5.

CAP. XXXVIII. 1. *Egerius, fratris hic filius regis etc.* Conf. c. 34, et ibi n. 3. Paulo ante legendum videtur *quidquid circa*, vel, quod in multis libris exstat, *citra agri erat.*

2. *Tarquinius triumphans*; haec prima apud Livium triumphi mentio; non desunt scriptores qui huius originem ad Tarquinium referant; Dionys. autem et Plutarch. ad Romulum. LEM. — *Ad universae rei dimicationem*, h. e. de universa vel summa re, ut VII, 11 pr. *ea ad universi belli eventum momenti dimicatio fuit*; XXXII, 5 pr. *in universum* (forte *universi*; sed *universum* quoque recte dictum, vel proprie, vel pro *universi*; vid. ad I, 1, n. 6) *eventum belli*; XXII, 12, *neque universo periculo summa rerum committebatur*; ibid. *fortunae se committere*; XXII, 32, *in casum* (fortunam, fortuitum eventum, ut passim *casus*) *universae dimicationis venire* VI, 22, et XXV, 39, XXXIII, 8, *periculum summae rerum facere*; apud Cicer. ad Div. X, 24, *summam rempublicam in discrimen deducere.* Conf. ad III, 5, n. 6, et VI, 17, n. 1. Alii exponunt: ad dimicationem omnium utriusque populi copiarum, ut IV, 27, *universa victoria*, hoc est universorum, quae ad omnes pertinet.

3. *Circumferendo arma*, v. ad IX, 41, n. 3. — *Ficulea* (al. *Ficulnea*), unde *Ficulensis* III, 32. — *Aut qui*, aut de iis, qui *defecerant.*

stumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum, haec de priscis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta oppida. Pax deinde est facta. Maiore inde animo pacis opera inchoata, quam quanta mole [4] gesserat bella: ut non quietior populus domi esset, quam militiae fuisset. Nam et muro [5] lapideo, cuius exordium operis sabino bello turbatum erat, Vrbem, qua nondum munierat, cingere parat: et infima Vrbis loca circa forum aliasque interiectas collibus convalles, quia ex planis locis haud facile evehebant aquas, cloacis [6] e fastigio in Tiberim ductis siccat: et aream [7] ad aedem in Capitolio Iovis, quam voverat bello sabino, iam praesagiente animo futuram olim amplitudinem loci, occupat fundamentis.

XXXIX. Eo tempore in regia prodigium visu eventuque mirabile fuit. Puero dormienti, cui Serv. Tullio nomen fuit, caput [1] arsisse ferunt multorum in conspectu. Plurimo igitur clamore inde ad tantae rei

4. *Quanta mole gesserat bella*, h. e. apparatu, vel vi ac periculo, vel studio, certamine, contentione. *Moles* dicitur quaelibet res gravis, vel magnitudo, difficultas, et multitudo rerum, laborum, periculorum, curarum, vel res talia parans, s. gignens. Cf. II, 16 pr. IV, 54, n. 2; V, 12, n. 6; VI, 2 extr. 14 pr. 19 pr. VIII, 13; XXV, 11, n. 9. Nullam autem mentionem Livius facit belli gravissimi et a Tarquinio per IX annos cum Etruscis gesti: quod quomodo excusari possit vix adsequor; vid. Dionys. III, 60, 61, qui tradit, eum victis nec praesidia imposuisse nec tributa, et ab iisdem regum insignia adscivisse. Cf. ad c. 8, n. 2.

5. *Muro lapideo* etc. Cf. c. 36 pr.

6. *Cloacis*, operum maximo, iudice Plin. XXXVI, 15, quarum tamen, ut et circi maximi Capitoliique nonnisi fundamenta iecisse censendus est Tarquinius. Cf. Dionys. III, 67, et infr. ad c. 56, n. 1. *Cloacis fastigio ductis* (h. e. per proclive, *herabwärts*) quidam libri prob. Gronovio. Sic *inferior submissa fastigio* (loco declivi) *planities* XXVII, 18; *per proclive, sumpto fastigio* XLIV, 5; *declivis locus tenui fastigio vergebat* apud Caes. B. C. I, 45.

7. *Aream ad aedem in Capitolio Iovis* etc. Cf. Plin. XXXV, 12, s. 45.

Cap. XXXIX. 1. *Servio caput arsisse*; vid. ad I, 31, n. 1, et XXV, 39, n. 9.

miraculum orto, excitos [2] reges. Et quum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, ab regina retentum: sedatoque eam tumultu moveri vetuisse puerum; donec sua sponte experrectus esset. Mox cum somno et flammam abiisse. Tum abducto in secretum viro Tanaquil, *Viden' tu puerum hunc*, inquit, *quem tam humili cultu educamus? Scire* [3] *licet, hunc lumen quondam rebus nostris dubiis futurum, praesidiumque regiae afflictae: proinde materiem* [4] *ingentis publice privatimque decoris omni indulgentia nostra nutriamus.* Inde puerum [5] liberum loco coeptum haberi, erudirique artibus, quibus ingenia [6] ad magnae fortunae cultum excitantur. Evenit fa-

2. *Excitos reges*, regem cum eius uxore et liberis, vel tota stirpe; regiom genus familiamque; ot II, 2; III, 8; XXVII, 4; XXIX, 30; XLV, 43 extr. Conf. Drak. ad II, 2, n. 11. Sic et *reguli* dicuntur regom filii XLII, 24 extr. XLV, 14 pr. ut gr. βασιλεῖς; vid. intpp. Eurip. Hec. 522, et Ern. ad Tac. Hist. II, 25. — *Quidam familiarium*, servorum, οἰκετῶν. — *Donec sua sponte experrectus esset*: « experrectum igitur licebat moveri? Nugae vero! Sentis, opinor, uti nos, h. l. posse ad defendendam significationem, quam intpp. tribuunt graec. voc. ἕως οὗ Matth. I, 25, et quam habet *donec* ap. Hor. Od. III, 5, 45, ubi non post illud *donec* admisisse coniugem natosque intelligi potest Regulus, ut qui multo tum magis esset *capitis minor*, quum senatus captivos non censuisset redimendos ». Bauer.

3. *Scire licet* et augurari ex isto prodigio, sc. ex *flamma*, eum *lumen* futurum. Sic et inde una voce dicitur *scilicet*, quod frustra h. l. reponi malebat Drak. — *Hunc lumen*: malim *hoc*, more latino et ipsius Livii; Bau. Cf. ad XXI, 10, n. 14. *Lumen* est auxilium, tutela, praesidium, vel salus, ut φῶς, s. φάος pro σωτηρίᾳ ap. Hom. Il. VI, 6; VIII, 282, al. *Lumen*, seu *lux* dicitur quidquid in quaque re est praecipuum, s. pulchrum clarumque, et hinc vel ornamentum, vel praesidium. Conf. ad VII, 30, n. 8. *Lumen rebus nostris dubiis*, periculosis et adversis, *futurum*; cf. II, 50 extr.

4. *Materiem*, causam, fontem et occasionem (cf. ad VI, 22, n. 2; XXVI, 35, n. 2; XXVI, 40, n. 6), *ingentis decoris publice privatimque* nobis parandi: vel *materies* h. l. ut cap. 46, indoles dotesque naturales, quae disciplina elaborantur tanquam materies; vid. Burm. ad Ov. Her. IV, 86, et Ern. Clav. Cic.

5. *Inde puerum .... coeptum haberi*, scil. *ferunt*; unde omnia pendent ab initio cap.

6. *Ingenia ad magnae fortunae*, principum virorum, *cultum*, vitae rationem, sc. elegantiorem, *excitantur*, formantur; vid. ad VII, 2, n. 4. Ad

cile, quod diis cordi esset. Iuvenis [7] evasit vere indolis regiae: nec, quum quaereretur gener Tarquinio, quisquam romanae iuventutis ulla arte conferri potuit: filiamque ei suam rex despondit. Hic quacumque de causa tantus illi honos habitus credere prohibet, serva natum eum, parvumque ipsum servisse. Eorum magis sententiae sum, qui, Corniculo capto [8], Serv. Tullii, qui princeps in illa urbe fuerat, gravidam viro occiso uxorem, quum inter reliquas captivas cognita esset, ob unicam [9] nobilitatem a regina romana prohibitam ferunt servitio partum Romae edidisse, Prisci Tarquinii domo. Inde tanto beneficio et inter mulieres [10] familiaritatem auctam, et puerum, ut in domo a parvo eductum, in caritate atque honore fuisse: fortunam matris, quod capta patria in hostium manus venerit, ut serva natus crederetur, fecisse.

XL. Duodequadragesimo ferme anno, ex quo regnare coeperat Tarquinius, non apud regem modo, sed [1] apud Patres plebemque, longe maximo honore

comparandam et tuendam magnam fortunam; Doër. *Culmen* ex uno MS. vel *gustum* reponi volebat Scheller.

7. *Iuvenis verae regiae indolis*, et pace et bello egregius; vid. Dionys. IV, 3. — *Vlla arte*, Scheller. conj. *ulla parte* vel *ratione*. — *Filiamque*; τὸ *que* pro itaque, ergo; Bauer. Conf. ad XXXVII, 60, n. 1, et XLV, 6, n. 1.

8. *Serv. Tullii*, in *Corniculi*, opp. Latii, expugnatione *occisi uxorem* Ocrisiam. Conf. Dionys. IV, 1, 2, et oratio Claudii imperatoris aeri incisa, et typis expressa ad Tac. Annal. II, 24, 1. Ὀκρησία dicitur Plutarch. et *Ocresia* ap. Gruter. Inscr. p. 994, sed Ὀκρισία Dionys. et Plin. XXXVI, 8. *Servium* vulgo putant inde dictum quod vel *parvus servierit*, vel *servatus* sit ex patriae interitu. De patre eius v. ad IV, 3, n. 10.

9. *Ob unicam nobilitatem*, vid. ad c. 21, n. 3. — *Prohibitam ferunt servitio*, v. ad XXII, 14, n. 3.

10. *Inter mulieres*, reginam et matrem Servii. — *Eductum* id. q. *educatum*. Cf. XXI, 43, n. 11; XXVII, 19, 3, al.

Cap. XL. 1. *Non modo*, *sed*, scil. *etiam*, quod passim omittitur, ut et *sed* et *sed etiam*; vid. ad III, 71, n. 4. Mox *non modo*, sc. non *civicae*, *sed ne.... quidem* etc. ut II, 23 extr. III, 6 extr. IV, 3; V, 38; VI, 34; IX, 6, n. 4; XXII, 3; XXIII, 42; XXIV, 40; XXV, 26, al. Nam plena locutio raro

Serv. Tullius erat. Tum Anci filii duo etsi antea semper pro indignissimo habuerant, se patrio regno tutoris fraude pulsos; regnare Romae advenam, non modo civicae, sed ne italicae quidem stirpis; tamen [2] impensius his indignitas crescere, si ne ab Tarquinio quidem ad se rediret regnum, sed praeceps [3] inde porro ad servitia caderet: ut in eadem civitate post centesimum [4] fere annum, quam Romulus deo prognatus, deus ipse, tenuerit regnum, donec in terris fuerit, id servus serva natus possideat: tum commune romani nominis, tum praecipue id domus suae dedecus fore, si, Anci regis virili stirpe salva, non modo advenis, sed servis etiam regnum Romae pateret. Ferro

occurril, ut IX, 6, n. 4, el ot *non solum, sed* II, 2 pr. al. XXXV, 46, el hinc forte est dobia. Quin et negatio abest a membro posteriori, ut III, 6, *non modo, sed vix*; Ern. Cf. VII, 32; XXIV, 40, et Drak. ad XXV, 26. Similiter V, 42 pr. *non solum... sed ne quidem*; XXII, 25, *non Samnium modo, sed et Campanum*; X, 6, n. 10; XXXVIII, 22, n. 4; XXXIX, 28, *non modo, sed* etiam; XXVIII, 11, *non praeda* tanlum, *sed armati quoque*; XXI, 31 pr. *quantum a mari recessisset*, tanto; *minus obvium fore* et similes ellipses. Conf. ad I, 25, n. 11; II, 45, n. 12; VII, 19, n. 3; XXXII, 5, n. 1.

2. *Tamen impensius* e duobos MSS. reposui pro vulg. *tum*. Praestiteril eliam paulo ante: *se... fraude pulsis, regnare advenam*, Comparaol similia loca Diodori lib. XVIII, p. 653, 658. — Lectio vulgata *pulsos... tum impensius* in Cod. Paris. reperitur, et eam servavit Creverius. Lem.

3. *Regnum praeceps ad servitia caderet*; vid. ad Praef. n. 12; et ad III, 15, n. 8.

4. *Post centesimum fere annum*, propr. posl an. Vrb. cond. 176; *post ducentesimum* conj. Duk. potans designari initium regni Romuli, non eius excessum, quia Servius tum eo anno nondum in regiam Tarquinii venisse videatur. Nota Drak. est: « Livius dicit paulo plures annos, quam centum, eo tempore a morte Romoli elapsos esse. *Fere* est id. q. circiter, et indical non modo spatium temporis paulo minos, sed et paolo maius, qoam illod, qood memoratum fuerat. Coof. Intpp. Gell. IV, 3. El sane a morte Romuli effluxerant iam anni admodom CXL. Eo insignior erat iniorii, quam Tarqoinius nomini romano inferre volebal, quo brevius videretur spatium, intra cuius ambitum tantopere regia maiestas Romae eios culpa evilueral, ul regnum, quod Romulus, deo prognalus, deus ipse, tenuerat, transferretur in servum, serva ortum. Invidiose igitor Anci Marcii liberi numero rotundo minori utuntur ».

igitur eam arcere contumeliam statuunt. Sed [5] et iniuriae dolor in Tarquinium ipsum magis, quam in Servium, eos stimulabat: et quia gravior ultor caedis, si superesset, rex futurus erat, quam privatus: tum, Servio occiso, quemcumque [6] alium generum delegisset, eundem regni haeredem facturus videbatur. Ob haec ipsi regi insidiae parantur. Ex pastoribus duo ferocissimi delecti ad facinus, quibus consueti erant uterque agrestibus ferramentis, in vestibulo regiae, quam potuere tumultuosissime, specie rixae in se omnes apparitores regios convertunt; inde, quum ambo [8] regem appellarent, clamorque eorum

5. *Sed et iniuriae dolor.... et quia gravior* etc..h. e. et metus ne *gravior ultor caedis rex futurus esset... tum*, et (v. ad c. 35, n. 1), vel praeterea, insuper, quia *Servio occiso* etc. Nodum in scirpo quaesivere interpp. nec est quod τὸ *quia* damnes suadentibus Gron., Drak. et Bauero. *Privati* opponuntur vel regibus, vel magistratibus et iis, qui cum imperio sunt (v. ad II, 56, n. 14), adeoque et triumphantibus XXXVIII, 50, vel denique pontificibus flaminibusque V, 52, ac. qui gentilitia sacra, iis, qui publica curant. Flaminius, etsi consul designatus, infr. XXI, 63, *privatus* dicitur, quia ante initum magistratum et inauspicato in provinciam abierat. Cf. ad XXXVIII, 50, n. 2.

6. *Quemcumque alium generum delegisset*, scil. Tarquinius. Cur vero *generum*, quum praeter duas filias etiam totidem haberet filios, Lucium et Aruntem? v. c. 46, et Dionys. IV, 1. Sed hi potius fuere eius ex filio nepotes (vid. Dionys. IV, 4, in primis 6 et 7, ubi praeter alia monet, Lucium, si filius fuisset eius, aetatis fere anno LXVII Servium socerum occidisse), certe tum adhuc infantes, qui illis temporibus nondum regnare vel *regni haeredes* institui solebant.

7. *Agrestibus ferramentis*, ut *agr. telis* IX, 36, n. 7, h. e. securibus: unde mox *alter elatam securim in caput deiecit.* «Iungenda *ferramentis convertunt*, et nomen pro verbo positum, *specie rixae*, pro *in speciem rixantes*: nam ut illa bene iunxeris *specie rixae convertunt*, id est rixa ficta, non tamen congruunt illa *tumultuosissime convertunt*: nisi forte leg. *tumultuosissimae*, quod haud satis ipse mihi probo.» Bauer. Sed ita duriter dictum *tumultuosissime specie rixae*, et potius *specie rixae convertunt* iungenda videntur; legendum autem, ni fallor, *quam potuere* (i. e. quantum potuere esse) *tumultuosissimi* (ut *vino*, *quam possit*, *excellenti* ap. Plin. XX, 24, et similia) cum *ferramentis*, *quibus* uti *uterque consueti erant*, vel quibus assueti erant.

8. *Quum ambo regem appellarent* auxilii causa, ad eum provocarent. Nam ipsi reges ea aetate causas cognoscere solebant et ius dicere. Mox voces *ad regem* tum ad *vocati*, tum ad *pergunt* spectant.

penitus in regiam pervenisset, vocati ad regem pergunt. Primo uterque vociferari, et certatim alter alteri obstrepere; coërciti ab lictore, et iussi [9] in vicem dicere, tandem obloqui desistunt. Vnus rem ex composito orditur. Quum intentus in cum se rex totus averteret, alter elatam securim in caput deiecit: relictoque in vulnere telo, ambo se foras eiiciunt.

XLI. Tarquinium moribundum quum, qui circa erant, excepissent, illos fugientes lictores comprehendunt. Clamor [1] inde concursusque populi, mirantium quid rei esset. Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros [2] eiecit: simul, quae curando vulneri opus sunt, tanquam [3] spes subesset, sedulo comparat: simul, si destituat spes, alia praesidia molitur. Servio propere accito quum paene exsanguem virum ostendisset, dextram tenens orat, ne inultam mortem soceri, ne socrum inimicis ludibrio esse sinat.

9. *Iussi in vicem dicere*, quisque sua vice, suo loco, h. e. alter post alterum. — Recte notat Burmannus *invicem* in unam vocem contrahere, ut *indies*, et similia, quae disiungenda sunt, imperitae plebis errorem esse. Lem. — Mox *se rex averteret*, scilic. ab altero; v. ad III, 63, n. 1. *Telum* pro *securi*; vid. ad III, 50, n. 1.

Cap. XLI. 1. *Clamor inde*, sc. oritur, ut passim post *inde* vel *hinc*. — *Populi* nom. collec. onde *mirantium*; ut *quisque* cap. 59; II, 6 et 22 (ubi cf. Drak.); III, 56; VI, 3; XXIV, 1; XXV, 12; *senatus* II, 9, n. 3; *plebes* III, 38, n. 9; XXIV, 2, n. 6; *multitudo* XXIV, 3; *hostis* pro *hostes* XXV, 21, n. 5; *cuneus* XXV, 34; *cohortem pollicentes* XXIV, 1, n. 3; *pars eunt, pars caesi* etc., cap. 53; VI, 24 extr. et al. *omnis aetas currere obvii*, hoc est, omnis aetatis homines, XXVII, 51 pr. *omni effusa civitate obviam et precantibus* XXIX, 14 extr. Cf. ad III, 47, n. 1; XXII, 4, n. 2; XXIX, 12, n. 3; ad Sil. V, 495. Sic et XXII 7, n. 6, *alius ab alio impleti rumoribus domos referunt* nuntium suis.

2. *Arbitros*, rei testes (qui ei interfuerunt et testari poterant, cam factam esse, vel quomodo esset facta; v. ad VI, 33, n. 3) *eiecit*, vel rectius forte *eiicit*, ut vulgo legitur. *Simul... simul*, v. ad c. 9, n. 2.

3. *Tanquam spes subesset*, adesset. *Subesset* pro *subsit*, quoniam *comparat* dictum pro *comparabat*. Ita II, 37, *praecones dimittuntur, qui iuberent*; V, 27, *legati, qui dederent Falerios, proficiscuntur*, al. Cf. ad Tac. Ann. I, 39, 9, et VI, 33, 2.

Tuum est, inquit, *Servi, si vir es, regnum; non eorum, qui alienis manibus pessimum facinus fecere. Erige*[4] *te, deosque duces sequere, qui clarum hoc fore caput divino quondam circumfuso igni portenderunt. Nunc te illa caelestis excitet flamma. Nunc expergiscere vere. Et nos peregrini regnavimus. Qui sis, non unde natus sis, reputa. Si tua re subita consilia*[5] *torpent, at tu mea sequere.* Quum clamor impetusque multitudinis vix sustineri posset, ex superiore parte aedium per fenestras, in novam viam versas (habitabat enim rex ad Iovis[6] Statoris) populum Tanaquil alloquitur: iubet *bono animo esse: sopitum fuisse regem subito ictu: ferrum haud alte in corpus descendisse: iam ad se redisse. Inspectum vulnus, absterso cruore: omnia salubria*[7] *esse: confidere, prope diem ipsum eos visuros. Interim Serv. Tullio iubere populum dicto audientem esse. Eum iura redditurum, obiturumque alia regis munia*

4. *Erige te* et animum tuum, sc. ad magnas spes magnosque conatus. — *Expergiscere*, ut antea physice, a somno, sic *nunc vere*, quasi moraliter, animo, remota omni cunctatione et ignavia, ingeniique vigore elucente. Conf. Burm. ad Valer. Fl. IV, 633, et Wass. ad Sallust. Catilin. 21, ubi verba hic ita exponit: olim te dormientem, igne caelesti circumdatum, excitari nefas erat (vid. cap. 39), at nunc tandem *expergiscere vere*, tuto, auctoribus diis, non e somno, sed ad regnum et gloriam. Baueri nota est: « Magna vis est in illo *vere*: respicit enim ad illud tempus, quo post flammam circumfusam expergefactus est Servius: quae tunc illum flamma non excitaverat, ea iam excitari iubetur. Nempe illa imago (typus) et praesagium fuerat flamma corporea *moralis*, animi nunc ardoris et conatus.» *Nunc expergiscere. Quid verere?* conj. Lip. et Fr. Sanctius, non improb. Dak.

5. *Si tua consilia torpent*, tarda sunt vel cunctabunda et dubia, in *re subita*, inopinata, in qua subito capienda sunt consilia. Confer ad IV, 27, n. 1.

6. *Ad Iovis Statoris*, vid. ad cap. 33, n. 6.—*Sopitum fuisse* propr. alto somno oppressum, et hinc privatum sensu animique deliquio oppressum. Hinc *sopita quies* IX, 37, somnus altus et gravis, prop. sensu carens aut privatus, ut *sopitus humerus* XLII, 15, et *sopitum vulnere ac nihil sentientem* regem XLII, 16, Cf. VIII, 6, n. 1, et Gron. Obss. IV, 8, p. 120.

7. *Omnia salubria esse*, salva esse, bene se habere, spem facere restituendae sanitatis.

esse. Servius [8] cum trabea et lictoribus prodit; ac, sede regia sedens, alia decernit, de aliis consulturum se regem esse simulat. Itaque, per aliquot dies, quum iam exspirasset Tarquinius, celata morte, per speciem [9] alienae fungendae vicis suas opes firmavit: tum demum [10] palam facto, et comploratione in regia orta, Servius, praesidio firmo munitus, primus iniussu populi, voluntate Patrum regnavit. Anci liberi, iam tum comprehensis sceleris ministris, ut vivere regem, et tantas esse opes Servii nuntiatum est, Suessam Pometiam exsulatum ierant.

XLII. Nec iam publicis [1] magis consiliis Servius,

8. *Servius cum trabea et lictoribus prodit*; Voss. 2 *procedit*; non male. Cf. ad Iuvenal. I, 39, et ad Sil. VI, 444. Sed vulgata lectio non damnanda. *Trabea* toga alba, latis clavis ornata et trabibus purpurae intextis, habitus regum, et deinde consulum, augurum et equitum, sed horum in solemnibus tantum pompis. Τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας Dion. II, 70, et III, 61; χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον ἡμικύκλιον.

9. *Per speciem*, vid. ad II, 32, n. 2.

10. *Tum demum palam facto*, quum palam factum esset, scilicet exspirasse Tarquinium. Al. *palam facta* (morte) *ex comploratione* (vid. ad III, 38, n. 3) etc. Sed difficiliori lectioni favent codices, et frequens usus absolutorum partic. neutr. gen. v. c. *palam facto* XXII, 55; *permisso* VI, 25; *edicto* X, 36; *comperto* XXXI, 39; XXXIII, 5; *cognito* XXXIII, 41; *nuntiato* XXV, 9; *sublato* XXII, 20; *debellato* XXVI, 21; XXIX, 32; XXX, 8 pr. *inexplorato* XXI, 25; XXII, 4; XXXVIII, 18 (non praemissis speculatoribus, qui loca explorarent), et contra *explorato* XXIII, 42, 43; XXVII, 2; *incerto* (quum nescirent) XXVIII, 36 extr. *audito* XXVIII, 7; *pacto* XXVIII, 21, et alia, quae notavit Drakenb. ad I, 41, n. 6, et XXVIII, 21, n. 5. Cf. ad Sil. XIV, 97, et Periz. ad Sanctii Min. III, 9, ubi docet, in his vocem *negotio* intelligi. Huc etiam Drak. refert τὸ *remisso* VI, 17, n. 4, et usum genitivi participiorum pass. apud Graecos, v. c. προσαγγελθέντος δ' αὐτοῖς etc., apud Polyb. II, 5, 6.

Cap. XLII. 1. *Publicis consiliis*, quibus firmabat dignitatem et vim regiam apud populum; *privatis*, quibus securum se domi et tutum a domesticis insidiis praestabat. *Publicis*, quae Servius clandestina quidem, at tamen de summa republica cepit, quod nempe celata Tarquinii morte per speciem alienae fungendae vicis opes sibi firmavit: *privatis*, quae ad familiam suam privatim pertinebant, connubium nempe filiarum, quas Tarquinii filiis elocando evitare conatus est similes insidias, atque Anci liberi Tarquinio struxissent; Drak.

quam privatis munire opes. Et, ne qualis Anci liberum animus adversus Tarquinium fuerat, talis adversus se Tarquinii liberum esset, duas filias iuvenibus regiis, Lucio atque Arunti Tarquiniis, iungit. Nec rupit [2] tamen fati necessitatem humanis consiliis, quin invidia regni etiam inter domesticos infida omnia atque infesta faceret. Peropportune ad praesentis [3] quietem status bellum cum Veientibus, iam enim induciae exierant, aliisque Etruscis sumptum. In eo bello et virtus et fortuna enituit Tullii: fusoque ingenti hostium exercitu, haud dubius rex, seu Patrum, seu plebis animos [4] periclitaretur, Romam rediit. Aggrediturque inde ad pacis longe maximum opus: ut, quemadmodum Numa divini auctor iuris fuisset, ita Servium conditorem omnis in civitate discriminis ordinumque, quibus [5] inter gradus dignitatis fortunaeque aliquid interlucet, posteri fama ferrent. Censum [6] enim instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim, ut

2. *Nec rupit*, vicit, elusit...*invidia regni:* nam *invidia* non modo ei tribuitur, qui invidet, sed etiam ei, cui invidetur; Doër. Conf. Cic. Tusc. IV, 7; *regni* pro ex regno, ob regnum, qua regnum; Bauer. Confer ad I, 5, n. 5.

3. *Ad praesentis*, praesentem, *quietem status* rerum, quae domesticis seditionibus opportuna erat, non novi regis securitati.—*Induciae*, Veientibus datae a Tullo forte Hostilio iterum in centum annos (ut a Romulo cap. 15, postquam has fregerant c. 27; confer ad c. 30, n. 6, et Perizon. Animadv. hist. c. 4); vel potius a Tarquinio; vid. ad c. 38, n. 4. Servius non aliud gessit bellum, quam cum Etruscis, sed hoc vicennale fuit, ipsique dedit materiam trium triumphorum; v. Dion. IV, 27, et cf. inf. c. 46 pr.

4. *Animos periclitaretur*, experiretur, exploraret, ut VI, 15 pr.

5. *Quibus* ordinibus *inter gradus d. f. aliquid interlucet*, interest, intervallo quasi interiecto. «Qui distinguuntur, intervallis et ordine per gradus, qua gradus, ex gradu;» Bauer.—*Fama ferrent*, vulgo ederent.

6. *Censum enim instituit*, aestimationem rei familiaris; sed c. 43 pr. est ipsa res familiaris. De *censu* cf. omnino Dionys. IV, 15-19. Censum instituit Servius secutus exemplum Solonis nisi quod sex, non quatuor, classes fecit.

ante, sed pro habitu pecuniarum [7] fierent. Tum classes centuriasque et hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello.

XLIII. Ex iis, qui centum millium [1] aeris, aut maiorem censum haberent, octoginta confecit [2] centurias, quadragenas seniorum ac iuniorum. Prima classis omnes appellati. Seniores, ad urbis custodiam ut praesto essent: iuvenes, ut foris bella gererent: arma [3] his imperata, galea, clypeum [4], ocreae, lorica; omnia ex aere: haec ut tegumenta corporis essent: tela in hostem, hastaque et gladius. Additae huic

7. *Pro habitu pecuniarum*, p. modo, copia. — *Hunc ordinem* civium, qui nunc quoque est, s. servatur; vid. ad c. 5, n. 1.

Cap. XLIII. 1. *Centum millium aeris*, s. assium, et quidem uncialium; quae summa aequat fere C minas apud Dionysium et 2132 imperiales argenti saxoniei.

2. *Centuria*, gr. λόχος, est cuiusque numeri vel multitudinis nomen, ut *decuria*; non centum homines continebat. In singulis primae classis centuriis forsan vix XL erant, in ultima autem classe, quae una continebatur centuria, aliquot hominum millia. *Iuniores* dicebantur ab anno aetatis 17 ad annum 45; *seniores*, qui 44, vel, ut alii existimant, 46, annis maiores erant. *Iuniores* huius classis in prima acie esse solebant.—*Iuvenes*, forte *iuniores*; Drak. Sed est Graecis Latinisque hic mos, ut comparativos et positivos iungant, quum quidem illi horum vim habent; Ern.

3. *Arma his imperata* ferre; Stroth. Sed vid. ad XLII, 52, n. 6, et de armis singularum classium v. Dionys. IV, 16, 17.

4. *Clypeum*, seu *clypeus*, ἀσπίς, rotundae, ut *scutum*, θυρεός, oblongae formae erat, illudque tegebat pectus, hoc totum corpus. Hinc secundae classi, quae sine lorica erat, pro clypeo datum scutum, quod et clypei et loricae loco esse poterat, eoque corpus non minus quam his protegi. Inf. VIII, 8, n. 1: *Clypeis antea Romani* (qui in prima classe erant), *usi sunt; deinde, postquam stipendiarii facti sunt* (h. e. stipendium solverunt, de quo vid. ad V, 10, n. 5), *scuta pro clypeis fecere.* —*Ocreae*, κνήμιδες, tegumenta tibiarum. Ceterum *arma* proprie dicuntur ea, quae ad tegendum corpus pertinent; *tela* vero instrumenta omnia, quibus vis infertur, non, quibus τῆλε, eminus, pugnant; vid. ad III, 50, n. 1. Hinc *arma* a *telis* distinguuntur h. l. et XXII, 57, n. 11; XXX, 11, n. 3, et XXXVI, 18, n. 1. Conf. ad XLV, 39, n. 2.—*Hastaque et gladius* pro *hasta et gladius*, ut passim, more poëtarum, qui primo substantivo copulam *que* addere solent. Cf. XXII, 44, n. 3; XXII, 54, n. 3.

classi duae [5] fabrum centuriae, quae sine armis stipendia facerent: datum munus, ut machinas in bello ferrent. Secunda [6] classis intra centum usque ad quinque et septuaginta millium censum instituta; et ex his, senioribus iunioribusque, viginti conscriptae centuriae: arma imperata, scutum pro clypeo, et praeter [7] loricam omnia eadem. Tertiae classis [8] in quinquaginta millium censum esse voluit: totidem [9] centuriae et hae, eodemque discrimine aetatium, factae; nec de armis quidquam mutatum; ocreae tantum ademptae. In quarta classe census [10] quinque et viginti millium, totidem centuriae factae: arma mutata; nihil praeter [11] hastam et verutum datum.

5. *Duae fabrorum centuriae*, quae potius secundae classi additae, teste Dionys. IV, 17; *ut machinas in bello ferrent*, praestarent, facerent. Sed forte leg. *in bella* (in usum bellorum) *pararent*, ut apud Dionys. δύο ὁπλοποιῶν τε καὶ τεκτόνων, καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατασκευαζόντων τὰ εἰς τὸν πόλεμον εὔχρηστα. Lipsius conj. *facerent* (quod tamen verbum modo praecessit), et Scheller. *ferrarent*, h. e. ferro obducerent, s. armarent.

6. *Secunda classis intra centum* etc., h. e. eorum, qui censum minorem quam C millium, at saltem censum *LXXV millium*, scil. aeris (fere 1600 imperial.) haberent.

7. *Praeter loricam*, qua non opus erat scuto tectis, *omnia eadem* arma, quae primae classi erant.

8. *Tertiae classis censum in*, usque ad, *quinquaginta millium* aeris (fere 1066 imperial.) *censum esse voluit*, ut *in id tempus* XLIV, 2. Nullus tamen codicum lectionem receptam firmat, et forte legend. *millia*; Drak. An del. *in*, quod a multis MSS. abest? —Praepositionem habet Paris. codex, et servavit bene Creverius, qui interpretatur, usque ad quinquaginta millium censum esse voluit. Lem.

9. *Totidem centuriae et hae*, h. e. huius classis (quia classis e centuriis constabat, perinde erat, ac si ante centurias nominasset; Bauer.) scilicet fuere, quot secundae, *eodemque discrimine aetatium*, ita ut denae seniorum ac denae iuniorum essent. — *Ocreae tantum ademptae*, non datae.

10. *Census XXV millium*, fere 533 imperial. — *Totidem centuriae*, XX, quot in secunda ac tertia classe.

11. *Nihil praeter hastam et verutum* (sc. telum, iaculum parvum, veru instructum) *datum*, pro *hastam*, *id est verutum* (vid. ad II, 42, n. 7), vel duo diversa tela, alterum quo cominus, alterum quo eminus res geratur, notantur; Drak. Idem monet, classi quartae leviora quidem arma, quam tribus prioribus, ut et tertiae, quam duabus praecedentibus, imperari, eam tamen propterea non, ut quintam, ad levem quoque armaturam ita proprie dictam destinatam videri, quamvis id fere suspicari possis ex

Quinta classis [12] aucta, centuriae triginta factae: fundas lapidesque missiles hi secum gerebant: in his [13] accensi, cornicines tubicinesque, in tres centurias distributi. Vndecim [14] millibus haec classis censebatur. Hoc minor census reliquam [15] multitudinem habuit: inde una centuria facta est immunis militia. Ita pedestri [16] exercitu ornato distributoque, equitum

VIII, 8, at XXI, 55 (ubi velitibus *hastae* et *veruta* et *gaesa* tribuuotur); Dionysium vero, qui arma quartae classis *θυρεούς τε καὶ ξίφη καὶ δόρατα* fuisse dicat, diversos forte auctores sequotum esse et in hac, et in aliis partibus buius descriptionis instituti census; *arma mutata nihil praeter hastam*, *et verutum datum* distinguit Douiatios, ut sensus sit, eadem arma, quae tertiae classi, etiam qoartae imperata fuisse, nisi qood loco *hastae* datum sit *verutum*.

12. *Quinta classis aucta*, non XX, ut in tribus superioribus, sed XXX centuriis factis. Civibus ei adscriptis nolla erant arma (unde, teste Festo, appellabantur *velati*, vestiti inermesqoe, et *ferentarii*, tela ferentes, non tenentes), tela *funda et lapides*, apud Dionys. *σφενδόναι καὶ σφενδονή*.

13. *In his accensi*, milites postremi ordinis; vid. infr. VIII, 8 med. Festus: *Accensi dicebantur, qui in locum mortuorum militum subito subrogabantur; dicti ita, quia ad censum adiiciebantur*. Vegetius de re mil. II, 19: *Accensi postea additi quam fuisset legio completa, quos nunc Supernumerarios vocant*. Varro L. L. VI, 3: *Accensi, ministratores*. *Ascriptivi* (s. ascripticii) dicti, quod *olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, i. e. si quis eorum deperisset*. Similem ob causam publici quidam magistratuum ministri, s. apparitores, similes viatoribus, *accensi* videotur dicti. (Vid. III, 33; VIII, 31, al. Salmas. Mil. Rom. c. 14, 15, et Fabrett. Inscr. c. 6, p. 433.) Sed illud militum genus parum h. l. aptum. Legendum baud dubie: *In his accensi* (ut *in diis referri*, et *annumerari in grege* vel *exemplis* ap. Cic. Rosc. Am. 32, et Ovid. Trist. V, 4, 20), h. e. bis adiecti, in bas centurias relati, *cornicines*, *tubicinesque* (ut II, 64; male vulg. *tibicines*: nam tibia non adhibebatur in militia rom.), *in duas centurias distributi*: non io *tres*, ne universe 194, sed 193 centuriae fuerint. Ita plaoe consentit Dionys. nisi qood duas *σαλπιστῶν*, *τυμπανιστῶν* et *βυκανιστῶν* centurias quartae classi accenset, h. e. adiicit. Librarii facile III pro II sobstituere poterant, vel etiam *tres* pro *duas*, quod tria bominum genera memorari putabant, accensos, corniciaes et tubicines.

14. *Vndecim millibus* aeris, fere 23¼ imperial. sed, si Dionysio fides habenda, 12 1|2 minis, 266 imp. *Duodecim millibus* conj. Glar. et *duodecim millibus quingentis* Hotoman. de re num. p. 124.

15. *Reliquam multitudinem*, proletarios vel capite censos, *immunes a militia* usque ad tempora C. Marii; v. Gell. XVI, 10.

16. *Pedestri exercitu*, populo, stipendia faciente (v. ad c. 36, n. 7), *ornato*, armis instructo. Cf. ad IX,

ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias [17] centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratae erant, nominibus fecit. Ad equos emendos dena millia [18] aeris ex pu-

40, n. 12. *Equites* ad primam classem adiecti.

17. *Sex alias centurias, tribus ab Romulo institutis* (sed ab ipso Romulo, a Tullo et Tarquinio numero capitum auctis, de quo vid. cap. 13, 30 et 36), *fecit*, ita ut primi Ramnenses, Luceres et Titienses, a Romulo instituti, tres centurias, et secundi, seu posteriores Ramnenses, Luceres et Titienses, a Tarquinio instituti, totidem centurias facerent. Romulus primum centenos, deinde ducenos in quamque centuriam legit; Tullus civis centuriae dedit trecentos; Tarquinius sexcentos. Servius redegit easdem ad CCC, *geminatis centuriis*, s. duabus ex una factis, ita ut *sex centuriae* essent, et quaevis CCC capitum, qui numerus capitum antea fuerat. His sex centuriis adiecit *duodecim* novas, ut itaque omnium equestris ordinis capitum numerus fuerit quinque millium et quadringentorum, in centuria unaquaque CCC. Conf. omnino Gron. Obss. III, 25. *Tribus ab Romulo institutis*, quum tres ab eo institutae fuissent. Sed *e tribus* forte leg. cum Gron.

18. *Dena millia aeris*, 213 imper. quae summa est permagna, si singulis equitibus, et perexigua, si singulis centuriis data est. Idem valet de *binis millibus aeris*, a viduis (non singulis, neque equitum tantum, sed omnibus) ad equos alendos collatis; quod tributum erat, ex quo singulis sive equitibus sive centuriis bina millia dabantur. Nota Drak. est haec: «Hotomannus de re num. pag. 88 putabat, *equorum* vocabulo etiam ornamenta eorum comprehendi, et eam pecuniam semel datam esse, ut, equo perempto, alterum sibi suis nummis eques compararet. Salmasius de Mil. Rom. c. 21 conj. *una millia aeris* (ut *una moenia* apud Sallust. Cat. 6), permotus loco Varron. L. L. lib. VII extr. p. 98: *Debet itaque dici, ut Vatiniorum, Manliorum, sic denariorum; et non equum publicum mille assarium esse, sed mille assariorum.* Contra Gronov. de Pec. vet. III, 2, locum Varronis accipiendum putabat non de millenis aeris, quibus equus publicus emebatur tempore Servii, sed quae aerarium conferebat in equi publici impensam. Quum autem Livius mox addat, viduas *bina millia* annua, quibus equi alerentur, pependisse, statuebat, equites proprie millenos aeris accepisse in equi publici impensam, altera millia addita ad exhibendum curatorem equi servum. Schelius vero in diss. de castris rom. c. 4, vel Gronovii expositionem probabat, vel Varronem de equitum stipendio quadrimestri loqui opinabatur, vel denique decem millia Serviana, quae olim equiti ad emendum equum dabantur, postea in decem pensiones annuas (tot annos enim eques merebat) conversa fuisse, atque ita Varronem recte dixisse, *equum publicum mille assariorum esse*, i. e. mille asses factum pretium annuum equi publici. Budaeus de ass. lib. IV, pag. 466, quoniam Livius non *equum emendum*, sed *equos emendos* dicat, credebat, quemque equitem duos equos habuisse, unicuique autem emendo

blico data; et, quibus equos alerent, viduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent. Haec omnia in dites a pauperibus inclinata onera. Deinde est honos additus: non enim, ut ab Romulo traditum ceteri servaverant reges, viritim suffragium eadem vi, eodemque iure promiscue omnibus datum est: sed gradus [19] facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, et vis omnis penes primores civitatis esset. Equites [20] enim vocabantur primi, octoginta inde primae classis centuriae: ibi si variaret; quod raro incidebat, ut secundae classis vocarentur: nec fere unquam infra ita descenderent, ut ad infimos

quinque millia aeris, aleodo mille aeris tributa fuisse. Contra Perizon. in margioe Liviana moouit, verba *ad equos emendos dena millia* dicta esse, pro ad singulos equos emendos decem millia aeris data esse, sed hanc summam illo tempore immodicam fuisse, ideoque *decem* pro *dena*, et *duo* pro *bina* legeudum, et ita verba accipienda esse eo sensu, quo Budaeus illa acceperit. Ceterum *bina millia* eques non percipiebal tanquam stipeodium (id enim equitibus demum constitulum est bello veienti; v. Liv. V, 7), sed ul impendium, quo equum publicum et equisonem alerel; vid. Gron. l. l. Intelligo autem omnes viduas, quae in populo rom. erant; non quasi quaelibel earum quotannis bina millia aeris pendereul (ea enim iusto maior foret summa, certe quarundam viduarum ratiooe), sed tanlum quemlibel equitem bina illa millia aeris in annos singulos accepisse ex tributo, quod viduae pro ratione facultatum reipublicae conferebant.» — *Et viduae attributae sunt* equitibus, *quae penderent in annos singulos bina millia aeris, quibus* binis millibus, vel viduis, h. e. quarum vidoarum bonis, *equos alerent* equites. Sed dura est haec verborum constructio. Gron. conj. *et, qui equos alerent*, h. e. nnde, vel ut haberent, quo alerenl equos. Schellerus, *quibus*, vel *equitibus*, *ut equos alerent* etc. Bauerus, *quo*, i. e. ul, aul *quae*, aol *qui*, i. e. ut ita, qua ratione. — Paris. Codex habebat *et quibus equos alerent* a prima manu; a secunda autem dedit *ex quibus* etc. Lem.

19. *Gradus facti*, suffragiis secundum centurias latis, et equitibus primaque classe primum *vocatis* ad suffragia ferenda. Confer Diooysium IV, 21. — *Vis omnis penes primores civitatis esset*: cur? vide XXXIV, 51 extr.

20. *Equites enim vocabantur primi*... ita *ut*, *ibi si variaret* (sc. res suffragiis, vel variarent ceoturiae el suffragia), *secundae classis*, scilic. centuriae *vocarentur* elc. Sed scabra est oratio. Similiter vero dicitur *variat*, scil. *se libertas causis* etc. III, 45; XXVII, 27; XXXV, 31 (ubi conf. Gronov.); XXXVIII, 57. Sic el passive *variatur sententiis* XXII, 60, el *variata res* XXI, 28; n. 7; vel *sententia*, ubi

pervenirent. Nec mirari oportet, hunc ordinem [21], qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus, duplicato earum numero, centuriis iuniorum seniorumque, ad institutam ab Serv. Tullio summam non convenire: quadrifariam [22] enim urbe divisa re-

simul fit mentio rei, quae eas effecit varias. Conf. Ernesti clav. Cic. voc. *variare*.

21. *Hunc ordinem* centuriarum. — *Duplicato earum numero*, scil. centuriarum. Postea enim, quum una cum re romana etiam civium numerus crevisset, tribusque rusticae urbanis, quae iam erant, adiectae essent, etiam cives, qui in his tribubus erant, in classes ac centurias distributi sunt, atque sic centuriarum *numerus duplicatus* est; licet alias ipsae *tribus ad distributionem in centurias haud quidquam pertinuere*: nam haec censum, tribus vero habitationis regionem spectabant; Stroth. Conf. longa super hoc loco obscurissimo disputatio Valesii in ed. Drak. et verba Gron. Obss. IV, 1: « Multitudine civium in immensum aucta, unaquaque in tribu permulti erant diversarum, immo omnium classium cives, iamque singulae classes in unaquaque tribu plures faciebant centurias tam iuniorum quam seniorum. Hinc Cic. pro Planc. *centuriam* vocat *unius tribus partem*. Ergo comitiis centuriatis ex tribubus XXXV sorte una tribus excerpebatur, ex cuius centuriis primae classis quod quaereretur praerogativa, centuria ipsa quoque haec tribus iam praerogativae nomen acquisierat: deinde quot illius sorte ductae etiam praerogativae tribus essent centuriae primae classis, tot rursum sortes coniiciebantur in sitellam; tum quam centuriam designans sors excidisset, ea erat praerogativa centuria. Hinc et tribus, in qua continebatur, praerogativae nomine gaudebat, et tribus nomen dabatur illi centuriae, adeoque *tribus* et *centuriae* vocabula promiscue hac in re comitiali usurpabantur etc. » Cf. infr. IV, 46 pr. ubi iam in delectu *tribus*, non classes, s. centuriae, *sorte ductae*, et tantum *decem*, quoniam exigua manus scribenda erat.

22. *Quadrifariam urbe divisa* etc., nam Servius *Tribus*, quae ex Romuli institutione distinctae erant secundum genera hominum (vid. de hac re et de voc. *tribus* ad c. 13, n. 7), distinxit secundum loca habitationis, vel ἐκ τῶν γενικῶν fecit τοπικάς tribus, et universam Vrbem in quatuor partes (*tribus urbanas*, Palatinam, Collinam, Esquilinam et Suburanam s. Sucusanam), agrum vero roman. in XV portiones (*tribus rusticas*, s. *rusticanas*), divisit (vid. Dionys. IV, 15), saltem non in plures: nam. an. Vrb. cond. 250 Claudia tribus adiecta (vid. II, 16), et an. Vrb. cond. 259 tribus tantum XXI factae (II, 21). Additae an. Vrb. cond. 368 quatuor, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis s. Narniensis (VI, 5); an Vrb. cond. 397 Pomptina s. Pontina et Publilia s. Poplilia (VII, 15); an. Vrb. cond. 423 Maecia et Scaptia (VIII, 17); ann. Vrb. cond. 436 Vfentina s. Oufentina et Falerina, (IX, 20); an. Vrb. cond. 453 Aniensis et Terentina (X, 9); circa ann. Vrb. cond. 510 Velina et Quirina; ita ut postremo XXXV numero essent. Vid. XXIII, 12; XXXIII, 25; XLV,

gionibus collibusque, quae habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror, ab tributo: nam eius quoque aequaliter [23] ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. Neque hae tribus ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere.

XLIV. Censu perfecto, quem [1] maturaverat metu legis de incensis latae cum vinculorum minis mortisque, edixit, ut omnes cives romani, equites peditesque, in suis quisque centuriis in campo [2] Martio prima luce adessent. Ibi instructum [3] exercitum om-

15. Nomina reliquarum tribuum, quas Servius fere omnes instituit, fuere Aemilia (XXXVIII, 36), Clustumina s. Crustumina (XLII, 34), Cornelia (XXXVIII, 36), Fabia, Galeria (XXVII, 6), Horatia, Lemonia, Menenia, Papiria (VIII, 37), Pollia (VIII, 37, XXIX, 37), Pupinia (XXVI, 9), Romilia, Sergia, Veientina, Veturia (XXVI, 22), et Voltinia. Postquam vero Q. Fabius censor omnes humiles, ab Appio Caeco censore per omnes tribus divisos, in quatuor urbanas tribus coniecerat (v. IX, 46), et iis adacti etiam libertini erant (vid. lib. XX Epit.); honestius fuit in tribu rustica esse, et probrosum, a Censoribus e rustica in urbanam coniici. Cf. ad IX, 46, n. 18; Dionys. IV, 15; nam Livius h. l. et obscurus est et nimis brevis; Plin. XVIII, 3, et Sigon. ant. iur. civ. Rom. I, 3.

23. *Aequaliter ex censu conferendi* tributi, aequabiliter, sc. pro portione, virili parte; ex descriptione census, Bauer.

CAP. XLIV. 1. *Quem maturaverat* incusso civibus *metu legis de incensis* a se *latae*, de non censis, qui non professi essent dolo malo nomen opesque suas, *cum minis vinculorum mortisque*, necnon servitutis ac publicationis bonorum; vid. Dionys. IV, 15. Praeter hanc legem etiam alias tulisse dicitur Servius; vid. Fest. voc. *plorare*, et Dionys. IV, 9, 13, 20, 24, 25. Ceterum *mortem* h. l. civilem, h. e. capitis deminutionem maximam, intelligebat Duker. cui favet Dionys. idemque malebat cum Donatio legere *metus legis*.

2. *In campo Martio*, ubi lustrum semper conditum, etsi census nonnunquam in foro habitus aut in villa publica, de qua vid. IV, 22 extr. *Campus Martius* h. l. per prolepsin dicitur, aut Livius alios auctores sequutus est inf. II, 5, ubi confer not. 4.

3. *Instructum exercitum*, populum, classibus centuriisque descriptum, instructumque simul armis; vid. ad cap. 36, n. 7. — *Suovetaurilibus*, sue, ove ac tauro Marti mactatis. Conf. VIII, 10 extr. Dionys. IV, 22; Tac. Ann. VI, 37, et Hist. IV, 53. *Solitaurilia* (a *sollo*, h. e. solido, toto, *tauro*) appellant Festus et alii. *Lustrum* (κάθαρμον apud Dionysium) dictum

nem suovetaurilibus lustravit; idque conditum lustrum appellatum, quia is censendo finis factus est. Millia octoginta[4] eo lustro civium censa dicuntur. Adiicit scriptorum antiquissimus Fabius[5] Pictor, eorum, qui ferre arma possent, eum numerum fuisse. Ad eam multitudinem urbs quoque amplificanda visa est. Addit[6] duos colles, Quirinalem Viminalemque: inde deinceps auget Esquilias: ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat. Aggere et fossis et muro circumdat urbem: ita pomoerium[7] profert. Pomoe-

inde, quod victimae illae, priusquam mactarentur, circa populum romanum ductae, eum *lustrabant*, sed sec. Varr. L. L. V, 2, a *luendo* quia tum vectigalia solvebantur. Cf. Valer. Max. IV, 1. *Conditum lustrum* dicta illa *exercitus lustratio*, quia *censionis* fuit *finis* et extrema actio censoria; nam *condere* est finire: unde etiam *lustrum perficere* dicitur XXIV, 43, n. 3. Census peragebatur quinto quoque anno (unde *lustrum* pro tempore quinquennali), olim a rege, deinde a consulibus, et ab an. Vrb. cond. 312 ab altero Censorum vel utrisque. Cf. IV, 8; XXXV, 9 pr. et Ind. Censebantur autem omnium civium capita praeter orbos orbasque; vid. III, 3.

4. *Millia octoginta*, 84,700 a censoriis tabulis edit Dionys. IV, 22.

5. *Q. Fabius Pictor*, qui circa an. Vrb. cond. 530, tempore belli Punici II, annales scripsit. Conf. c. 55 extr. XXII, 7; Dionys. I, 6. Fidem eius imminuit Polyb. I, 14, 58; III, 9; et Dionys. IV, 30; sed scite defendit Ernest. in Opusc. philol. p. 102 sq.

6. *Addit duos colles* longissime a Tiberi sitos (ut et Esquilinus) versus orientem meridiemque. *Esquiliae*, seu *Exquiliae* (al. *Aesquiliae*, ut Ησκυλῖνος, Εσκυλ., Ισχυλ. et Αἰσχυλ. λόφος, unde *Esquyliae* forsan dicendae, vel *Exquiliae*, si mons nomen accepit ab *excubiis*, quas Romulus, Tatio diffisus, ibi habuit) in plur., quoniam duos colles comprehendit, Esquilinum et Cispium; Vid. Varr. L. L. IV, 8. Inde dicta porta et tribus *Esquilina*; forte et regio, s. pars Vrbis, ad eum sita; unde *Esquilias auget*, amplificat. Alii: *auget* aedificiis collem; et Gron. conj. *auget* (Vrbem) *Esquiliis*, non improb. Bauero, qui tamen vulgatum quoque eodem sensu per hypallagen dictum putat, ut XXIV, 29, n. 1, *exonerandam multitudinem* pro *exon. urbem multitudine*, et similia apud Virgil. Aen. III, 465, et VIII, 180. De quatuor reliquis collibus, et de Ianiculo vid. cap. 33. His adiecti postea Vaticanus, et Pincius s. collis Hortulorum. — *Inde deinceps*, continuo post; vid. ad I, 21, n. 8.

7. *Pomoerium proferre* spatium. *Pomoerium*, *verbi vim solam intuentes*, *postmoerium*, sc. spatium, *interpretantur*, dicunt, *esse*: quae tamen non tam interpretatio est quam etymologia; neque Livius contendit cum quoquam de origine vocis, quam et ipse ex *post* et *moerus* (ant. pro *murus*) compositam putavit, sed potius contra eos, qui solam verbi

rium, verbi vim solam intuentes, postmoerium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant: ut neque interiore parte aedificia[8] moenibus continuarentur, quae nunc vulgo etiam coniungunt; et extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, pomoerium Romani appellarunt: et in urbis incremento semper, quantum moenia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.

XLV. Aucta civitate [1] magnitudine urbis, formatis omnibus domi et ad belli et ad pacis usus, ne semper armis opes acquirerentur, consilio augere imperium conatus est, simul et aliquod addere urbi decus. Iam tum erat inclytum Dianae[2] Ephesiae fanum: id

vim intuebantur, disputat de re ipsa, quam illo significari volebant. Hinc Perizon. emend. *post murum* (ant. *moerum*) *interpretantur esse*, prob. Bauero, qui tamen monet, non ita uti semper Livium verbo *interpretari*, ut explicationem, sed ut opinionem et iudicium significet. Ceterum in iis, quos Livius refellit, fuere etiam Varro (L. L. IV, 32) et Plut. (in Romulo, p. 23). Cf. de pomoerio ad Tac. Ann. XII, 23, 24.

8. *Aedificia moenibus continuare*, et *coniungere*: illud est, statim ad et post moenia aedificare, hoc, in muris ipsis, aedificia muris ipsis imponere, ut muris sit paries anterior aedificatio et substructio; vel illud, aedificia ad murum usque exstruere, hoc, moenia urbis partes aedium privatarum facere; Ern. et Bauer. *Coniungere*, arcte moenibus iungere, tenui vel nullo fere interiecto intervallo seu interstitio, ut X, 10 pr. *aedificia iuncta muro*, propinqua. (Cf. ad XXII, 20, n. 6; ibique Gron.) *Continuare ae. m.* ut fere XXXIV, 4, n. 10, *agros continuare*, proximos agros suis adiungere. Conf. ad IV, 22, n. 4.

Cap. XLV. 1. *Aucta civitate et magnitudine urbis* forte legendum. *Aucta sic late m. u.* emendat Scheller. *formatis*, instructis; *firmatis* conj. Bauer. — Particula abest a Paris. codice qui dat *formatis*: mallem *firmatis*, si in libris legeretur. Lem.

2. *Dianae Ephesiae fanum*, CCXX annis a tota Asia factum (Plinius XXXVI, 14), et inter mundi mi-

communiter a civitatibus Asiae factum fama ferebat. Quum consensum[3] deosque consociatos laudaret mire Servius inter proceres Latinorum, cum quibus publice privatimque hospitia amicitiasque de industria iunxerat; saepe iterando eadem perpulit tandem, ut Romae fanum[4] Dianae populi latini cum populo romano facerent. Ea erat confessio, caput rerum Romam esse, de quo toties armis certatum fuerat. Id quamquam[5] omissum iam ex omnium cura Latinorum, ob rem toties infeliciter tentatam armis, videbatur, uni se ex Sabinis fors dare visa est privato consilio imperii recuperandi. Bos in Sabinis nata cuidam patri familiae dicitur, miranda magnitudine ac specie. Fixa

racula relatum, ab Herostrato deinde, ut immortalitatem nominis sibi pararet, incensum, instauratumque Alexandri Magni temporibus. Ad exemplum Amphictyonum vel Pylaici concilii, seu conventus (XXXI, 32; XXXIII, 35), qui statis diebus esse solebat, Servius omnium civitatum latini nominis conventum (πανήγυριν) instituit ad templum Dianae, sacrificiis ludisque celebrandum. Sapiens eius consilium mox sequutus est Tarquinius alter, qui omnes Latii populos (XLVII oppida) in magnum coëgit foedus, cuius Roma caput fuit, quodque ex eo tempore in monte Albano, in quo templum Iovi Latiali, s. Latiari, exstructum a rege illo erat, quotannis die, a rege consulibusve romanis, plerumque principio anni et magistratus, priusquam in bella proficiscerentur, indicto, a legatis horum populorum renovatum est, et epulis communibus, sacrificiis ludisque celebratum per IV dies; quae *feriae latinae* vel simpl. *latinae* dictae sunt. Cf. cap. 49-53; ad V, 17, n. 3; IX, 8, n. 1; XXI, 63, n. 10, 11; XXII, 1; XXV, 12, n. 1; XXI, 16; XLII, 35; Plut. Camill. extr. et in pr. Dionys. IV, 25 sq. et 45-50: nam Livius hanc rem, ad opes romanas augendas firmandasque longe utilissimam, nimis leviter attigit.

3. *Consensum* populorum *deosque consociatos*, communes, ut *d. sociales* III, 18, et XL, 22, nisi sunt hi, qui socios et tuentur et tueri iubent.

4. *Romae fanum Dianae* factum in summo montis Aventini cacumine, versus Tiberim. Aenae eius columnae graecis literis incisae foederis leges, quae Augusti adhuc temporibus legebantur. — *Ea erat confessio* bene pro *Id e. c.* Cf. ad XXIV, 42, n. 6.

5. *Id quamquam omissum iam ex cura Latinorum*, cura eius rei a Latinis omissa: *uni* tamen *ex Sabinis se dare*, offerre, *visa est fors*, fortuita occasio, *imperii* etc. Sabinus iste fuit Antro Coratius, s. Curatius, et *antistes* templi *Romanus* Cornelius. Cf. Plut. Qu. Rom. pr. Opp. t. II, p. 264.

per multas aetates cornua in vestibulo templi Dianae monumentum ei fuere miraculo. Habita, ut erat, res prodigii loco est: et cecinere vates, cuius civitatis eam civis Dianae immolasset, ibi fore imperium; idque[6] carmen pervenerat ad antistitem fani Dianae. Sabinus, ut prima apta dies sacrificio visa est, bovem Romam actam deducit ad fanum Dianae, et ante aram statuit. Ibi antistes romanus, quum eum magnitudo victimae celebrata fama movisset, memor responsi, Sabinum ita alloquitur: *Quidnam tu, hospes, paras*, inquit, *inceste*[7] *sacrificium Dianae facere? Quin tu ante vivo perfunderis flumine? Infima valle praefluit Tiberis.* Religione tactus hospes, qui omnia, ut prodigio responderet eventus, cuperet rite facta, ex templo descendit ad Tiberim. Interea Romanus immolat Dianae bovem: id mire gratum regi atque civitati fuit.

XLVI. Servius, quamquam iam usu[1] haud dubium regnum possederat, tamen, quia interdum iactari voces a iuvene Tarquinio audiebat, se iniussu populi

6. *Idque carmen*, vaticinium, ut *cecinere* de vate: nam vaticinia et oracula versibus olim exprimi solebant.

7. *Inceste sacrificium facere*, non caste, pure ac rite: nam veteres non solebant ἀνίπτοις χερσὶν et ποσὶν, illotis manibus pedibusque, sed *perfusi ante vivo flumine*, aqua maris fluminisve *pura*, *recenti* ac *perenni* lavati, *pure lauti* aut *pure lotis corporibus* sacra facere, templum inire, et precari. Conf. V, 22, 27, 37; XXXIX, 9. — *Praefluit*, praeterfluit, ut XLIV, 31; Hor. Od. IV, 3, 10; 14, 26. Sic et *praeferri* II, 14, n. 3; V, 26; VI, 29; VII, 24; XXVIII, 30; XXIX, 32; *praegredi* XXXV, 30; *praevehi* XXIV, 44 extr. *praelabi* etc. Conf. ad Tacit. Annal. II, 6, 10.

Cap. XLVI. 1. *Iam usu haud dubium regnum possederat*, longa possessione suum fecerat; unde *usu possidemini* VI, 18, n. 7; *Hannibal iam velut usu cepit Italiam* XXII, 44, n. 5; *Syriam usu suam facit* Sen. Ep. 12. Nam *usucapio* est ius rei possidendae vel legitimum rei dominium, natum ex possessione eius diuturna et non interrupta per certum legibusque definitum temporis spatium. — *Iactari voces a iuvene Tarquinio* etc. Cf. Dionys. IV, 31 sq., 36 sq., qui docet, causa a Servio probata senatui plebique, Tarquinium simulata poe-

regnare, conciliata prius voluntate plebis, agro[2] capto ex hostibus viritim diviso, ausus est ferre[3] ad populum, *vellent, iuberentne se regnare?* tantoque consensu, quanto haud quisquam alius ante, rex est declaratus. Neque ea res Tarquinio spem affectandi regni minuit; immo eo impensius, quia de agro plebis adversa[4] Patrum voluntate senserat agi, criminandi Servii apud Patres, crescendique in curia sibi occasionem datam ratus est, et ipse iuvenis ardentis animi, et domi uxore Tullia inquietum animum stimulante. Tulit[5] enim et romana regia sceleris tragici exemplum, ut taedio regum maturior veniret libertas; ultimumque regnum esset, quod scelere partum foret. Hic L. Tarquinius[6], Prisci Tarquinii regis filius neposne fuerit, parum liquet; pluribus tamen auctoribus filium ediderim: fratrem habuerat Aruntem Tarquinium, mitis ingenii iuvenem. His[7] duobus, ut ante dictum est, duae Tulliae, regis filiae, nupserant, et ipsae longe dispares moribus. Forte ita inciderat, ne duo violenta ingenia matrimonio iungerentur, fortuna credo populi romani, quo diutur-

nitentia cum socero in gratiam rediisse.

2. *Agro capto ex hostibus*, Etruscis. vide ad c. 42, n. 3.

3. *Ferre ad populum* sc. rogationem, ut passim. — *Spem affectandi regni*, non appetendi modo, sed et occupandi; Ern. — Simili sensu Virg. *affectare viam* pro *tenere*. Lem.

4. *Adversa Patrum voluntate*, adversante, ut *adversa nobilitate* VI, 42; XXXIX, 41; et *adverso senatu* XXI, 10 pr. XLII, 28. — *Crescendi in curia*; gloriae, gratiae auctoritatisque consequendae; v. ad c. 47, n. 8; et ad XXIII, 48, n. 8.

5. *Tulit enim etiam romana regia* domus, ut Mycenensis seu Agamemnonia et al., *exemplum tragici sceleris*, horrendi et nefandi, vel quale a tragicis describi solet et meretur.

6. *L. Tarquinius, Prisci Tarquinii regis filius neposne* etc.; v. ad c. 40, n. 6. — *Filium ediderim*, esse dixerim Cf. ad I, 18, n. 2.

7. *His duobus, ut ante dictum est* etc.; vid. cap. 42. — *Forte ita inciderat*, acciderat, ut II, 27; III, 38; XXXVIII, 49; et X, 18 extr. ubi vid. Drak. — *Fortuna credo populi rom.* Cf. ad VI, 30, n. 3.

nius Servii regnum esset, constituique civitatis mores possent. Angebatur ferox Tullia, nihil materiae[8] in viro neque ad cupiditatem, neque ad audaciam esse; tota in alterum versa Tarquinium, eum mirari, eum virum dicere, ac regio sanguine ortum: spernere sororem, quod virum nacta muliebri[9] cessaret audacia. Contrahit celeriter similitudo eos, ut fere fit, malum malo[10] aptissimum: sed initium turbandi omnia a femina ortum est. Ea secretis viri alieni assuefacta sermonibus, nullis verborum contumeliis parcere, de viro[11] ad fratrem, de sorore ad virum; et se rectius viduam, et illum coelibem futurum fuisse contendere, quam cum impari iungi, ut elanguescendum aliena ignavia esset. Si sibi eum, quo digna esset, dii dedissent virum, domi se propediem visuram regnum fuisse, quod apud patrem videat. Celeriter adolescentem suae temeritatis implet. Lucius[12] Tarquinius et Tullia minor prope

8. *Nihil materiae* etc., vid. ad c. 39, n. 4.

9. *Muliebri cessarat audacia*, in se desiderari pateretur audaciam, neque ea adiuvaret mariti consilia. — *Contrahit eos*, coniungit, conciliat inter se.

10. *Malum malo aptissimum* proverbii loco eodemque fere sensu dicitur, quo *similis simili gaudet*. Sed verba haec parenthesi forte includenda. Baueri nota est: « *aptissimum fit*, i. e. iungitur facile (male morati facile celeriterque iunguntur): *aptus* est etiam *iunctus*; quod hic esse debet ob voc. *fieri*. » Cf. Serv. et Heyn. ad Virg. Aen. IV, 482.

11. *De viro ad fratrem* viri, *de sorore ad virum* sororis. Sic bene declaratur istorum sermonum turpitudo.

12. Vulgo legitur: *Aruns Tarquinius et Tullia maior quum prope continuatis funeribus*, ita ut altera pompa funebris alteram fere sequeretur (ut cap. 47, *duo continua regna*, quorum unum excipit alterum; vid. ad IV, 22, n. 4), *domos vacuas novo matrimonio* (dat.) *fecissent*, quasi ad id aperissent, liberas fecissent, h. e. mortui essent, et sic non amplius obstarent, quo minus frater sororque matrimonio iungerentur, *iunguntur nuptiis* L. Tarquinius et Tullia minor. Sed ex MS. Voss. 2, cum Strothio recepi emendationem Perizonii: *Lucius Tarquinius* ET *Tullia minor* (ita omnes MSS. et edd. tam primae quam recentt.) *iunguntur nuptiis*, *quum domos vacuas n. m. fecissent*, h. e. de medio sustulissent fratrem sororemque, ut ita ipsi matrimonium contrahere possent. Haec lectio et Dio-

continuatis funeribus, quum domos vacuas novo matrimonio fecissent, iunguntur nuptiis, magis non prohibente Servio, quam approbante.

XLVII. Tum vero in dies infestior[1] Tullii senectus, infestius coepit regnum esse: iam enim ab scelere ad aliud spectare mulier scelus; nec nocte, nec interdiu virum conquiescere pati; ne gratuita praeterita parricidia essent. « Non sibi defuisse, cui » nupta diceretur, nec cum quo tacita[2] serviret: » defuisse, qui se regno dignum putaret: qui meminisset se esse Prisci Tarquinii filium; qui habere, quam sperare, regnum mallet. Si tu[3] is es, » cui nuptam esse me arbitror, et virum et regem » appello: sin minus, eo nunc peius mutata est res, » quod isthic cum ignavia est scelus. Quin[4] accingeris? Non tibi ab Corintho, ne ab Tarquiniis, » ut patri tuo, peregrina regna moliri necesse est. » Dii te penates, patriique, et patris[5] imago, et » domus regia, et in domo regale solium, et no-

nysii aliorumque historicorum auctoritate firmatur, et usu loquendi. Nam eodem sensu Cic. Catil. I, 6, dixit, *quum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuam fecisses*, et Sallust. Cat. 15 (ubi vid. Cortium), *Aurelia creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse*. Periz. et Gron. emend. *Ita L. Tarquinius* etc. *Ceterum domus vacua*, dici solet, in qua liberi nulli vel nati vel superstites sunt, ut *vacua resp.* XXIII, 2, n. 5, quae est sine senatu (libera, petens occupanti, defensore ac vindice spoliata, ἔρημος, sola; Bauer.), et al. *vacuae legiones*, *provinciae* etc., vide ad Tacit. Ann. I, 3, 2.

CAP. XLVII. 1. *Infestior senectus*, vid. ad cap. 7, n. 7. — *Spectare*, vid. ad I, 9, n. 3. — *Gratuita parricidia*, sine fructu, vel mercede, ut III, 37 al.

2. *Tacita serviret*, vitam agens obscuram et otiosam, latens et nihil memorabile agens, ut *transire vitam silentio* Sallust. Cat. I pr. vel *silentia vitae* et *mutum aevum* Sil. III, 146, 579; vel *per silentium venimus*, viximus, Tacit. Agr. 3. Cf. ad IX, 6, n. 7.

3. *Si tu is es, cui* etc. talis, quali, etc. Cf. ad c. 13, n. 3, et similis exhortatio Tanaquilis sup. cap. 41. — *Isthic*, penes te.

4. *Quin accingeris*, cur non ad res strenue agendas te paras? — *Regna moliri*, arcessere et sibi parare.

5. *Patris imago*, nobilitas tua. Cf. ad cap. 34, n. 8.

» men Tarquinium creat vocatque regem. Aut si » ad haec parum est animi, quid frustraris civitatem? quid te ut regium iuvenem conspici sinis? » Facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum. Devol- » vere[6] retro ad stirpem, fratri similior, quam patri. » His aliisque increpando iuvenem instigat, nec conquiescere ipsa potest: si, quum Tanaquil, peregrina mulier, tantum moliri potuisset animo, ut duo continua regna viro, ac deinceps genero, dedisset; ipsa, regio semine orta, nullum[7] momentum in dando adimendoque regno faceret. His muliebribus instinctus furiis Tarquinius circumire et prensare, minorum maxime gentium, Patres; admonere paterni beneficii, ac pro eo gratiam repetere; allicere donis iuvenes: tum de se ingentia pollicendo, tum regis criminibus omnibus[8] locis crescere: postremo, ut iam agendae[9] rei tempus visum est, stipatus agmine armatorum, in forum irrupit; inde, omnibus perculsis pavore, in regia sede pro curia sedens, Patres in curiam per praeconem ad regem Tarquinium citari iussit. Convenere extemplo, alii iam ante ad hoc praeparati; alii metu, ne non venisse fraudi esset, novitate ac miraculo attoniti, et iam de Servio actum rati. Ibi Tarquinius maledicta ab stirpe[10] ultima

6. *Devolvere retro*, relabere quasi el descende, ad *stirpem*, redi ad inferiorem maiorum tuorum conditionem.

7. *Nullum momentum ... faceret*, nihil valeret, nullam haberet vim. *Momentum* (quasi *movimentum*) proprie pondus, quo librae laux deprimitur. Cf. ad II, 7, n. 11; III, 27, n. 6; V, 49, n. 4; XXIII, 24, n. 5; XLIII, 12, n. 1. — *Pronsare Patres* vid. inf. ad II, 61, n. 4.

8. *Omnibus locis crescere* (vid. ad cap. 46, n. 4) *criminibus*, vid. ad III, 19, n. 7.

9. *Vt iam agendae rei tempus visum est*, captata occasione, quod maxima plebis pars in agris esset messis faciendae causa. Cf. Dionys. IV, 38. — *In regia sede pro curia*, in curia; v. ad XXVI, 27, n. 4.

10. *Ab stirpe ultima*, infima, deterrima, servili: nam a matre tantum repetitur; Bauer.

orsus; « servum servaque natum, post mortem in» dignam parentis sui, non interregno, ut antea, » inito, non comitiis habitis, non per suffragium » populi, non auctoribus Patribus, muliebri[11] dono » regnum occupasse. Ita natum, ita creatum regem, » fautorem infimi generis hominum, ex quo ipse sit, » odio alienae honestatis ereptum primoribus agrum » sordidissimo cuique divisisse: omnia onera, quae » communia quondam fuerint, inclinasse in primores » civitatis; instituisse censum, ut insignis[12] ad in» vidiam locupletiorum fortuna esset, et parata, » unde, ubi vellet, egentissimis largiretur. »

XLVIII. Huic orationi Servius quum intervenisset, trepido nuntio excitatus, extemplo a vestibulo curiae magna voce, *Quid hoc*, inquit, *Tarquini*, *rei est? qua tu audacia*, *me vivo*, *vocare ausus es Patres*, *aut in sede considere mea?* Quum ille ferociter ad haec, *se patris sui tenere sedem*, *multo quam servum*, *potiorem filium regis regni haeredem: satis illum diu per licentiam eludentem insultasse[1] dominis;* clamor ab utriusque fautoribus oritur: et concursus populi fiebat in curiam, apparebatque regnaturum, qui vicisset. Tum Tarquinius, necessitate iam ipsa cogente ultima audere, multo et aetate et viribus validior, medium arripit Servium; elatumque e curia in inferiorem partem per gradus deiicit. Inde ad cogendum[2] senatum in curiam redit. Fit fuga regis appa-

11. ***Sed muliebri dono***, **beneficio, favore, donatione mulieris. Alii *dolo*, rectius, iudice Doering. Sed illud aptius graviusque. — *Agrum divisisse*, vid. cap. 46 pr.**

12. ***Insignis ad invidiam***, **magis conspicua et invidiae obnoxia.**

CAP. XLVIII. 1. *Insultasse dominis*, iustis regni haeredibus, *eludentem* eos; v. ad c. 36, n. 4.

2. *Ad cogendum senatum*, vid. ad XXXII, 2, n. 4. — *Semianimi regio comitatu*: atqui regii apparitores et comites diffugerant. Dionysius dicit, Servium vidisse circa se τῶν αὐτοῦ φίλων πολλὴν ἐρημίαν, et abiisse go-

ritorum, atque comitum. Ipse prope exsanguis, quum semianimi regio comitatu domum se reciperet, pervenissetque ad summum Cyprium[3] vicum, ab iis qui missi ab Tarquinio fugientem consequuti erant, interficitur. Creditur, quia non abhorret a cetero scelere, admonitu Tulliae id factum: carpento certe, id quod satis constat, in forum invecta, nec reverita coetum virorum, evocavit virum e curia, regemque prima appellavit: a quo facessere[4] iussa ex tanto tumultu, quum se domum reciperet, pervenissetque ad summum Cyprium vicum, ubi Dianium nuper fuit, flectenti carpentum dextra in Vrbium[5] clivum, ut in collem Esquiliarum eveheretur, restitit pavidus, atque inhibuit frenos is qui iumenta agebat, iacentemque dominae Servium trucidatum ostendit. Foedum inhumanumque inde traditur scelus, monumentoque locus est (Sceleratum[6] vicum vocant),

mentem κρατούντων καὶ παραπεμπόντων αὐτὸν ὀλίγων. Hinc Gron. emend. *quum senum minime regio comitatu*, vel *cum minime regio c. domum se recipere. Quum pervenisset* etc. Sed fugientes etiam comites postea ad regem redire, aut alii amici se ei adiungere potuerunt. — *A cetero scelere*, a toto, scil. a reliquis partibus eius, reliqua ratione et universa; Bauer.

3. *Ad summum Cyprium vicum*, κύπριον στενωπόν, non longe a tigillo sororio et Esquiliis. Cf. Varr. L. L. IV, 32 extr. Donat. de urbe Rom. III, 9; et Nardin. III, 15.

4. *Facessere se iussa*, h. e. recedere. — *Dianium*, scil. templum seu sacellum, ut ἡράκλειον, ἀνάκειον etc. — *Flectenti*, Tulliae flectere iubenti (ut mox *carpentum egisse*) *restitit pavidus*, obstitit. Alii legunt *flectente carpentum*, sine sensu. Gron. emend. *flectens* vel *flectendo* (inter flectendum), et Bauer. *flectente carpento* (sc. se) *restitit*, constitit, profectus non est. De re ipsa vid. Dionys. IV, 39; et Ovid. Fast. VI, 587 sq. De *carpento* cf. ad V, 25, n. 6.

5. *Vrbium clivum*, ut in multis MSS. et ed. Ald. Volgo *Virbium*, qui prope Bovillas fuit; vid. Pers. VI, 55. Suspicari possis *Oppium* ex Varr. L. L. IV, 8. Sed Ορβιος (al. Ολβιος) ap. Dionys. et Festum. *Vrbicus* ap. Sotinum. — Hunc forsan sequutus est emendator Paris. codicis qui, erasa τοῦ *urbium* syllaba ultima, scripsit *ci* ut legatur *Vrbici*. Lem. — *Collem Esquiliarum*, al. Esquilinum: nisi ita legendum.

6. *Sceleratum vicum vocant*, qui ante dictus est *Cyprius* a *Cypro*, *quod ibi Sabini aves additi consederunt*, *qui a bono omine id appella-*

quo amens, agitantibus furiis sororis ac viri, Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur, partemque sanguinis ac caedis paternae cruento vehiculo contaminata ipsa respersaque, tulisse ad penates suos virique sui: quibus[7] iratis, malo regni principio similes prope diem exitus sequerentur. Serv. Tullius regnavit annos quatuor et quadraginta, ita ut bono etiam moderatoque succedenti regi difficilis aemulatio esset. Ceterum id quoque ad gloriam accessit, quod cum illo simul iusta ac legitima regna occiderunt. Id ipsum tam mite ac tam moderatum imperium tamen, quia unius esset, deponere eum in animo habuisse quidam auctores sunt, ni scelus intestinum liberandae patriae consilia agitanti intervenisset.

XLIX. Inde L. Tarquinius regnare occoepit, cui Superbo[1] cognomen facta indiderunt, quia socerum gener sepultura prohibuit, *Romulum quoque insepultum perisse* dictitans: primores Patrum, quos Servii rebus favisse credebat, interfecit: conscius deinde male quaerendi regni ab se ipso adversus se exemplum capi posse, armatis corpus circumsepsit. Neque enim ad ius regni quidquam praeter vim habebat; ut qui neque populi iussu, neque auctoribus

runt: *nam cyprum Sabine* bonum *dicitur*, Varr. L. L. IV, 32. Sic et Dionys. tradit vicum primo Ὄλβιον, beatum, et postea ἀσεβῆ nominatum esse.

7. *Quibus iratis*, ut iis iratis. — *Servius Tullius regnavit ita*, *ut bono etiam moderatoque succedenti* etc. Cf. XXIV, 5 pr.

Capvt XLIX. 1. *Superbo*, crudeli, ut *superbia* cap. 54 pr. crudelitas; eodem sensu *bellum superbum* apud Virg. — *Sepultura prohibuit*, vid. ad XXII, 14, n. 3. Summum olim id scelus erat et mos ferorum hominum, aut poena summi sceleris sive tyranni. Cf. XXIV, 21; XXIX, 9; ad Sil. I, 154; XIII, 445 sq.; XVI, 293; Tac. Ann. I, 22; VI, 29. Ab uxore Servii corpus mariti noctu extra urbem humatum tradit Dionys. — *Armatis*, vid. ad XXXII, 39, n. 4. — Mox *Eo accedebat*, ut pro *quod* etc.

Patribus regnaret. Eo accedebat, ut in caritate civium nihil spei reponenti metu regnum tutandum esset: quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum, sine consiliis, per se solus exercebat: perque eam causam occidere, in exsilium agere, bonis multare poterat non suspectos modo aut invisos, sed unde nihil aliud quam praedam sperare posset. Ita Patrum praecipue numero imminuto, statuit nullos in Patres legere, quo contemtior paucitate ipsa ordo esset, minusque per se nihil agi indignarentur. Hic enim regum primus traditum a prioribus morem de omnibus senatum consulendi solvit: domesticis[2] consiliis rempublicam administravit: bellum, pacem, foedera, societates per se ipse, cum quibus voluit, iniussu populi ac senatus, fecit diremitque. Latinorum sibi maxime gentem conciliabat, ut peregrinis quoque opibus tutior inter cives esset: neque hospitia modo cum primoribus eorum, sed affinitates quoque iungebat. Octavio[3] Mamilio Tusculano, is longe princeps Latini nominis erat, si famae credimus, ab Vlixe deaque Circe oriundus, ei Mamilio filiam nuptum dat, perque eas nuptias multos sibi cognatos amicosque eius conciliat.

L. Iam magna Tarquinii auctoritas inter Latinorum proceres erat; quum, in diem certam ut ad lucum[1] Fe-

2. *Domesticis consiliis*, non publicis. Cf. Dionys. IV, 41-44; et Suet. August. 35.

3. *Octavius Mamilius Tusculanus* genus ducebat a Telegono, *Vlixis* seu Vlissis et Circes filio. *Octavius* praenomen, ut in aliis nominibus peregrinis similia, v. c. *Marius Statilius* XXII, 42; *Decius Magius* et *Marius Blosius* XXIII, 7. — *Ei Mamilio*: vid. ad c. 19, n. 1.

Cap. L. 1. *Ad lucum Ferentinae* aquae (conf. cap. 51 extr.) vel potius Deae, forte Latinorum, haud procul a *Ferentino*, opp. Latii in Hernicis, et a Roma, ad radices montis Albani, ubi conventus Latini nominis et plerumque habitos esse passim monet Dionysius (cf. Liv. VII, 25, et Fest.), et IV, 45, hunc a Tarquinio indictum, ut consultaretur de bello adversus Sabinos gerendo, qui foedus, cum Ser-

rentinae conveniant, indicit: esse, quae agere de rebus communibus velit. Conveniunt frequentes prima luce: ipse Tarquinius diem quidem servavit; sed paulo ante, quam sol occideret, venit. Multa ibi tota die in concilio variis iactata sermonibus erant. Turnus[2] Herdonius ab Aricia ferociter in absentem Tarquinium erat invectus; *haud mirum esse Superbo inditum Romae cognomen;* iam enim ita clam quidem mussitantes, vulgo tamen, eum appellabant. « An » quidquam superbius esse, quam ludificari sic » omne nomen latinum? Principibus longe ab domo » excitis, ipsum qui concilium indixerit, non ades- » se: tentari profecto patientiam, ut si iugum acce- » perint, obnoxios[3] premat. Cui enim non apparere, » affectare eum imperium in Latinos? Quod[4] si sui » bene crediderint cives, aut si creditum illud et » non raptum parricidio sit, credere et Latinos, » quamquam ne sic quidem alienigenae, debere. Sin » suos eius poeniteat, quippe qui alii super alios » trucidentur, exsulatum eant, bona amittant, quid » spei melioris Latinis portendi? Si se audiant, domum » suam quemque inde abituros: neque magis obser- » vaturos diem concilii, quam ipse, qui indixerit, » observet ». Haec atque alia eodem pertinentia se-

vio ictum, solvissent. Cf. inf. ad IV, 23, n. 5. De magno foedere, in quod Tarquinius coëgit populos Latii vid. ad c. 45, n. 2.

2. *Turnus Herdonius*, princeps Aricinorum, Octavii Mamilii aemulus, et hinc quoque infensus Tarquinio socero eius. Cf. Dionys. IV, 46-48. *Aricia* opp. Latii (hod. *Nemi* vicus), ad radices Albani montis et ad nemus Dianae sacrum, in quo erat fons Egeriae; *ab Aricia*, sc. oriundus, vel Aricinus, ut II, 22, *principum a Cora liberos;* VI, 13, *coloni a Velitris*, id est, Veliterni; XLIII, 19, n. 5, *Apuleum Macedonem a Beroea.* — Mox forte leg. *haud mirum esse ei Superbo* etc. Paris. Codex dat *haud mirum esse Superbo* etc. Lem.

3. *Premat obnoxios*, vide ad III, 39, n. 1.

4. *Quod imperium si sui bene crediderint cives*, scil. ei seu ipsi, ut passim.

ditiosus facinorosusque homo, hisque artibus opes domi nactus, quum maxime dissereret, intervenit Tarquinius. Is finis orationi fuit. Aversi omnes ad Tarquinium salutandum: qui, silentio facto, monitus a proximis ut purgaret se, quod id temporis [5] venisset, *disceptatorem* ait, *se sumtum inter patrem et filium: cura reconciliandi eos in gratiam moratum esse: et, quia ea res*[6] *exemisset illum diem, postero die acturum quae constituisset.* Ne id quidem[7] ab Turno tulisse tacitum ferunt: dixisse enim, *nullam breviorem esse cognitionem, quam inter patrem et filium, paucis-*

5. *Quod id temporis venisset*, eo, seu tali tempore, sc. vespertino, tam sero. — *Disceptatorem*, arbitrum, iudicem, ut VIII, 23; XXXIX, 25; XLII, 42; et *disceptare* pro diiudicare, disquirere, iudicem esse, III, 40; VIII, 23; XXXV, 33; XXXIX, 24, 33; XLI, 20, vel litigare XXXVIII, 35; *disceptatio* XXXVII, 56; XXXVIII, 32. Confer Drakenb. ad XXXVIII, 35, 1, et Cort. ad Sall. Iugurt. 21.

6. *Quia ea res exemisset*, quasi eripuisset seu sustulisset (ut *tollere diem* apud Cicer. Leg. III, 18) *illum diem*, h. e. impedivisset, quo minus quid hoc die constituto agi et confici posset: ut *eximere diem concilio* plebis XXV, 3, n. 12. Sic *diem eximere dicendo* (quum in senatu ab iis, qui multa et aliena quoque dicunt, tantum temporis consumitur, ut sol occidat ante quam de re deliberata statui possit), et *eximere dies comitiales* apud Cicer. ad Quint. Fratr. II, 2 et 6.

7. *Ne id quidem ab Turno tulisse*, accepisse, *tacitum*, silentio praetermissum, ita ut Turnus taceret, *ferunt*, dicunt, scil. Tarquinium. Sic *tacitum ferre* dicitur, cui nemo reclamat, v. c. III, 45, *ut tacitum feras*, sc. a me, h. e. ut taceam; ap. Cic. ad Att. II, 3, *non feres tacitum*; et ap. Plaut. Asin. IV, 2, 7, *suspendas potius me, quam tacita ut haec auferas*, sc. a me, quam ut taceam. Nam *ferre* passim significat auferre, obtinere, accipere, sumere, consequi, v. c. *laudes* II, 47; IV, 57; *sortem* VI, 25; *aliquid beneficio ab aliquo* II, 12; *ius* III, 34; *impunitum* etc. Displicet tamen nobis tum dictio *tulisse ferunt*, tum mutatio subiecti *tulisse ferunt*, scil. Tarquinium, *dixisse enim* sc. Turnum; unde saltem praestiterit, quod in veteri libro Sigonii legitur: *ne id quidem Turnum tulisse tacitum ferunt*, h. e. silentio praetermisisse et aequo tulisse animo, vel sine contradictione, ita ut taceret. Sic XXXV, 19, *contumeliam tacitus tulit*; et VII, 1, n. 4, *non patientibus tacitum tribunis*. Cf. V, 28 pr.; et V, 29 extr. — Mox verba: *ni pareat patri* filius, *habiturum eum infortunium esse*, referenda ad patriam potestatem, quae tanta olim erat ap. Romanos, ut ius quoque vitae et necis ea contineretur, ut taceam alia iura, v. c. filium ter vendendi, exhaeredandi etc.

que transigi verbis posse: ni pareat patri, habiturum[8] *infortunium esse.*

LI. Haec[1] Aricinus in regem romanum increpans, ex concilio abiit. Quam rem Tarquinius aliquanto quam videbatur aegrius ferens, confestim Turno necem machinatur; ut eundem terrorem, quo civium animos domi oppresserat, Latinis iniiceret. Et quia pro imperio palam interfici non poterat, oblato falso crimine insontem[2] oppressit: per adversae factionis quosdam Aricinos, servum Turni auro corrupit, ut in deversorium eius vim magnam gladiorum inferri clam sineret: ea quum una nocte perfecta essent, Tarquinius, paulo ante lucem accitis ad se principibus Latinorum, quasi re nova perturbatus, « moram suam hesternam, velut deorum quadam providentia illatam, « ait » saluti sibi atque illis fuisse: ab Turno dici sibi et primoribus[3] populorum parari necem, ut Latinorum solus imperium teneat. Aggressurum fuisse hesterno die in concilio: dilatam rem esse, quod auctor concilii abfuerit, quem maxime peteret. Inde illam absentis inse-

8. *Habiturum* filium *infortunium*, meritam poenam.

Cap. LI. 1. *Haec Aricinus in regem increpans*, ut *in aliquem increpare* XXVII, 1, n. 6; *exsecrari* X, 28; XXX, 20; XXXIX, 51; et al. *detestari* XXXIX, 10; *incusare* ap. Tac. Ann. V, 7 extr. Cf. ad III, 3, n. 1.

2. *Insontem oppressit*, accusatione perfecit ut damnaretur (sic et II, 52), *oblato falso crimine*, prolato, vel potius obiecto, exprobrato. Cf. VI, 15 pr. — *Deversorium*, ut mox *deverticulum* (non *diversorium*: nam *divertere*, ut *digredi*, de duobus dicitur, qui *diversam* instituunt viam), locus seu domicilium et hospitium, propr. a via paulisper remotum, ad quod de itinere *devertimus*, nos convertimus, ut ab eo nos reficiamus: unde IX, 17 pr. degressio a re proposita ad aliam, excursus. Sic et ap. Iuvenal. XV, 72. Hinc etiam *deverti*, *deversari* etc. scripsimus passim, pro vulgat. *diverti* etc. Conf. ad XLIV, 43, n. 1. — *Servos* et *sinerent* pro *servum*... *sineret* habet Florus, forte rectius. Confer Dionysium.

3. *Primoribus populorum* Latii XXX; nisi cum Schellero leg. *popularium*.

» ctationem esse natam, quod morando[4] spem destituerit. Non dubitare, si vera deferantur, quin prima luce, ubi ventum in concilium sit, instructus cum coniuratorum manu armatusque venturus sit. Dici, gladiorum ingentem numerum esse ad eum convectum: id vanum nec ne sit, extemplo sciri posse. Rogare eos, ut inde secum ad Turnum veniant». Suspectam fecit rem, et ingenium Turni ferox, et oratio hesterna, et mora Tarquinii; quod videbatur ob eam differri caedes potuisse. Eunt inclinatis quidem ad credendum animis, tamen, nisi gladiis deprehensis, cetera vana existimaturi. Vbi est eo ventum, Turnum ex somno excitatum circumsistunt custodes: comprehensisque servis, qui caritate domini vim parabant, quum gladii abditi ex omnibus locis deverticuli protraherentur;[5] enimvero manifesta res visa, iniectaeque Turno catenae; et confestim Latinorum concilium magno cum tumultu advocatur. Ibi tam atrox invidia orta est, gladiis in medio positis, ut, indicta causa, novo genere leti, deiectus[6] ad caput aquae Ferentinae, crate[7] superne iniecta, saxisque congestis, mergeretur.

4. *Quod morando spem destituerit*, frustratus sit, ei defuerit, irritas fecerit insidias sibi paratas. Cf. XXVI, 18, n. 2; XXXV, 44, n. 2; XXXIX, 39, n. 3.

5. *Enimvero manifesta res visa*, h. e. profecto, utique. Ea particula vel augendae, et negandae graviter aut affirmandae rei, vel denique doloris et indignationis indicandae (ut II, 45, n. 13; VI, 14, n. 11; X, 35, n. 6) causa, etiam ab initio orationis (ut XXIV, 31 pr. et XXVII, 30, n. 10), ponitur. Cf. II, 22, n. 4, et Drak. ad II, 22, n. 6; X, 35, n. 13; et XXXI, 30, n. 4. Sic et simpl. *enim*, et *sed enim*, *verum enim* etc.; v. ad III, 39, n. 8.

6. *Deiectus ad caput*, fontem (propr. summum rivuli seu fluvii locum, unde nascitur et defluit), *aquae Ferentinae*, v. ad c. 50, n. 1: Εἰς βάραθρόν τι καταβάλλουσι, καὶ ἐπικατασκάψαντες ἔτι ζῶντι τὴν γῆν, διαφθείρουσι· Dionys. IV, 48.

7. *Crate superne iniecta* etc. quod supplicii genus Poenis potissimum usitatum fuisse dicitur. Cf. IV, 50; Plaut. Poen. V, 2, n. 65 (ubi v. Taubmann.); Tac. Germ. 12; Ferrar. elect.

LII. Revocatis deinde ad concilium Latinis, Tarquinius, collaudatisque qui Turnum novantem[1] res pro manifesto parricidio merita poena affecissent, ita verba fecit: « posse quidem se vetusto iure agere, » quod, quum omnes Latini ab Alba oriundi sint, » in eo foedere[2] teneantur, quo ab Tullo res omnis » albana cum colonis suis in romanum cesserit im- » perium. Ceterum se utilitatis id magis omnium » causa censere, ut renovetur id foedus: secunda- » que potius fortuna populi romani ut participes » Latini fruantur, quam urbium excidia, vastatio- » nesque agrorum, quas Anco prius, patre deinde » suo regnante, perpessi sint, semper aut exspectent, » aut patiantur ». Haud difficulter persuasum Latinis, quamquam in eo foedere superior romana res erat: ceterum et capita nominis latini stare ac sentire cum rege videbant, et Turnus sui cuique periculi, si adversatus esset, recens erat documentum. Ita renovatum foedus; indictumque iunioribus Latinorum, ut ex foedere die certa ad lucum[3] Ferentinae armati frequentes adessent. Qui ubi ad edictum romani regis ex omnibus populis convenere; ne ducem suum, neve secretum imperium, propriave signa haberent, miscuit manipulos ex Latinis Romanisque,

II, 7; Stewick. ad Vedet. III, 4. Similis gr. *καταποντισμός*, de qua vide Wessel. ad Diodor. XVI, 35.

Cap. LII. 1. *Novantem res*, *νεωτερίζοντα*, novas res vel mutationem reipublicae et turbas moliri, ut XXVII, 24; XXVIII, 36; XXIX, 36; XXXV, 31. Sic *novae res* saepe dicuntur; sed et *consilia nova*, pro novarum rerum studio VIII, 17, n. 3. Graece αἱ κινήσεις et κινεῖν τὰ καθεστῶτα vel τὰ πράγματα, turbas ciere, res novas moliri, v. c. ap. Polyb. II, 21, 3; III, 4, 12; IV, 34, 3 al.

2. *In eo foedere teneantur*, contineantur, *quo ab Tullo* Hostilio etc.; vid. c. 29, 30; Schellerus coniicit *iam eo foedere teneantur*, obstringantur. Conf. Quintil. Declam. 103, ibique Burm. — De *foederis* annua *renovatione* v. ad c. 45, n. 2.

3. *Ad lucum Ferentinae* etc. vid. ad c. 50, n. 1. — *Secretum imperium*, proprium et a romano diversum.

ut ex binis[4] singulos faceret, binosque ex singulis. Ita geminatis manipulis centuriones imposuit.

LIII. Nec, ut iniustus in pace rex, ita dux belli pravus fuit: quin ea arte aequasset superiores reges, ni degeneratum[1] in aliis huic quoque decori offecisset. Is primus Volscis[2] bellum in ducentos amplius post suam aetatem annos movit, Suessamque Pometiam ex his vi cepit: ubi quum[3] dividenda praeda

4. *Vt ex binis* menipulis, ex uno Romanorum et uno Latinorum, *singulos faceret, binosque ex singulis* tam romanis quam latinis: *ita geminatis manipulis*, mixtis ex Romanis Latinisque. Baueri nota est: «Sign. dividere manipulos singulos, dimidiare, et sic duas dimidias veriorum in unum coniungere, tanquam, ut unus manipulus rom. secaretur in duas partes, itemque latinus; hi essent e singulis bini; iam ex dimidiato latino et dimidiato romano unus conflaretur; ita e binis singuli coirent. *Ita geminatis manipulis:* non intell. menipali, qui aucti essent suis numeris, ut plures quisque milites contineret, sed quorum numerus auctus esset, quia latini manipuli adiecti duplicabant romanos. Liceat tamen intelligere *geminatos* e pluribus, variis consociatos, e dimidiato latino et romano». — *Centuriones*, sc. romanos.

Cap. LIII. — 1. *Ni degeneratum in aliis*, nisi id, quod in aliis rebus ab eo degeneratum esset, quod ille degenerasset e virtutibus maiorum; nisi degeneratio facta, vel animus degener etc. Ita passim Livius, ubi caussam alicuius rei significare vult, his participiis neutr. gen. utitur pro substantivis, v. c. *perlitatum* VII, 8; *auditum* XXVII, 45, n. 2; XXVIII, 26, n. 2; *propter lapidatum* XXIX, 10, n. 5; *lege cautum* IV, 16; *pronuntiatum* IV, 59; *tentatum* IV, 49; VII, 22 pr. *oppositum* XXI, 52 pr. *ea visa inspectaque satis animorum fecere* XXIV, 40, n. 9; conf. Gron. ad III, 20; Periz. ad Sanctii Min. III, 8, 2, et Bauer. in Ind., ubi de hoc participiorum usu haec notavit: «Ita XXVII, 47, 4, *castra* nihil *aucta* errorem faciebant; XXIV, 22, 4, *occupatas partes*, i. e. occupatio earum; et XXVII, 45, n. 2, *auditum*, h. e. si auditum esset, quasi τὸ *audiri*, τὸ γνωσθῆναι, nam Graeci, ut hodie Itali, infinitivo sic utuntur. Angli talia commode et sentiant, et exprimant: *the very being heard*, vel Itali *l'esser inteso*.» Cf. ad V, 39, n. 3, et XXXIX, 8, n. 5. Ceterum quae uberius narrantur, c. 53-60, breviter et poëtice tractavit Ovid. Fast. II, 685-852.

2. *Volscis bellum in CC amplius post suam aetatem annos movit*, quod amplius (quam) ducentos annos, etsi non continuos, post eum duravit. — De *Suessa Pometia*, vide ad VIII, 15, n. 1.

3. *Vbi quum dividenda praeda*, ex divisione praedae (propr. pro *dividendo praedam*, ut VII, 21, n. 2, *prolatandis comitiis*; VI, 39, *magistro eq. dicendo*; IX, 41, 45, *circumferendo bello*; et alia, ut XXXII, 16,

quadraginta talenta argenti aurique refecisset; concepit animo eam amplitudinem Iovis templi, quae digna deum hominumque rege, quae romano imperio, quae ipsius[4] etiam loci maiestate esset. Captivam pecuniam in aedificationem eius templi seposuit. Excepit[5] deinde eum lentius spe bellum, quo Gabios, propinquam urbem, nequidquam vi adortus, quum obsidendi quoque urbem spes pulso a moenibus adempta esset, postremo minime arte romana, fraude ac dolo, aggressus est: nam quum, velut posito bello, fundamentis templi iaciendis aliisque urbanis operibus intentum se esse simularet, Sextus filius eius, qui minimus ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios, patris in se saevitiam intolerabilem conquerens: « iam ab alienis in suos vertisse superbiam: et liberorum quoque eum frequentiae taedere; ut, quam in curia solitudinem fecerit, domi

n. 3; XXXIII, 3, n. 3 etc., de quibus vid. Gronov. et Drak. ad h. l. et XXIV, 15; XXVIII, 19; cf. sup. ad c. 19, n. 5), *quadraginta talenta*, tanquam regis partem, *refecisset* (in ant. edd. *cepisset* et *recepisset*), h. e. redegisset, confecisset, ut XXXV, 1 extr. Sic et *conficere*, *efficere* et χρήματα πράττειν· cf. Ern. clav. Cic. *Divendita* edd. ab Ald. ad Drakenb. non MSS. *Divendenda praeda* (h. e. divendendo praedam) forte leg. cum Gron. — Codex Paris. habet *dividenda*. — *Quadraginta*, non *quadringenta*, lectio omnium fere MSS. et edd. ante Gruter. vid. ad c. 55 extr. Conf. Dionys. IV, 50. — Paris. Codex habet XL, et mox omittit *aurique* quae vocab. additamentum suspectum Creverius ex duorum codicum suorum auctoritate indicat. LEM.

4. *Ipsius etiam loci*, sc. Capitolii.

5. *Excepit eum*, eius meditationes, *lentius spe bellum*, bellum diuturnius, quam speraverat; ei haec meditanti obtigit, ut ἐξεδέξατο πόλεμος Ῥωμαίους ap. Polyb. I, 65 pr. *Villium, in Macedoniam quum venisset, atrox seditio militum excepit* XXXII, 3; *gravitate caeli aquarumque adveniens excipitur* XXIII, 34, n. 6. Conf. ad IV, 43, n. 4; XXV, 23, n. 4; XXVII, 40, n. 3. Bellum gabinum inde ortum dicitur, quod ditissimi patriciorum Gabios commigraverant. Antecessit autem bellum sabinum (de quo vid. Dionys. IV, 51 sq., ut de gabino, ibid. c. 55 sq.), forte et cum Aequis ac Tuscis; vid. cap. 55 pr. Mox *urbem* bis posuisse Livium vix crediderim. Conf. tamen ad I, 3, n. 8. — *Minimus ex tribus*. ut ap. Polyaen. Strat. VIII, 6, et Ovid. Fast. II, 691; at maximus apud Dionys.

» quoque faciat: ne quam stirpem, ne quem haeredem regni relinquat. Se quidem inter tela et gladios patris elapsum, nihil usquam sibi tutum, nisi apud hostes L. Tarquinii, credidisse. Nam, ne errarent, manere his bellum, quod positum simuletur, et per occasionem eum incautos invasurum. Quod si apud eos supplicibus locus non sit, pererraturum se omne Latium: Volscosque[6] se inde, et Aequos, et Hernicos petiturum; donec ad eos perveniat, qui a patrum crudelibus atque impiis suppliciis tegere liberos sciant. Forsitan[7] etiam ardoris aliquid ad bellum armaque se adversus superbissimum regem ac ferocissimum populum inventurum ». Quum, si nihil[8] morarentur, infensus ira porro inde abiturus videretur, benigne ab Gabinis excipitur: vetant mirari, si, qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset. In se ipsum postremo saeviturum, si alia desint. Sibi verò gratum adventum eius esse: futurumque credere brevi, ut, illo adiuvante, ab portis gabinis sub romana moenia bellum transferatur.

6. ***Volscos*, *Aequos et Hernicos*** populos latini nominis, ut et *Gabini*.

7. *Forsitan se inventurum* eos, quibus animus esset ad bellum gerendum armaque capienda. — *Ferocissimum populum*, fortissimum (ut I, 25, 26, 59; II, 39, 56; III, 39, 41, 47; VII, 10, al.): nisi potius leg. *ferocissimum parentem*, h. e. crudelissimum. Baueri nota est: « Alienissima h. l. *ferocis populi* mentio, cum et omnino ferox tum populus rom. non esset, tyrannidis iugo pressus, nec Tarquinius utique ferociam populi esset expertus. Nisi forte Romanorum quoque, non regis tantum, odio incitare Gabinos volebat Sextus. Interim probabilis admodum Fabri emendatio, *patrem* legentis; cui tamen haud satis aptum videtur epith. *ferocissimum*. *Impium* rectius, aut simile quid, patri ἀστόργῳ adderet.

8. *Si nihil morarentur*, cum detinere nollent, et parum curarent; vid. inf. ad II, 24, n. 5. *Moverentur* in quibusdam MSS. Mox *si alii desint* coni. Gron. — Paris. codex *morarentur*, et *si alia desint*. Lem.

LIV. Inde in consilia[1] publica adhiberi: ubi, quum de aliis rebus assentire se veteribus Gabinis diceret, quibus hae notiores essent, ipse identidem belli auctor esse, in eo sibi praecipuam prudentiam assumere, quod utriusque populi vires nosset, sciretque invisam profecto superbiam regiam civibus esse, quam ferre ne liberi quidem potuissent. Ita quum sensim ad rebellandum primores Gabinorum incitaret, ipse cum promptissimis iuvenum praedatum atque in expeditiones iret et dictis[2] factisque omnibus ad fallendum instructis vana accresceret fides, dux ad ultimum belli legitur. Ibi quum, inscia multitudine quid ageretur, proelia parva inter Romam Gabiosque fierent, quibus plerumque gabina res superior esset, tum certatim summi infimique Gabinorum Sext. Tarquinium dono deum sibi missum ducem credere. Apud milites vero, obeundo pericula ac labores pariter, praedam munifice largiendo, tanta caritate esse, ut

Cap. LIV. 1. *Consilia publica*, al. *concilia* solemni variatione. *Consilia* est ant. lectio omnium fere MSS. et edd. ante Basil. 1555; vera utique, si vocabula illa, ut putant, ita differunt, ut *concilium* sit coetus hominum, qui audiendi, *consilium* conventus, βουλὴ, eorum, qui deliberandi causa conveniant; nec potius *concilium* a *concieo* omnis conventus dicitur. Cf. in pr. Gron. ad XLIV, 4, ubi docet, *consilium* esse vel publicum, senatum, XXIII, 2, 3, 22; XXIV, 22; XXVI, 13; vel militare, imperatorum, VIII, 6; IX, 15; XXII, 3; XXV, 31; XXVII, 46; XXVIII, 26, 29; XXX, 5; XXXI, 36; XXXII, 6, 9; XXXVII, 13, 15; XLII, 60; XLIV, 35, 37; XLV, 7, 26; vel praetorum, iudices et assessores, XXIX, 20; vel consiliarios regum et ducum regiorum, I, 34; XXXV, 17, 19; XXXVI, 43; XLII, 50, 57, 62; XLIII, 22; XLIV, 26; vel prudentiam et astum II, 44; XXXV, 36; XXXIX, 35; *concilium* vero comitia, s. conventum populi cuiusque, XXIV, 37; vel communem remp. coniunctorum populorum, XXXIX, 48; XLII, 44; vel congressum secretum, seu coitionem, IV, 6; vel conventum legatorum ab diversis populis sociis, XXXIII, 12, 13; XXXIV, 30. — *Superbiam*, v. ad c. 49, n. 1.

2. *Et dictis factisque omnibus ... vana accresceret fides*: ante Drak. post *et* et *instructis* interpungebatur; sed haec etiam iungi possunt, ut *dictis f.* o. sint dativi. Mox Bauero praeeunte post *pariter*, non post *labores* distinctionem posui, ne duo adverbia inconcinne iungantur.

non pater Tarquinius potentior Romae, quam filius Gabiis esset. Itaque, postquam satis virium collectum ad omnes conatus videbat, tum e suis unum sciscitatum Romam ad patrem mittit, quidnam se facere vellet, quandoquidem ut omnia unus Gabiis posset, ei dii dedissent. Huic nuntio, quia, credo, dubiae fidei videbatur, nihil voce responsum est: rex velut deliberabundus in hortum aedium transit, sequente nuntio filii: ibi, inambulans tacitus, summa [3] papaverum capita dicitur baculo decussisse. Interrogando, exspectandoque responsum nuntius fessus, ut re imperfecta, redit Gabios. Quae dixerit, ipse, quaeque viderit, refert: seu ira, seu odio, seu superbia insita ingenio, nullam eum vocem emisisse. Sexto ubi quid vellet parens, quidve praeciperet tacitis [4] ambagibus, patuit; primores civitatis, criminando alios apud populum, alios sua ipsos invidia opportunos interemit. Multi palam, quidam, in quibus minus speciosa criminatio erat futura, clam interfecti. Patuit qui-

3. *Summa papaverum capita* (apud Ovid. Fast. II, 706, *lilia*) *dicitur baculo decussisse*, vid. ad c. 11, n. 5.

4. *Tacitis ambagibus*, non directo et verbis, sed facto, symbolo, quod significaret, quid fieri vellet. Conf. ad c. 56, n. 12. — *Primores civitatis interemit*, *opportunos* quasi factos et idoneos ad consilium hoc exsequendum, alios ab eo, scil. *criminando eos apud populum*, alios a se ipsis, *invidia sua* et magno odio, quo apud cives erant. Sic VII, 23, *opportuniores* ad impetum in eos faciendum; *opportuna loca* (ad iniuriam primumque impetum obnoxia hosti vel periculis, ideoque praesidiis tuenda) III, 15; XXIV, 21; XXV, 30; XXVII, 28, et alibi; *opportuniores* VII, 23 n. 30; *opportunior bello* XXXII, 21, n. 12; *opportunus insidiantibus* XXIV, 37, n. 2, qui facile ab iis in fraudem inducitur, vel illis ob stuporem aut imprudentiam et temeritatem dat decipiendi nocendique *opportunitatem* (confer. ad I, 11, n. 1), unde mox *decipi posse* et *occasioni fraudis patere* synon. dicitur (cf. ad XXV, 16, n. 12); *opportuna* (obnoxia, exposita) *iniuriae* etc. II, 13; VI, 24; XXVIII, 19. — *Invidia sua*, quam habebant, iam sibique contraxerant suis factis, non criminationibus alienis. Sic fere *suum munus facere*, proprium, quod sibi, non tribunis, debeatur, II, 48.

busdam [5] volentibus fuga; alii in exsilium acti sunt, absentiumque bona iuxta atque interemptorum divisui [6] fuere. Largitionis inde praedaeque et dulcedine privati commodi, sensus malorum publicorum adimi, donec, orba consilio auxilioque, gabina res regi romano sine ulla dimicatione in manum traditur.

LV. Gabiis receptis, Tarquinius pacem cum Aequorum [1] gente fecit; foedus cum Tuscis renovavit. Inde ad negotia urbana animum convertit: quorum erat primum, ut Iovis templum in monte Tarpeio, monumentum regni sui nominisque relinqueret: Tarquinios [2] reges ambos, patrem vovisse, filium perfecisse. Et, ut libera [3] a ceteris religionibus area esset

5. *Patuit quibusdam volentibus fugere* in nonnullis MSS., prob. Drak. Cf. ad XXXVII, 33, n. 1. — Quamvis a secunda manu corrupta Paris. codicis scriptura, legitur tamen primae manus *fuga*. Lem. — *Alii in exsilium acti* e cod. Oxon. recepi cum Stroth. pro vulg. *aut in e. a.* — *Iuxta atque*, aeque ac, tum tum.

6. *Divisui* (vulg. *divisa*. — In Paris. codice a man. pr. *divisui*.) *fuere*, ad divisionem praedamque proposita sunt, ut XXXIII, 46, n. 6. Conf. ad XLV, 30, n. 1. — *Et privati dulcedine commodi* edit. Vascos. et inde aliae, forte rectius.

Cap. LV. 1. *Cum Aequorum gente et Tuscis*; vid. ad c. 32, n. 6, et ad c. 53, n. 5, 6.

2. *Tarquinios reges ambos, patrem* (immo avum, de quo vid. ad c. 40, n. 6) *vovisse* Capitolium in bello sabino, *filium perfecisse*. Cf. c. 38 extr.

3. *Libera a ceteris religionibus*, a celerorum deorum cultu, eorumque *fanis* et *sacellis*. *Fanum* proprie locus quicumque sacer, et diis vel templo *effatus*, s. sacratus (vid. X, 37 extr. nam pontifices et augures, locum consecrantes, verba solemnia *fantur*, s. *effantur*); deinde parva aedes deo alicui sacra, ut *sacellum*. Templa aliaque loca diis sacra solebant primum *voveri* certis de causis, deinde *definiri* et *terminari* (v. V, 50 pr.), h. e. fines eorum solique sacri constitui (unde *terminatio* XXXIV, 62, n. 4), tum *condi*, condita vero *effari* et *consecrari*, solemnibus verbis ritibusque e profanis sacra fieri, *inaugurari*, auguriis ad sacrum usum apta effici (v. ad cap. 36, n. 4), et *dedicari*, h. e. verbis solemnibus alicui *deo dicari*, et quidem plerumque vel ab imperatore, qui illa voverat, aut consule, re ad sortem fere a consulibus revocata (v. II, 8; IV, 29), vel a duumviris ad eam rem creatis, aut duumviris sacris faciundis (vid. II, 42; VI, 5; VII, 28; XXII, 33; XXIII, 21; XXXIV, 53; XXXV, 41; ad XXIII, 30, n. 8), interdum vero ob populi sive iram sive favorem ab aliis quoque (v. c. a primi pili centurione II,

tota Iovis, templique eius quod inaedificaretur, exaugurare fana sacellaque statuit, quae aliquot ibi a Tatio rege, primum in ipso discrimine adversus Romulum pugnae vota, consecrata, inaugurataque postea fuerant. Inter principia [4] condendi huius operis, movisse numen ad indicandam tanti imperii molem traditur deos: nam, quum omnium sacellorum axaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere: id omen auguriumque ita acceptum est: non motam Termini sedem, unumque eum deorum non evocatum sacratis sibi finibus, firma stabiliaque cuncta portendere. Hoc perpetuitatis auspicio accepto, se-

27, et a Flavio aedili curuli IX, 46), iussu senatus aut maioris tribunorum pl. partis, pontifice maximo verba dedicationis praeeunte, eoque, qui dedicabat, postem tenente templi; vide II, 8, 27; IX, 46, et de consecrationis dedicationisque ritibus in pr. Cic. pro domo c. 45–54. *Exaugurabantur* autem templa sive loca et *fines diis sacrati*, si numina auguriis certisque caeremoniis inde *evocabantur*, et loca sic *augurato* (augurio capto, ut I, 18) *liberabantur*, sc. a religione, vel ab aliis fanis (vid. V, 54 extr.), aut e sacris iterum profana efficiebantur; quo facto aliud ibi templum condi poterat.

4. *Inter principia condendi huius operis*, Capitolii (v. n. 10 ad Praef.), *traditur deos*, Iuventatem et Terminum, *movisse numen*, ostendisse et declarasse voluntatem suam: nam *numen* proprie dicitur voluntas eiusque indicium, monitum oraculumque dei (unde VIII, 34 pr. *dictatoris edictum pro numine semper observatum*), deinde eius potentia ac maiestas, vel auxilium et tutela, hinc vero ipse deus, eiusque vel natura, vel nomen ac titulus. Sed forte cum Schellero leg. *deus*, scil. Terminus; vel, quod Doering. putat, delendum voc. *deos*, ut sensus sit: *numen*, deorum voluntas et potestas, *traditur movisse*, sc. se (vid. ad II, 3, n. 2), se declarasse et patefecisse: nisi malis *monuisse*, quod est verbum propr. de vatibus, oraculis et diis, qui somniis vel prodigiis aliisque signis voluntatem suam et futura significant. Ceterum *Iuventatem* (nam ita propr. dictam hanc deam monet Gron. ad V, 54; XXI, 62; XXXVI, 36) *Terminumque*, cedentibus ceteris diis, *non moveri se passos esse*, sed restitisse, tradunt Dionys. III, 69; Flor. I, 7, et ipse Livius V, 54 extr. ubi itaque alios auctores, quam h. l. secutus videtur, ut passim; vid. ad I, 7, n. 5; I, 24, n. 2 et 5; IX, 44, n. 8; XXI, 3, n. 2; XXI, 56, n. 4; Drak. ad XLII, 47, §. 6. Conf. et supra Epitom. Hinc vero et mox forte leg. *non motum Terminum sede* vel *e sede*, h. e. templo suo, ut IV, 20; V, 39; XXXVIII, 43.

quutum aliud magnitudinem imperii portendens prodigium est : caput [5] humanum integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuisse. Quae visa species, haud[6] per ambages, arcem eam imperii, caputque rerum fore portendebat : idque ita cecinere vates, quique in urbe erant, quosque ad eam rem [7] consultandam ex Etruria acciverant. Augebatur ad impensas regis animus. Itaque pometinae [8] manubiae, quae perducendo ad culmen operi destinatae erant, vix in fundamenta suppeditavere; eo magis Fabio, praeterquam quod antiquior est, crediderim quadraginta[9] ea sola talenta fuisse, quam Pisoni, qui quadra-

5. *Caput humanum integra facie* etc. Cf. V, 54 extr. ad Sil. II, 410; Dionys. IV; Plin. XXVIII, 2 s. 4; Varr. L. L. IV, 3; Heyn. ad Virg. Aen. I, 444. Hinc *Capitolium a capite Toli* cuiusdam ibi invento dictum negantur Arnob. adv. gent. lib. VI, et alii.

6. *Haud per ambages*, verborum, ambigue et obscure dicta, ut II, 12, n. 7; V, 16, et IX, 37. *Arcem fore eam*, id Capitolium : sed *eam* dixit, relata voce ad *arcem*; nisi malis exponere *arcem eam imperii*, sc. arcem *fore*. *Arx* dicitur quidquid altum est, adeoque montes, vertex montis, quod in colle positum est, in pr. *ἀκρόπολις*, deinde munimentum et praesidium. *Arx* Romae pars altera Tarpeii montis, in quo erat Capitolium: ἡ ἄκρα τῷ Καπιτωλίῳ προστεχής ap. Dionys. lib. X, p. 640; cf. V, 47 pr. ad I, 11, n. 4; III, 45, n. 9, et Tac. Ann. XIV, 31, 6. *Arx et caput Italiae* Roma dicitur XXI, 35; XXII, 32, et *caput orbis terrarum* XXI, 30, ut h. l. *caput rerum*. *Arx et caput belli est, ubi Hannibal est* XXVIII, 42.— *Idque ita*, eodem modo, *cecinere*, praedixere.

7. *Ad eam rem consultandam*, vide ad c. 21, n. 1.

8. *Manubiae pometinae*, pecunia redacta ex praeda, ab incolis Suessae Pometiae capta et vendita; in pr. pars praedae, quam rex vel imperator capit. — De *Fabio* vide ad cap. 44, n. 5. L. Calpurnius *Piso* Frugi consul fuit an. Vrb. cond. 619, et Annales Orationesque scripsit.

9. *Quadraginta ea sola talenta fuisse* etc. recte pro *quadringenta* (quae lectio non nisi duorum MSS. et Dionysii IV, 50, auctoritate nititur) iam reposuit Stroth. quoniam 1.° consensu omnium fere MSS. et edd. antt. firmatur; 2.° Livius *talenta* et *millia pondo argenti*, adeoque eiusdem numeri, sibi opponit, neque alio sensu haec verba accipi possunt, quam hoc: *quadraginta* (substant. et subiectum) *ea*, quem numerum uterque memorat *sola*, solum, tantum, *talenta fuisse*, non tot *millia pondo argenti*; 3.° Livius contradiceret sibi, imo nugas proferret, si *quadringenta talenta* scripsisset, et mox *CCCC millia pondo* tam enormem vocasset *summam*, et tanto maiorem. *Talenta XL* aequant fere 50,000

ginta millia pondo argenti seposita in eam rem scribit; summam pecuniae, neque ex unius tum urbis praeda sperandam, et nullius [10], ne horum quidem magnificentiae operum fundamenta non exsuperaturam.

LVI. Intentus perficiendo templo, fabris undique ex Etruria accitis, non pecunia solum ad id publica est usus, sed operis etiam ex plebe: qui quum haud parvus et ipse militiae adderetur labor, minus tamen plebs gravabatur, se templa deum exaedificare manibus suis: quae posthac et ad alia, ut specie minora, sic laboris aliquanto maioris, traducebatur opera; foros [1] in circo faciendos, cloacamque maximam, receptaculum omnium purgamentorum urbis, sub terram agendam: quibus duobus operibus vix nova haec magnificentia quidquam adaequare potuit. His laboribus exercita plebe, quia et Vrbi multitudinem, ubi usus [2] non esset, oneri rebatur esse, et colonis mittendis occupari latius imperii fines volebat; Signiam [3] Circeiosque colonos misit, praesidia Vrbi futura terra marique. Haec agenti portentum [4] terribile vi-

imperiales nummos, adeoque *CCCC fere* 300,000 imperial, at *CCCC millia pondo* DCLXVI talenta et quod excurrit, vel fere 800,000 imp. Haec itaque summa longe maior est XL, non vero CCCC talentis.

10. *Et nullius* magnificentiae, nisi malis operis, *ne horum quidem operum*, quae nunc sunt, huius aetatis, *magnificentiae*, h. e. operum magnificorum *fundamenta*. Sic c. 56 *magnificentia haec nova*, Romae hodierna, vel qualis nunc est; et VI, 4 extr. *opus vel in hac magnificentia Vrbis conspiciendum*. Cf. ad c. 5, n. 1.

Cap. LVI. 1. *Foros in circo*, *cloacas* et *Capitolium*, opera a patre vel potius avo inchoata, et a filio vel nepote perfecta. Cf. cap. 35 extr. (ubi vid. n. 6) et 38 extr. Dionys. III et IV, pag. 200 et 246; Plin. XXXVI, 15; Salmas. ad Solin. p. 646.

2. *Vbi usus non esset*, si inutilis esset vel sine usu, h. e. nimis magna, quae nec satis laboribus exerceri nec ali posset.

3. *Signiam* (hod. *Segni*) *Circeiosque*, oppida in finibus Volscorum sita, et hoc quidem ad mare in promontorio Circaeo, hod. *Monte Circello*, ubi et portus fuit egregius; unde h. l. *terra marique*. Cf. II, 23.

4. *Portentum terribile*, *anguis ex columna lignea elapsus*, vid. ad c. 31, n. 1, et Heyn. ad Virgil. Aen. V, 84 sq. — *Quum terrorem fugamque*

sum: anguis ex columna lignea elapsus, quum terrorem fugamque in regiam fecisset, ipsius regis non tam subito pavore perculit pectus, quam anxiis implevit curis. Itaque quum ad publica prodigia etrusci tantum vates adhiberentur, hoc velut domestico exterritus visu, Delphos ad maxime inclytum in terris oraculum mittere statuit: neque responsa [5] sortium ulli alii committere ausus, duos filios per ignotas ea tempestate terras, ignotiora maria, in Graeciam misit. Titus et Aruns profecti: comes his additus L. Iunius [6] Brutus, Tarquinia sorore regis natus; iuvenis longe alius ingenio quam cuius simulationem induerat. Is quum [7] primores civitatis, in quibus fratrem suum ab avunculo interfectum audisset; neque [8] in animo suo quidquam regi timendum, neque in fortuna concupiscendum relinquere statuit, contemptuque tutus esse, ubi in iure parum praesidii esset. Ergo ex industria

in regiam fecisset, quum effecisset, ut ceteri perterriti fugerent in regiam: *in regia* emend. Bauer. quia visum fuerit domesticum. Columna vero non in ipsa fuit regia, sed extra eam. — *Publica prodigia* in locis publicis, ut in agris, templis, foro, vicis facta: hinc ad rei publicae sortem referri credita; Bauer. — *Domestico visu*, viso, ostento.

5. *Responsa sortium*, oraculi (κλήρου) quod Delphis, ut et alibi, per sortes, ψήφους, edebatur; vid. ad Iuvenal. I, 82.

6. *Brutus, Tarquinia sorore regis natus*: quam regis potius amitam, et filiam Tarquinii Prisci facit Dionys. Regis quoque et Bruti filios aetate fere aequales fuisse, ex historia coniurationis probabile fit. Cf. ad c. 40, n. 6.

7. *Is quum primores civitatis, in quibus*, h. e. et in his quoque (ut VI, 20, et XXIX, 29) *fratrem suum* etc. — *Interfectum* pro *interfectos*, verbo ad posterius nomen accommodato. Ad *primores civitatis* ex seqq. intellig. *interfectos*; Str. Vid. ad XXI, 43, 4. Ceterum non modo fratrem Bruti natu maiorem, in quo generosus elucescebat animus, sed et patrem eius clam occidendum curaverat tyrannus, ut illius potiretur opibus; vid. Dionys. IV, 64, 68.

8. *Neque in animo suo quidquam* etc., statuit et ingenium suum ita dissimulare, ut nullus inde metus regi relinqueretur, et *sua praedae esse regi sinere*, ut nihil superesset, quod ille *concupisceret*. Ita dissimulatione eius Romanos 25 per annos deceptos fuisse monet Dionys. IV, 77.

factus[9] ad imitationem stultitiae, quum se suaque praedae esse regi sineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen: ut sub eius obtentu cognominis liberator ille populi romani animus latens, [10] opperiretur tempora sua. Is tum ab Tarquiniis ductus Delphos, ludibrium verius quam comes, aureum baculum inclusum corneo cavato [11] ad id baculo tulisse donum Apollini dicitur, per ambages [12] effigiem ingenii sui. Quo postquam ventum est, perfectis patris mandatis, cupido incessit animos iuvenum, sciscitandi ad quem eorum regnum romanum esset venturum. Ex infimo [13] specu vocem redditam ferunt: *Imperium summum Romae habebit, qui vestrum primus, o iuvenes, osculum matri tulerit.* Tarquinii, ut Sextus, qui Romae relictus fue-

9. *Factus ad imitationem stultitiae*, quum ad eam se formasset totumque finxisset, vel personam *Bruti*, h. e. stupidi hominis sibi accommodasset. Hinc et tribunus Celerum factus est, adeoque regi proximus dignitate; vid. Dionys.

10. *Opperiretur*, exspectaret, *tempora sua*, opportuna, sibi faventia suis consiliis exsequendis idonea, ut *tempore tuo pugnasti* XXXVIII, 45 extr. *sua tempora exspectare* IV, 7. Sic XXII, 39 extr. *ne occasioni tuae desis*, neque *suam occasionem hosti des*; XXIII, 41, n. 5, *aestu suo* (secundo) *Locros traiecit*; XXXVIII, 43, n. 8, *Ambracienses suos*; IX, 19, *nunquam nostris locis*, qui nobis favebant et opportuni, vel solerter a nobis capti erant et explorati, *laboravimus* (vide ad III, 31, n. 1); IV, 58 pr. *ex incommodo alieno suam*, sui commodi, *occasionem petere*, ut apud Terent. Andr. IV, 1, 5, *malis gaudere alienis*, *atque incommodis alterius sua comparare commoda*. Conf. ad XLII, 43, n. 2. Sic passim *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester* dies, ventus, deus etc. σὴ νῦν ἡμέρα, σὸς ὁ καιρὸς Polyb. XVII, 18, et al. — *Liberator ille populi rom. animus*; vid. Bentl. ad Hor. Od. IV, 9, 37. *Liberator* pro liberatoris, vel in quo animo delitesceret et turgeret consilium liberandi populi; Bauer.

11. *Baculo cavato ad id* consilium ut aurei baculi theca esset; *corneo*, e corni ligno duro. De voce *baculus* bis posita vid. ad I, 3, n. 8.

12. *Per ambages*, obscuram *effigiem ingenii sui*, praeclari et sub vili stupidi hominis specie latentis.

13. *Ex infimo specu*, antro, χάσματι, in Parnasso, cui tripos imponebatur, et ex quo Pythia tripodi insidens dei afflatum excipiebat. Bauerus haec eo refert, quod Pythia, tripodi alias in spelunca insidens, nonnunquam, quo plenior deo fieret, in imam speloncam descendere coacta sit. Ceterum Romani raro consulebant oraculum delphicum (conf. V, 15 sq. et XXIX, 10), et plerumque augures.

rat, ignarus responsi expersque imperii esset, rem summa ope taceri iubent; ipsi inter se, uter prior, quum Romam redissent, matri osculum daret, sorti permittunt. Brutus, alio ratus spectare pythicam vocem, velut si prolapsus [14] cecidisset, terram osculo contigit: scilicet, quod ea communis mater omnium mortalium esset. Reditum inde Romam, ubi adversus Rutulos bellum summa vi parabatur.

LVII. Ardeam Rutuli habebant, gens, ut in ea regione atque in ea aetate, divitiis praepollens: eaque ipsa causa belli fuit, quod rex romanus tum ipse ditari, exhaustus magnificentia publicorum operum, tum praeda delinire popularium animos studebat; praeter [1] aliam superbiam, regno infestos etiam quod se in fabrorum ministeriis ac servili tamdiu habitos opere ab rege indignabantur. Tentata res est, si primo impetu capi Ardea posset: ubi id parum processit, obsidione munitionibusque coepti premi hostes. In iis stativis, ut fit, longo magis quam acri bello, satis [2] liberi commeatus erant: primoribus tamen magis, quam militibus. Regii quidem iuvenes interdum otium conviviis comessationibusque inter se terebant. Forte

14. *Velut si prolapsus cecidisset*, duplex pleonasmus; Bauer.

Cap. LVII. 1. *Praeter aliam superbiam*, alia superbiae argumenta: *regno infestos etiam*, regi et omnino dominationi unius; *superbiam regni* malebat Bauer. — *Habitos*, detentos et vexatos. Mox in vett. libris legitur: *Tentata res est primum, si primo impetu* etc. Non vero adverbium, sed epitheton delendum esse, iam bene, opinor, monuit Gron. *Si* pro *an*, ut II, 25, 35; IV, 20, n. 7; V, 42; X, 16; XXVII, 14; XXX, 16, n. 4; XXXI, 9, 54 al.

2. *Satis liberi commeatus erant*, saepe ac facile dabatur *commeatus*, h. e. venia abeundi ab exercitu, potestas Romam aliove proficiscendi. Cf. ad XXV, 8, n. 6. — *Comessatio*, seu *comissatio*, *κῶμη*, convivium nocturnum et tempestivum, in pr. compotatio, et eorum, qui ebrii et coronis redimiti, cum facibus musicisque instrumentis per plateas (*κώμας*) discursitare (*κωμάζειν*), et inter lascivas cantilenas saltationesque ad amicarum fores concurrere solebant.

potantibus his apud Sext. Tarquinium, ubi et Collatinus[3] coenabat Tarquinius, Egerii filius, incidit de uxoribus mentio: suam quisque laudare miris modis. Inde certamine accenso, Collatinus negat *verbis opus esse; paucis id quidem horis posse sciri, quantum ceteris praestet Lucretia sua. Quin, si vigor iuventae inest, conscendimus equos, invisimusque praesentes nostrarum ingenia? Id cuique*[4] *spectatissimum sit, quod nec opinato viri adventu occurrerit oculis.* Incaluerant vino: *Age sane*, omnes. Citatis equis avolant Romam. Quo quum, primis[5] se intendentibus tenebris, pervenissent, pergunt inde Collatiam: ubi Lucretiam, haudquaquam ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in[6] medio aedium sedentem inveniunt. Muliebris[7] certaminis laus penes Lucretiam fuit: adveniens vir Tarquiniique excepti benigne: victor maritus comiter

3. *Tarquinius Collatinus, Egerii filius*, vid. ad c. 34, n. 3. — *Quin conscendimus equos*, alii *conscendamus.* Vtrumque recte dicitur; sed plerumque indicativo iungitur *quin*, particula solemnis semet aliosve incitantium. Exempla vide ap. Drak. ad h. l. Cort. ad Sallust. Cat. 20; Heins. ad Ovid. Am. II, 19, 59, et in Schelleri Lexico.

4. *Id cuique spectatissimum sit*, sc. mulierum ingenium. *Spectata* dicuntur certis experimentis, an proba sint, nec ne, explorata et cognita, in pr. metalla, nummi, histriones et gladiatores; unde *spectaculum*, *spectatio* et *spectamen* pro specimine et experimento. — *Age sane, omnes*, sc. exclamant.

5. *Primis se intendentibus*, sc extendentibus, dispersis, *tenebris*, ut de nocte VII, 28, n. 3; cui amictum, vela et peplum tribuunt poëtae. Mox *in convivio lusuque* malebat Gron.

6. *In medio aedium*; nam *telae ex vetere more in atrio texebantur*, ut utar verbis Cic. pro Mil. cap. 5. Cf. Lips. Elect. I, 17.

7. *Muliebris certaminis*, h. e. de mulieribus, ut fere *certamen regni et iuris* I, 17; XXI, 6, 31; *timor et terror externus, servilis, peregrinus*, h. e. ob hostem externum et servos, II, 39; III, 10, 16; XXVIII, 42; XXXIV, 25; *scelera divina et humana*, in deos hominesque commissa, III, 19; XXIX, 18; *odia externa et domestica*, h. e. hostium et civium, II, 45; aliaque adiectiva, obiectum notantia.

invitat regios iuvenes. Ibi Sext. Tarquinium mala libido Lucretiae per vim stuprandae capit: tum forma, tum spectata castitas incitat. Et tum quidem ab nocturno iuvenili ludo in castra redeunt.

LVIII. Paucis interiectis diebus, Sex. Tarquinius, inscio Collatino, cum comite uno Collatiam venit: ubi exceptus benigne ab ignaris consilii, quum post coenam in hospitale cubiculum deductus esset, amore ardens, postquam [1] satis tuta circa, sopitique omnes videbantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam venit, sinistraque manu mulieris pectore oppresso, *Tace, Lucretia,* inquit; *Sext. Tarquinius sum; ferrum in manu est: moriere, si emiseris vocem.* Quum pavida ex somno mulier nullam opem, prope mortem imminentem videret; tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebrem animum: ubi obstinatam videbat, et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus: cum mortua iugulatum servum nudum positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. Quo terrore quum vicisset obstinatam pudicitiam velut victrix libido, profectusque inde Tarquinius, ferox expugnato decore muliebri, esset; Lucretia, moesta tanto malo, nuntium Romam eundem ad patrem, Ardeamque ad virum mittit, ut cum singulis fidelibus amicis veniant: ita facto maturatoque opus esse; rem atro-

Cap. LVIII, 1. *Postquam satis tuta*, scil. *omnia*, quod voc. in seq. *omnes* latet, et sine necessitate additur in Edd. ab Ald. Vid. Drak. *Pavida ex somno*, quippe repente somno excussa, vel cum pavore excussa somno; Bauer. Idem monet, mox *versare in omnes partes muliebrem animum* dici, pro omnibus machinis, minis, precibus, sollicitare, et *omnes partes* hic non esse consilia varia, res varias, ut apud Virg. Aen. IV, 286, et VIII, 21; sed argumenta, causas ad persuadendum compositas, locutione petita ab arbore, quae prolabi coacta in omnes partes trahatur, ut ex una ruat, sin minus ex altera. — *In sordido adulterio*, cum homine sordido, servo.

cem incidisse. Sp. Lucretius [2] cum P. Valerio Volesi filio, Collatinus cum L. Iunio Bruto venit; cum quo forte Romam rediens ab nuntio uxoris erat conventus. Lucretiam sedentem moestam in cubiculo inveniunt: adventu suorum lacrymae obortae: quaerentique viro, *Satin* [3] *salvae? Minime*, inquit; *quid enim salvi est mulieri, amissa pudicitia? Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo. Ceterum corpus est tantum violatum: animus insons: mors testis erit. Sed date dextras fidemque, haud impune adultero fore. Sext. est Tarquinius, qui hostis pro hospite priore nocte vi armatus mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum* [4] *hinc abstulit gaudium.* Dant ordine omnes fidem: consolantur aegram animi, avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti: mentem peccare, non corpus: et unde consilium abfuerit, culpam abesse. *Vos*, inquit, *videritis quid illi debeatur: ego me, etsi peccato absolvo, supplicio non libero: nec ulla deinde impudica Lucretiae exemplo vivet.* Cultrum, quem sub veste [5]

2. *Sp. Lucretius* Tricipitinus, pater Lucretiae, praefectus urbi a rege relictus (vid. cap. 59), *cum P. Valerio* Poplicola, *filio Volesi*, s. Volusi (al. *Valesi*; unde *Valesius* et postea *Valerius Romae* dictus) Sabini, qui cum Tatio Romam commigraverat; vide Dionys. II, 46. *Collatinus* Tarquinius, maritus Lucretiae (vid. ad cap. 34, n. 3), *cum L. Iunio Bruto*, Tarquinia sorore regis nato, et tribuno Celerum; vide cap. 56 et 59. Collatinus et Brutus simul fere cum Lucretio et Valerio Collatiam veniunt, postquam eos, *Romam forte una redeuntes*, *nuntius uxoris convenerat* in via.

3. *Satin'* (satisne) *salvae*, scilic. res sunt? num omnia bene se habent? ut III, 26; VI, 34; X, 18; XL, 8, et in pr. ap. comicos. Conf. Duk. — *Vestigia viri alieni in lecto sunt tuo*, ut apud Prop. II, 29, 35, et Tibull. I, 9, 57; ubi vid. Broukhus. Μηνύματα συζυγίας dixit Aristaenet. Epist. II, 22, et forte sic μνημόσυνον Meleager carm. 103, 4; in Brunck. Anal. t. I, pag. 27. Honestissimam rei inhonestae descriptionem et generosae indignationis plenam in his et seqq. verbis iam notarunt alii.

4. *Pestiferum hinc abstulit gaudium*, ut apud Virgil. Aen. IV, 29; *amores abstulit*; Ernest.

5. *Cultrum, quem sub veste, a. h.; eum*; vide ad cap. 19, n. 1, nisi pro *eum* legere malis *tum* suadente Schell.

abditum habebat, eum in corde defigit: prolapsaque [6] in vulnus, moribunda cecidit. Conclamant vir paterque.

LIX. Brutus, illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiae extractum, manantem cruore prae se tenens, *Per hunc*, inquit, *castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro, vosque, dii, testes facio, me L. Tarquinium Superbum, cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe, ferro, igni, quacumque dehinc vi possim, exsequuturum* [1]; *nec illos, nec alium quemquam regnare Romae passurum.* Cultrum deinde Collatino tradit; inde Lucretio ac Valerio, stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium. Vt praeceptum [2] erat, iurant: totique ab luctu versi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. Elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt, concientque miraculo, ut fit, rei novae atque indignitate homines: pro se quisque [3] scelus regium ac vim queruntur. Movet tum patris moestitia, tum Brutus, castigator lacrymarum atque inertium querelarum, auctorque, quod viros, quod Romanos deceret, arma capiendi adversus hostilia ausos. Ferocissimus quisque iuvenum cum

6. *Prolapsa in vulnus*, vulnere accepto, ut *in vulnus cadere*, *corruere*, *devolvi* apud Lucret. IV, 1042; Virg. Aen. X, 488; Stat. Theb. IV, 463, et Sil. II, 129. Sic et infra II, 46, *praeceps Fabius in vulnus abiit*, delapsus ex equo, et corruens in pectus mortifere vulneratum. Cf. Burm. ad Quintil. declam. IX, 5.

Cap. LIX. 1. *Me*, *L. Tarquinium* ... *exsequuturum*, persequuturum, expulsurum, vel vindicaturum, ulturum; nisi malis cum Gron. reponere *exacturum*, quoniam *exsequi* de rebus tantum, non de hominibus adhibetur. — *Exsequi* inusitatum quidem de personis, sed vetant libri omnes, teste ipso Gronovio, quidquam mutari. Lem. — *Ferro, igni, quacumque vi possim* plane ut II, 10. Copula et omissa.

2. *Vt praeceptum erat* a Bruto, et secundum formulam iurisiurandi, quam praeiverat.

3. *Pro se quisque queruntur*, vid. ad cap. 41, n. 1.

armis voluntarius adest: sequitur et cetera iuventus. Inde, pari [4] praesidio relicto Collatiae ad portas, custodibusque datis, ne quis eum motum regibus nuntiaret, ceteri armati, duce Bruto, Romam profecti. Vbi eo ventum est, quacumque incedit armata multitudo, pavorem ac tumultum facit. Rursus, ubi anteire primores civitatis vident, quidquid sit, haud temere esse rentur. Nec minorem motum animorum Romae tam atrox res facit, quam Collatiae fecerat. Ergo ex omnibus locis urbis in forum curritur. Quo simul ventum est, praeco [5] ad tribunum Celerum, in quo tum magistratu forte Brutus erat, populum advocavit. Ibi oratio habita, nequaquam eius pectoris ingeniique, quod simulatum ad eam diem fuerat, de vi ac libidine Sext. Tarquinii, de stupro infando Lucretiae et miserabili caede, de orbitate [6] Tricipitini cui morte filiae causa mortis indignior ac miserabilior esset: addita superbia ipsius regis, miseriaeque et labores plebis in fossas cloacasque exhauriendas demersae. Romanos homines, victores omnium circa populorum, opifices ac lapicidas pro bellatoribus factos. Indigna Serv. Tullii regis memorata caedes, et invecta corpori patris nefando vehiculo filia; invocatique ultores parentum dii. His atrocioribusque, credo, aliis, quae [7] praesens rerum indignitas haudquaquam

4. *Pari praesidio*, satis firmo, sufficiente, scil. ad impetus regis arcendos. Sed egregie emend. Gron. *Inde pars praesidio relicti Collatiae*, *ad portas custodibus datis* etc. Ita *pars*, quod etiam in uno MS. legitur, et *ceteri* bene sibi opponuntur.

5. *Praeco ad tribunum Celerum populum advocavit*, non ad praefectum urbi, Lucretium, quia hic magistratus minor fuisse videtur (cf. ad cap. 15, n. 5, et 56, n. 9), vel quia Lucretius tum forte erat Collatiae, non Romae: nam comitia certe consularia a praefecto urbis habita fuisse scribit Livius cap. 60 extr. sed a Lucretio interrege, non praefecto urbis, rectius tradit Dionysius.

6. *Tricipitini* Lucretii. Cf. ad c. 58, n. 2.

7. *Aliis, quae praesens rerum indignitas subiicit*, quas cogitationes in-

relatu scriptoribus facilia subiicit, memoratis, incensam multitudinem perpulit, ut imperium regi abrogaret, exsulesque esse iuberet L. Tarquinium cum coniuge ac liberis. Ipse iunioribus, qui ultro nomina dabant, lectis armatisque, ad concitandum inde adversus regem exercitum, Ardeam in castra est profectus; imperium in urbe Lucretio, praefecto [8] urbis iam ante ab rege instituto, relinquit. Inter hunc tumultum Tullia domo profugit, exsecrantibus, quacumque incedebat, invocantibusque parentum furias viris mulieribusque.

LX. Harum rerum nuntiis in castra perlatis, quum re nova trepidus rex pergeret [1] Romam ad comprimendos motus, flexit viam Brutus, senserat enim adventum, ne obvius fieret; eodemque fere tempore, diversis itineribus, Brutus Ardeam, Tarquinius Romam, venerunt. Tarquinio clausae portae, exsiliumque indictum: liberatorem Vrbis laeta castra accepere; exactique inde liberi regis. Duo patrem sequuti sunt, qui [2] exsulatum Caere in Etruscos ierunt. Sext. Tarquinius [3] Gabios, tanquam in suum regnum, profectus, ab ultoribus veterum simultatum, quas sibi ipse caedibus rapinisque conciverat, est interfectus. L. Tarquinius Superbus regnavit annos quinque et vi-

iicit seu iniicere solet scil. animo seu oratori; ut *quae dolor querentibus subiicit* III, 48 ext. *idem subiecit* mihi *ratio* XXVI, 41, n. 9; et *has mihi spes subiicit, iniicit, dat, fortuna* XXVIII, 44. Conf. ad XXIX, 15, n. 1; XXX, 32, n. 2; XL, 9, n. 4; XLIV, 24, n. 1. Sed h. l. forte legendum *subiecit*.

8. *Praefecto urbis*, de quo vid. ad III, 3, n. 1. — *Invocantibus parentum furias*, vindices parricidii. Cf. ad XL, 10, n. 1.

Cap. LX. 1. *Pergeret Romam*, v. ad cap. 6, n. 6. — *Flexit viam Brutus*, de via deflexit. Mox *accepere* pro *excepere*, ut V, 21 pr. XXXVIII, 25, n. 5, al.

2. *Exsulatum Caere ivit* rex VI Kal. Mart. qui dies *Regifugium*, dictus est; vid. Interpp. Ovid. Fast. II, 686, et Macrob. Sat. I, 12.

3. *Sextus Tarquinius Gabios, tanquam in suum regnum* etc. Cf. c. 53, et ad II, 19, n. 4.

ginti. Regnatum [4] Romae ab condita urbe ad liberatam, annos ducentos quadraginta quatuor. Duo consules inde comitiis centuriatis a praefecto urbis ex commentariis [5] Serv. Tullii creati sunt, L. Iunius Brutus, et L. Tarquinius Collatinus.

4. *Regnatum Romae* est, reges imperium tenuere.

5. *Ex commentariis Servii Tullii*, secundum rationem comitiorum habendorum et centuriarum, a Servio institutam et descriptam in *commentariis*, h. e. libris, in quibus memoriae causa res perscribuntur memorabiles. Ex formula imperii regendi, descripta fortasse a Servio, quum deponere imperium in animo haberet; de quo vid. cap. 48 extr. ei in animo esset, imperio se abdicare (vid. cap. 48 extr.); Ern.

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARVM
AB VRBE CONDITA
LIBER SECVNDVS

BREVIARIVM.

Cap. I; Brutus, libertatis tempestive reipub. assertae non acrior vindex quam custos, populum iureiurando adigit, se neminem Romae passuros regnare; et senatum ad summam ccc explet, primoribus equestris gradus lectis. — II; Rex sacrificulus. Tarquinius Collatinus, ob regium genus nomenque invisus, cogitur Vrbe cedere, et consul ei sufficitur P. Valerius. — III; Coniuratio iuvenum de recipiendis regibus. — IV; Capita eius sunt Aquillii, filii sororis Collatini, Vitellii, quorum soror Bruto nupta erat, huiusque filii, Titus Tiberiusque. Servus rem ad consules defert. — V; Tarquiniorum bona direpta, et ager consecratus. Marti. Campus Martius. Insula Tiberina. Supplicium a proditoribus sumptum. Servus ille, Vindicius, primum vindicta liberatus, — VI; Tarquinii, contractis Veientium Tarquiniensiumque copiis, in agrum rom. veniunt. Brutus et Aruns Tarquinius infestis animis concurrunt et duabus haerentes hastis moribundi ex equis labuntur. Pugna atrox et dubia. — VII; Nocte Etrusci domos suas abeunt. Publica moestitia ob mortem Bruti. Valerius, regnum affectare creditus, submissis fascibus in concionem venit populi et crimen diluit. — VIII; Leges fert de provocatione ad populum, et adversus regni occupandi consilium: unde ei datur cognomen Publicolae, s. Poplicolae. Bruto sufficitur Sp. Lucretius, et huic, intra paucos dies mortuo, M. Horatius Pulvillus. Huic sorte evenit dedicatio aedis Capitolinae. — IX; Tarquinii ad Porsenam, Clusinum regem, perfugerant; is eorum precibus motus, romanum agrum cum infesto exercitu invadit. — X; Horatius Cocles, Sp. Lartius et T. Herminius hostes, pontem sublicium transituros, repellunt. — XI; Vrbs obsidetur. — XII; Magnum audaxque

facinus C. Mucii Scaevolae. — XIII; Virtus Cloeliae. Pax. — XIV; Porsena cum parte copiarum Aruntem filium Ariciam oppugnatum mittit; sed omnes fere pereunt, et pauci perfugiunt Romam. His locus ad habitandum datus, qui dictus deinde Tuscus vicus. — XV; Porsena legatos frustra mittit de reducendo in regnum Tarquinio, isque exsulatum abit Tusculum ad generum. — XVI; Bellum cum Sabinis. Attus Clausus Sabinus, cui postea Ap. Claudio fuit Romae nomen, cum magna clientium manu ab Regillo Romam transfugit et inter Patres legitur. Vetus Claudia tribus. Mors Valerii. Bellum cum Auruncis, ad quos Pometia et Cora defecerant. — XVII; Pometia oppugnatur et diruitur. — XVIII; Bellum Sabinis indictum et Latinis, quorum xxx populos concitaverat Octavius Mamilius. Primus dictator T. Lartius vel M'. Valerius. Tacitae induciae cum Sabinis. — XIX; A. Postumius dictator et T. Aebutius magister equitum ad lacum Regillum in agro Tusculano occurrunt Latinis, quorum duces sunt Tarquinius Sup. eiusque gener; et omnes ferme proceres, praeter dictatorem rom., vulnerantur. — XX; M. Valerii, Mamilii et T. Herminii mors. Ingens Latinorum clades. — XXI; Aedes Saturni et Saturnalia. Tarquinius moritur Cumis. Romae tribus xxi factae. XXII; Bellum cum Volscis. Foedus cum Latinis factum. — XXIII; Seditio ob aes alienum. — XXIV; Comprimitur pollicitationibus P. Servilii cos. ac terrore, quem adventus Volscorum incutit: et omnes nexi dant nomina. — XXV; Pulsi hostes castrisque exuti. Suessa Pometia capta et praedae data. — XXVI; Victi Sabini, et mox Aurunci. — XXVII; Recrudescit seditio plebis propter nexos ob aes alienum, et malum augetur timore sabini belli. Dedicatio aedis Mercurii M. Laetorio, primi pili centurioni, data. Servilius fidem praestare non potest, contra nitente Ap. Claudio collega omnique factione nobilium. Clamores aperti; secessio occultaque colloquia. — XXVIII; Coetus nocturni in Esquiliis et Aventino. Trepidatio novorum consulum, A. Virginii et T. Vetusii. Clamores et indignatio Patrum. Delectu indicto ad nomen nemo respondet. — XXIX; Repulsi lictores, missi a consulibus, delectum habentibus. Tumultus in senatu, et variae sententiae. — XXX; Volsci, Aequi et Sabini arma parant. Dictator M. Valerius dicitur, vir mansueti ingenii. Volsci et Aequi funduntur. — XXXI; Sabinis magna infertur clades. Valerius frustra ad senatum refert de nexis, et dictatura se abdicat.

— XXXII; Legiones, sacramento nondum solutae, educi ex Vrbe iubentur: sed, Sicinio auctore, in sacrum montem secedunt. Mentes plebis flectit Menenius Agrippa, orator ad eam missus. — XXXIII; plebs reducta. Tribuni plebis duo aut quinque, lege sacrata, creati. Oppida Volscorum capta, Longula, Polusca et Corioli: posterius maxime C. Marcii virtute. Mors Menenii. — XXXIV; Caritas annonae. C. Marcius Coriolanus auctor est senatui, ut utantur hac occasione recuperandi iura, vi Patribus a plebe extorta.—XXXV; Hinc ei dies dicitur a tribunis, et absens damnatus in Volscos exsulatum abit, ubi hospitio utitur Attii Tulli. — XXXVI; Ludi magni instaurantur ob somnium Ti. Atinii de praesultatore Iovi ingrato, ad quod senatui nuntiandum ille morbo et filii morte compellitur. — XXXVII; Volsci, qui ludorum causa Romam confluxerant, auctore Attio Tullo, materiam belli quaerente, tanquam suspecti homines, Roma excedere iubentur. — XXXVIII; Hinc irarum pleni instigatique ab Attio deficiunt a Romanis. — XXXIX; Ducibus Attio Tullo et C. Marcio Coriolano oppida Romanis adimunt; et frustra legati ab his ad Marcium mittuntur. — XL; Tum Veturia, mater Coriolani, et Volumna uxor, duos parvos ex eo ferens filios, cum matronis in castra hostium eunt, tandemque franguut virum. Templum Fortunae Muliebris. Volsci, Aequi et Hernici devicti. — XLI; Lex agraria primum promulgata. Sp. Cassius consul, dimidiam agri publici partem plebi, dimidiam Latinis divisurus, abdicato magistratu damnatur necaturque. — XLII; Volsci Aequique aliquoties fusi. Castoris aedes dedicata. Animi plebis dulcedine legis agrariae saepius his annis, sed frustra sollicitati. Bellum Veiens initum. Prodigia. Oppia, virgo Vestalis, damnata incesti. — XLIII; Aequi et Veientes bellum inferunt Romanis. Sp. Licinius trib. pl. frustra delectum impedit. Hostibus ab equitatu rom. fusis, pedes non vult insequi fugientes. — XLIV; Ti. Pontificio trib. pl., novo legis agrariae auctori et delectum impedienti, collegae intercedunt. — Bellum Veiens, quo auxilia undique ex Etruria conveniunt. — XLV; Castris se tenent consules, neque prius militibus pugnam poscentibus signum dant, quam omnes iurarunt, victores se inde redituros. — XLVI-XLVII; Proelium atrox. Fabia gens, in qua tum temporis continui erant consulatus, insignis spectaculo exemploque est civibus. Victoria pariter egregia, sed tristis funeribus Cn. Manlii cos. et Q.

Fabii. — XLVIII; Fabia gens deposcit sibi bellum gerendum cum Veientibus, hoste assiduo magis et latrocinante, quam timendo ac bellante. — XLIX; Fabii CCCVI ad Cremeram fl. perveniunt, et populantur agros hostium. — L; Quin et aliquoties iustis in proeliis sunt superiores. Tandem caeduntur omnes, et de clarissima gente unus tantum superest impubes, domi relictus. — LI; Veientes Ianiculum occupant, et varia saepius fortuna pugnant. Proximo anno occidione occiduntur. — LII; Turbae domesticae. Damnatio T. Menenii, et accusatio Sp. Servilii, consularium. — LIII; Bella cum Veientibus, Sabinis, Volscis Aequisque. — LIV; Lex agraria iterum agitatur. Cn. Genucius trib. pl. L. Furium et C. Manlium coss. magistratu abeuntes facit reos, et occiditur. — LV; Delectu edicto Volero Publilius, de plebe homo, qui iam ordines duxerat, negat, se militem fieri debere, et ad populum provocat. Violantur lictores Patresque trepidant. — LVI; Volero Publilius tribunus pl. creatur, et rogationem fert ad populum, ut plebeii magistratus tributis comitiis fiant. Proximo anno Laetorius trib. pl. hanc legem perferendam suscipit, et ad Ap. Claudium cos. viatorem, hic vero lictorem ad illum mittit. Res paene venit ad manum. — LVII; Aegre sedatur a T. Quinctio cos. plebs, multo aegrius collega eius a Patribus, et lex Publilia silentio perfertur. — LVIII; Volscum Aequicumque bellum cooritur, et hoc Quinctio evenit, illud Appio, qui plebi militibusque invisus est. — LIX; Exercitus Appii vinci vult, et bis fugam capit. Hinc signiferi, centuriones duplicariique virgis caesi percutiuntur securi, et cetera multitudo decimantur. — LX; Quinctius consul Aequorum agros populatur, et ingentem militi dat praedam. — LXI; Appius, acerrimus legis agrariae adversarius, accusatur morboque moritur ante diem, a M. Duilio et C. Sicinio ei dictam. — LXII; L. Valerius et Ti. Aemilius coss. vastant hostium agros, ille Aequorum, hic Sabinorum. — LXIII-LXV; Bella cum Volscis, Aequis Sabinisque, et expugnatio Antii.

CAP. I. Liberi iam hinc populi romani res pace belloque gestas, annuos magistratus, imperiaque legum potentiora, quam hominum, peragam [1]. Quae libertas ut laetior esset, proximi regis superbia fecerat: nam priores ita regnarunt, ut haud immerito [2] omnes deinceps conditores partium certe Vrbis, quas novas ipsi sedes ab se auctae multitudini addiderunt, numerentur: neque ambigitur, quin Brutus idem, qui tantum gloriae, Superbo exacto rege, meruit, pessimo publico [3] id facturus fuerit, si libertatis immaturae cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset. Quid enim futurum fuit, si illa pastorum convenarumque plebs, transfuga ex suis populis, sub tutela [4] inviolati templi, aut libertatem, aut certe

CAP. I. 1. *Peragam*, persequar, exponam, *annuos magistratus imperiaque legum, potentiora quam hominum*, h. e. liberae civitatis (cuius haec est descriptio, immo plane definitio; Bauer.) statum, qui legibus continetur, quarum vis est maxima et efficacissima, immo divina et immutabilis; in qua non, ut in hominum potestate, locus est vel gratiae et irae (vid. cap. 3 pr.), vel libidini et arbitrio, vel denique fortunae, quibus infringi possit. — Mox suspicari possis *regnarant* et *numerarentur*, quia praecedit *fecerat*. Sed Wolf. ad Suet. Caes. 84, iam monuit, apud historicos multa non per relativam constructionem dici, sed absolute vel ἀορίστως narrari; et utrumque genus constructionis rectum esse interdum, alterum vero praelatum a bonis scriptoribus.

2. *Vt haud immerito omnes deinceps*, singuli ordine seu continuo (vid. ad cap. 44, n. 6), *numerarentur*, recenseantur et habeantur, *conditores* (vid. ad V, 24, n. 7), si non *Vrbis*, *certe partium* eius, *quas novas ipsi* Vrbi *addiderunt*, tanquam, vel ut essent *sedes multitudini ab se auctae*, vel quas in gratiam et usum multitudinis ab se auctae addiderunt; nisi *addiderunt* est id. q. *dederunt*, assignarunt, *ipsi* conditores *multitudini*, vel e recentt. libris leg. *multitudinis*. Pro *certe* alii *coeptae* prob. Bauero, cui τὸ *certe* videtur paene frigere.

3. *Pessimo publico*, maximo reip. damno, ut ap. Varr. R. R. I, 13 extr. Sic et *malum publicum* IV, 44, et contra *bonum publicum* II, 44; IX, 38 al. et *egregium publicum* ap. Tac. Ann. III, 70 extr. Similiter *publicum divinum* VIII, 10, n. 12 et al.

4. *Sub tutela inviolati*, inviolabilis (ut III, 55; VIII, 34; XLV, 5 pr.), *templi*, asyli, vel potius templi, quod Romulus, quum asylum aperiret, exstruxerat, tanquam locum sacrum, ubi nemo violandus esset. Cf. Dionys. II, 15 extr. et sup. ad II, 6,

impunitatem adepta, soluta regio metu, agitari [5] coepta esset tribunitiis procellis; et in aliena urbe cum Patribus [6] serere certamina, priusquam pignera [7] coniugum ac liberorum, caritasque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, ánimos eorum consociasset? Dissipatae res [8] nondum adultae discordia forent: quas fovit tranquilla moderatio imperii, eoque nutriendo perduxit, ut bonam frugem libertatis maturis iam viribus ferre possent. Libertatis [9] autem originem inde, magis quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres. Omnia iura, omnia [10] insignia primi consules tenuere: id [11] modo cautum

n. 4. — *Regia metu*, regum, a regibus. — *Soluta metu*, non quo antea teneretur, sed plane ab initio non metuens; Bauer.

5. *Agitari coepta esset*, ut bis XXI, 8, et XXVI, 46. Sed *coepisset* conj. Ern. quia hoc subintell. est ad seq. *serere*. — *Tribunitiis procellis*, turbis ac seditiosis motibus, ut *turbo* et *tempestas*. *Procellae seditionum* XXVIII, 24, 25; *prima periculi procella* inf. cap. 10, ut *nubes belli* al. Confer. ad X, 5, n. 4.

6. *Cum Patribus serere certamina*, movere, ut *serere discordias*, *lites*, *mentionem* etc. III, 40, 43 et alibi; *bella ex bellis serere* II, 18; XXI, 10; XXXI, 6; alibi *spargere*.

7. *Pignera coniugum ac liberorum*, amor in coniuges ac liberos, qui (ut et nepotes, generi aliique cognati) saepe vocantur *pignera* amoris, arctissima vincula amoris coniugalis et parentalis, qui iis constringitur, vel quo illis, tanquam pigneribus, obligamur et obstringimur. *Pignera* scribo, non *pignora*, ut *pignerare*, *oppignerare*, *fenus*, *fenerator*, *femina*. — *Longo tempore*, suppl. *non nisi*, vel *demum*; Bauer.

8. *Res nondum adultae* ... *quas fovit* ... *nutriendo*, .. *maturis*, metaphorae a *frugibus* ductae.

9. *Libertatis originem inde magis numeres*, repetere possis et aestimare licet, vel in eo ponere, quod etc. — *Quia annuum imperium, consulare, factum est* interpungit Bauerus, putans, alioqui sensum alienum emergere: quod non assequor. Omnia erunt plana, si iunxeris: *quia imperium consulare factum est annuum*.

10. *Omnia insignia* regum *primi consules tenuere*, praeter coronam auream, sceptrum, et purpuream auro intertextam trabeam: quamquam trabea quidem usi consules, sed raro; statis nempe festis diebus, et in triumphali pompa; vide Dionys. lib. III, pag. 196, et IV, pag. 268, edit. Wechel. 1586. Lem.

11. *Id modo cautum est*, provisum et prohibitum, *ne ambo fasces haberent*, si vel in Vrbe, vel in castris

est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior, concedente collega, fasces habuit: qui non acrior [12] vindex libertatis fuerat, quam deinde custos fuit. Omnium primum avidum novae libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset, iureiurando adegit, neminem Romae passuros regnare. Deinde, quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, caedibus regis deminutum Patrum numerum, primoribus [13] equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit: traditumque inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui Patres [14], quique conscripti

aliovo loco ambo essent (cf. IX, 8; XXII, 45; XXVIII, 9, n. 7), et ita *duplicatus terror videretur*, qui iis incuti solet. Penes alterum dumtaxat consulem, idque alternis mensibus (nonnunquam vero alternis diebus in castris, ut XXII, 41, ubi cf. n. 3, et apud Polyb. III, 110, et Plut. in Fab.), XII lictores, seu fasces erant, adeoque et imperium auspiciumve, cuius erant insignia, nisi, ut quidam putant, ii tantum fasces intelligendi, quibus secures additae. Alterum, qui fasces non habebat, praecedebat accensus, et lictores pone sequebantur. (Cf. II, 55, n. 2; III, 33, n. 4, et Suet. Caes. 20). *Prior* autem fasces sumebat maior natu, vel qui primus erat creatus (cf. IX, 8), vel cui, ut h. l., id collega concedebat, sed, post legem Iuliam de maritandis ordinibus ab Augusto an. Vrb. cond. 736 latam, qui plures habebat liberos, et, si par utrique liberorum esset numerus, maritus, aut sponsus, aut cui ius mariti concessum erat; vid. Dion. V, 2; Dio Cass. XLIV; Gell. II, 15, Valer. Max. IV, 1, 1; qui etiam, ut Appianus, Bell. Civ. I, 100, lictores XXIV regibus (quot postea Sullae et ceteris post eum dictatoribus fuere, de quo vid. Drak. ad Liv. Epit. 80), et hinc XII cuique priorum consulum ante legem, a Valerio Poplicola latam, fuisse putat. Se vide supra I, 8; Dionys. passim, et Schweigh. ad Appian. l. l.

12. *Qui non acrior vindex* etc., qui non acrius libertatem vindicaverat adversus regem, quam deinde custodiebat et tuebatur. Bruti facinora fere omnia non ex patriae amore animoque generoso, sed ex vindictae potius honorumque cupiditate profecta videri, probare quidam falso conantur.

13. *Primoribus equestris gradus*, h. e. equitibus. Ordo equester, proprie sic dictus, Gracchorum demum temporibus constitutus, et inde senatus seminarium fuit. — *Traditum inde*, mos inde ortus traditusque posteris.

14. *Patres*, qui generis sunt patricii, *et conscripti*, ex equestri ordine Patribus adscripti. Postea simpl. dicti *Patres conscripti*, omissa copula *et*, ut in aliis formulis vulgaribus, v. c. *de vi armatis hominibus*; et *Patres*

essent. Conscriptos [15], videlicet, in novum senatum appellabant lectos. Id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis, iungendosque Patribus plebis animos.

II. Rerum deinde divinarum habita cura; et, quia quaedam publica sacra per ipsos reges factitata erant, ne ubiubi [1] regum desiderium esset, regem [2] sacrificulum creant. Id sacerdotium pontifici subiecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cuius tunc prima erat cura, officeret: ac [3] nescio, an, nimis un-

conscripti vocati sunt, omnes qui in senatorio albo inscripti erant. Conf. XXIII, 12, n. 4, ubi senatores adeo carthaginienses ita appellantur, romano more, sed parum apte.

15. *Conscriptos in novum senatum appellabant lectos:* immo ipsi *conscripti* erant novus senatus, quem ipsi efficerent: significat ergo, ut essent, vel qui essent novus senatus, lecti ad novum senatum efficiendum, novi senatus nomine et conditione ac loco; Bauer. *In novum senatum lecti* videntur simpl. dici novi senatores, ut *in Patres lecti* simpl. Patres, sc. senatores.

Cap. II. 1. *Ne ubiubi*, ne ubicumque, scil. sit, ne quacumque demum in re (ut XLII, 57 extr. nisi legend. *necubi*, h. e. ne alicubi, ne uspiam, ne ulla in re ac parte officii, quod regium fuerat, ut *necunde, ne quando*) *regum desiderium esset*, ministerium munusque regis, quod non modo civile ac militare, sed et sacrum fuerat (hanc officii partem non receperant consules), desideraretur, quum deesset, qui eius vicem expleret, ut I, 20, *ne sacra regiae vicis desererentur.* In MSS. legitur *necubi* et *nec ubi ubi* et *nec ubi ibi*: in Voss. 1, *ne ubiubi* probb. Gronov. et Drak. — In cod. Paris. *nec ubi ibi.*

2. *Regem sacrificulum*, qui *rex sacrificus* XL, 42; al. *rex sacrificiorum* IX, 34; *rex sacrorum* XXVII, 6, 36; graece *βασιλεύς τῶν ἱερῶν*· et diminut. *sacrificulus* forte contemptim dicebatur. — *Regem creant*, propr. dicendum erat: *rex creatus* ob praec. Conf. ad XXII, 6, n. 7. *Id sacerdotium*, hunc sacerdotem, regem sacrificulum, *pontifici* maximo eiusque potestati *subiecere*, eo inferiorem fecere, ut X, 3, n. 5; XXXI, 29 al. — *Additus nomini honos*, amplissima dignitas maiestasque superbo *regis* nomini iuncta. Ceterum similis fere Βασιλεύς, Archon. Athen. Conf. Pollux VIII, 90, et Schweigh. ad Athen. VI, 26, pag. 360.

3. *Ac nescio an*, pro *an non*, h. e. puto. Ita semper non dubitatio, sed affirmatio, et modestius exprimitur; ut et *haud scio an.* Conf. III, 60; IX, 15; XXII, 39; XXIII, 16; XXVIII, 12; XXXVII, 54 (ubi vid. Drak. §. 16); ad Corn. Nep. Timol. I, 1; Duk. ad Flor. III, 12. — *Offenderit:* vix est, quin legendum putem *offenderet*; Bauer.

dique eam minimis quoque rebus muniendo, modum excesserint. Consulis enim alterius, quum nihil aliud offenderit, nomen invisum civitati fuit. *Nimium Tarquinios regno assuesse. Initium a Prisco factum: regnasse deinde Serv. Tullium: ne intervallo*[4] *quidem facto, oblitum tanquam alieni regni Superbum Tarquinium, velut haereditatem gentis scelere ac vi repetisse. Pulso Superbo, penes Collatinum imperium esse. Nescire Tarquinios privatos vivere: non placere nomen: periculosum libertati esse.* Hic primo sensim tentantium animos sermo[5] per totam civitatem est datus; sollicitamque suspicione plebem Brutus ad concionem vocat. Ibi omnium primum iusiurandum populi recitat: « neminem regnare passuros, nec esse Romae unde » periculum libertati foret. Id summa ope tuendum esse: » neque ullam rem, quae eo pertineat, contemnendam. » Invitum[6] se dicere hominis causa: nec dicturum fuisse, » ni caritas reipublicae vinceret. Non credere populum » romanum, solidam libertatem reenperatam esse. Re» gium[7] genus, regium nomen, non solum in civitate,

4. *Ne intervallo quidem facto* etc., etsi iam alius post patrem et diu regnaverit, Superbum non abiecisse spem regni, et tam parum fuisse memorem, hoc regnum non suum (sibi debitum), sed *alienum* fuisse, quod et patri suo, peregrino homini datum esset, et ab arbitrio populi romani penderet, ut illud iure quasi haereditario rapuisset.

5. *Hic sermo... est datus*, diffusus, sparsus. Suspicari possis *diditus*.

6. *Invitum se id dicere hominis causa*, scil. Tarquinii Collatini, quem forte non confestim ipse alloquitur, ut minus ille nova re ac subita perturbetur. — *Solidam*, totam, plenam, *libertatem recuperatam*, immo solide, plane, omnino; Bauer.

7. *Regium genus, regium nomen* etc. Conf. Gell. XV, 29, et Cic. Offic. III, 10. At Dionys. V, 9, 10, 12, 16, et Plutarch. in Poplic. 7, p. 100, probabiliora tradunt. Collatinum oppressa demum coniuratione patriciorum iuvenum (vid. c. 3) consulatu se abdicare coactum esse, quoniam obstiterit, quo minus Aquillii, seu Aquilii, sororis suae filii, apud quos tamen coniuratorum conventus et literae ad Tarquinium scriptae fuissent, idem subirent supplicium, quod iam a Bruti filiis fuisset sumptum. *Genus* maternum ipse quoque Brutus a Tarquiniis trahebat.

» sed etiam in imperio esse. Id officere, id obstare » libertati. Hunc tu, inquit, tua voluntate, L. Tar» quini, remove metum. Meminimus, fatemur, eiecisti [8] » reges. Absolve beneficium tuum. Aufer hinc regium » nomen. Res tuas tibi non solum reddent cives tui, » auctore me; sed, si quid deest, munifice augebunt. » Amicus abi: exonera civitatem vano forsitan metu. » Ita persuasum est animis, cum gente Tarquinia re» gnum hinc abiturum ». Consuli [9] primo tam novae rei ac subitae admiratio incluserat vocem. Dicere deinde incipientem primores civitatis circumsistunt, eadem multis precibus orant. Et ceteri quidem movebant minus: postquam [10] Sp. Lucretius, maior aetate ac dignitate, socer praeterea ipsius, agere varie, rogando alternis suadendoque, coepit, ut vinci se consensu civitatis pateretur: timens consul, ne postmodum privato sibi eadem illa, cum bonorum amissione additaque alia insuper ignominia, acciderent, abdicavit se consulatu: rebusque suis omnibus Lavinium translatis, civitate [11] cessit. Brutus ex senatusconsulto ad populum tulit, ut omnes Tarquiniae gentis exsules essent: collegam sibi comitiis centuriatis creavit P. Valerium, quo adiutore reges eiecerat.

8. *Eiecisti reges*, vide ad c. 39, n. 2. — *Cum gente* demum *Tarquinia*, non ante, non aliter; Bauer.

9. *Consuli*, Collatino, *primo*, primum, initio, *tam novae rei... incluserat vocem*, intercluserat, ut in omnibus fere MSS. Confer XXI, 58, n. 4; XXVI, 5, n. 6, et XXVII; 27, n. 2. — *Precibus orant*, cf. ad IX, 16, n. 3.

10. *Sp. Lucretius*, qui praefectus Vrbi fuerat, *maior aetate ac dignitate*, scil. quam *ceteri* illum orantes. — *Varie, rogando alternis* vicibus *suadendoque*, *coepit agere* cum eo, tractare, colloqui, vel agere rem, pro simpl. rogare et suadere coepit, ut *agere clamoribus*, c. 45.

11. *Civitate cessit*, excessit, exiit; ut II, 33 extr. *memoria cessisset*, excessisset, quo sensu *de memoria excidere* XXIX, 19 extr. et *e memoria excedere* XXVI, 13. — *Reges*, regem cum uxore et liberis; cf. I, 39, n. 2.

III Quum haud cuiquam in dubio esset, bellum ab Tarquiniis imminere, id quidem spe [1] omnium serius fuit: ceterum, id quod non timebant, per dolum ac proditionem prope libertas amissa est. Erant in romana iuventute adolescentes aliquot, nec ii tenui loco orti, quorum in regno libido solutior fuerat, aequales sodalesque adolescentium Tarquiniorum, assueti more regio vivere. Eam tum, aequato iure omnium, licentiam quaerentes, libertatem [2] aliorum in suam vertisse servitutem inter se conquerebantur. *Regem hominem esse, a quo* [3] *impetres, ubi ius, ubi iniuria opus sit: esse gratiae locum, esse beneficio; et irasci, et ignoscere posse: inter amicum atque inimicum discrimen nosse. Leges, rem surdam, inexorabilem esse, salubriorem melioremque inopi quam potenti: nihil* [4] *laxamenti nec veniae habere, si modum excesseris: periculosum esse, in tot humanis erroribus, sola* [5] *innocentia vivere.* Ita, iam sua sponte

Cap. III. 1. *Spe omnium serius*, v. ad I, 5, n. 8. — *In regno*, sub regibus, regnante rege. — *Licentiam quaerentes*, requirentes, desiderantes; v. ad IX, 19, n. 5.

2. *Libertatem aliorum in suam servitutem vertisse* scil. se, seu versam esse (VIII, 30; XXII, 23; XXVI, 6, n. 11; passive seu intransit. et absolute, ut *vertere* c. 27, 62; V, 18, 49; VII, 30, 38; IX, 17; XXXVIII, 40, al. *praecipitare* II, 51; V, 18; VI, 30; XXV, 11; *laxavit annona* et *annus* XXIII, 20; XXXII, 5; *mutavit nihil annona* al. V, 13 pr. IX, 12 pr. XXXIX, 51; *movere* scil. se seu *exercitum*, seu *castra*, seu e *castris* et al. I, 55, n. 4; XXI, 32; XXII, 1; XXIII, 1, al. V, 25; IX, 20, n. 2 (κινεῖν apud Polyb. II, 54 pr.); *insinuare* XL, 37, n. 4; *remisit clades* et *imber* II, 34; XL, 33. — *Vertisse* vero *in servitutem*, h. e. versam seu mutatam esse, pro effecisse seu peperisse, ut IV, 9; VIII, 30; XXII, 23; XXVI, 6. Conf. Drak. ad I, 17, n. 6; et Cort. ad Sallust. Iug. 85, Exc. VI.

3. *A quo impetres*, quod cupias, seu *iure*, seu *iniuria*, sive sit iustum, sive contra ius fiat. Cf. ad simil. loc. Tac. Ann. III, 10, 6.

4. *Nihil laxamenti*, lenimenti poenarum, *habere*, continere ac dare.

5. *Sola innocentia vivere*, quasi vitam sustentare, ad eam tantum attemperare vitam, prorsus innocenter vivere; ut *virtute vivere*. Pro adiect. *innocentem*; aut *cum* vel *ex* supple; Bauer. — *Aegris animis*, quum aegritudine affecti essent, *iam sua sponte*, iam sic et ante, nondum alia oblata causa.

aegris animis, legati ab regibus superveniunt, sine mentione reditus, bona tantum repetentes: eorum verba postquam in senatu audita sunt, per aliquot dies ea consultatio [6] tenuit; ne non reddita, belli causa; reddita, belli materia et adiumentum essent. Interim legati alii alia moliri: aperte bona repetentes, clam recuperandi regni consilia struere: et, tanquam [7] ad id quod agi videbatur, ambientes nobilium adolescentium animos pertentant: a quibus placide oratio accepta est, his literas ab Tarquiniis reddunt; et de accipiendis clam nocte in urbem regibus colloquuntur.

IV. Vitelliis [1] Aquilliisque fratribus primo commissa res est. Vitelliorum soror consuli nupta Bruto erat: iamque ex eo matrimonio adolescentes erant liberi, Titus Tiberiusque: eos quoque in societatem consilii avunculi assumunt: praeterea et nobiles aliquot adolescentes conscii assumpti, quorum vetustate memoria abiit. Interim quum in senatu vicisset sententia, quae censebat reddenda bona; eamque ipsam causam morae in Vrbe haberent legati, quod spatium [2]

6. *Ea consultatio tenuit*, duravit (ut III, 19, 47; XXIII, 44; XXIV, 47; XXV, 15, 39; XXXIII, 22; XXXVI, 43), nisi malis *tenuit* senatum, h. e. occupavit et distinuit (ut *tenuit eum de Hannibale deliberatio* XXXV, 42) Patribus verentibus, *ne* etc. (nam verba *timendi* Graecorum more saepe omitti ante *ne*, intpp. monent. Cf. ad XXXVIII, 4, n. 4, et ad Tac. Ann. I, 47, §. 2), vel aliis suadentibus ut bona redderentur, *ne non reddita, belli causa* essent, aliis dissuadentibus, ne *reddita belli materia essent*, h. e. *adiumentum*, metaphora ducta a materie seu lignis, quibus ignis alitur.

7. *Tanquam ad id* ob id (v. ad I, 34, n. 5), *quod agi videbatur*, sc. ut bona repeterent, *ambientes*, circumeuntes, *animos pertentant*, explorant et sollicitant. Ceterum h. l. in eadem periodo infinitivi narrativi *moliri* et *struere* iunguntur verbo finito *pertentant*. — *Literas ab Tarquiniis*, v. ad XXVII, 5, n. 4.

Cap. IV. 1. *Vitelliis Aquilliisque* etc. vid. ad Epit. II, n. 1. Ἀκύλλιοι dicuntur ap. Dionys. in cod. Vatic. *Aquillii* in Capitol. fastis et nummis. Ἀκύλιοι Plut. t. I, p. 98 sq.

2. *Spatium ad vehicula c. a consulibus sumpsissent*, vid. ad XXIV, 38, n. 1. — *Nam aliter qui*, quomodo,

ad vehicula comparanda a consulibus sumpsissent, quibus regum asportarent res; omne id tempus cum coniuratis consultando absumunt: evincuntque instando, ut literae sibi ad Tarquinios darentur; nam aliter qui credituros eos, non vana ab legatis super rebus tantis afferri? Datae literae, ut pignus fidei essent, manifestum facinus fecerunt: nam quum pridie quam legati ad Tarquinios proficiscerentur, et coenatum forte apud Vitellios esset, coniuratique ibi, remotis arbitris, multa inter se de novo, ut fit, consilio egissent; sermonem eorum[3] ex servis unus excepit, qui iam antea id senserat agi: sed eam occasionem, ut literae legatis darentur, quae deprehensae rem coarguere possent, exspectabat: postquam datas sensit, rem ad consules detulit. Consules, ad deprehendendos legatos coniuratosque profecti[4] domo, sine tumultu rem omnem oppressere: literarum in primis habita cura, ne intercciderent. Proditoribus extemplo in vincula coniectis, de legatis paululum addubitatum est; et quamquam visi sunt commisisse ut hostium loco essent, ius[5] tamen gentium valuit.

V. De bonis regiis, quae reddi ante censuerant, res[1] integra refertur ad Patres: illi victi ira vetuere

credituros eos Tarquinios esse dicunt. Mox *et coenatum ..... coniuratique*, et coniurati; nisi deleodum illud *et*. — *Remotis arbitris*, vid. ad VI, 33, n. 3.

3. *Sermonem eorum ex servis unus excepit*, auribus, ut *excipere voces* XL, 7; *legem parari* IV, 30; *rumores*, ap. Iuvenalem VI, 409, et nostrum, *eine Nachricht auffangen*, *aufschnappen*: quod propr. dicitur de venatoribus, qui feras ex iosidiis vel dolo *excipere*, *capere*, *δέχεσθαι*, *ἐκδέχεσθαι*, solent. Cf. ad V, 14, n. 2; XXII, 12, n. 6.

4. *Consules profecti*, abeuntes, *domo*, prodeontes in publicum.

5. *Ius gentium valuit*, non violatum est. Cf. ad c. 14, n. 1.

Cap. V. 1. *Res integra refertur*, iterum, ut integra, h. e. nondum diiudicata et liberi arbitrii; de integro. Cf. ad Tac. Ann. IV, 40, 1. Synonyma *integra ac libera* iunguntur X, 25, et *rei integrae* opponitur *res acta* XXVIII, 40, n. 2. *Bellum integrum* XXI, 29, n. 7, in quo pugna nondum

reddi, vetuere in publicum[2] redigi. Diripienda plebi sunt data; ut, contacta[3] regia praeda, spem in perpetuum cum his pacis amitteret. Ager Tarquiniorum, qui inter urbem ac Tiberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde campus fuit. Forte ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi: quem campi[4] fructum quia religiosum erat consumere, desectam cum stramento segetem magna vis hominum simul[5] immissa corbibus fudere in Tiberim, tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet. Ita in vadis haesitantis frumenti acervos sedisse illitos limo. Insulam[6] inde pau-

commissa est. Cf. ad XXIV, 24, n. 6; et XXXII, 6, n. 3.

2. *Redigi bona*, h. e. pecuniam ex iis venditis *in publicum*, in aerarium.

3. *Contacta* plebs *regia praeda*, h. e. polluta, contaminata, infecta, eius particeps facta, ratione quadam iniusta vel turpi. Sic *contactus* IV, 9, 15; VI, 28; XXI, 48; XXIX, 8, 18; XXXI, 8; XXXVIII, 55, et *contagio* seu *contagium* et *contactus* (IV, 30), communio seu societas (propr. communicatio vitii, contactu transfusi), cap. 37; I, 15, n. 1; IX, 1 et 34; X, 18, n. 2; XL, 20, n. 5. Similiter Decius, se devovens, dicit X, 28 extr. se *contacturum funebribus diris*, exsecrationibus, *signa, tela, arma hostium*, et sic *locum eundem suae pestis* (forte *pesti*; vid. ad III, 46, n. 1) *et Gallorum ac Samnitium fore*, h. e. hoc contactu se hostesque eiusdem interitus participes fore, in idem exitium tractum iri. Cf. ad VI, 28, n. 3.

4. *Campi fructum*, Marti iam una cum campo sacratum, *quia consumere religiosum* erat, religioni et nefas habebatur. *Religiosum* et *religio* dicitur tum prodigium, ostentum, ut XXXIX, 7, n. 5, tum metus et scrupulus, animo religioni dedito ex eo iniectus (unde *religiosus* XXIV, 10, qui facile eo terretur), deinde et culpa, quae violata religione contrahitur, ut X, 40, n. 10. Hinc *religiosum* vel *religioni* vel *religio est*, et *res in religionem venit, vertitur* (X, 37, n. 13; XXII, 33, n. 5; XXX, 38, n. 5). Cf. ad V, 23, n. 7; VI, 1, n. 7. Ernest. clav. Cic. et loc. class. Gell. IV, 9. Ceterum hunc campum iam prius *Marti consecratum* fuisse, docet Dionys. V, 13: Ἐπεὶ δὲ καὶ πρὸ τούτου ἱερὸν ἦν τοῦ Θεοῦ τοῦδε, Ταρκύνιος δὲ σφετερισάμενος ἔσπειρεν αὐτό, μέγιστον ἡγοῦμαι τούτου τεκμήριον εἶναι τὸ πραχθὲν ὑπὸ τῶν ὑπάτων περὶ τοὺς ἐν αὐτῷ καρπούς. Cf. sup. ad I, 44, n. 2.

5. *Simul immissa* in segetem vis hominum. Alii: *immissa corbibus* stramentum et segetem. — *Corbibus* messoriis, ut XXII, 1. *Spicas coniiciunt in corbem, atque in aream mittunt; ... infra manum, stramentum, quod terra haeret, subsecatur; contra, quod cum spica stramentum haeret, corbibus in aream defertur;* Varr. R. R. I, 50.

6. *Insulam inde*, ex eo seu iis (cf. ad II, 32, n. 8). — *Factam* dicunt, ἣν φασιν ἐκ τοῦ σωροῦ τῆς καλάμης

latim, et aliis, quae fert temere flumen, eodem invectis, factam: postea credo additas moles, manuque [7] adiutum, ut tam eminens area, firmaque templis quoque ac porticibus sustinendis esset. Direptis bonis regum, damnati proditores, sumptumque [8] supplicium, conspectius eo, quod poenae capiendae ministerium patri de liberis consulatus imposuit; et, qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit. Stabant deligati ad palum nobilissimi iuvenes: sed a ceteris, velut ab ignotis capitibus, consulis liberi omnium in se averterant [9] oculos: miserebatque non poenae magis homines, quam sceleris quo poenam meriti essent; illos eo potissimum anno, patriam [10] liberatam, patrem liberatorem, consulatum ortum ex domo Iunia, Patres, plebem, quidquid deorum hominumque romanorum esset, induxisse in animum, ut superbo quondam regi, tum infesto exsuli proderent. Consules in sedem processere

σαπείσης, καὶ τι καὶ τοῦ ποταμοῦ προσλιπαίνοντος αὐτὴν, νῆσον γενέσθαι· Dionys. — *Temere*, forte, casu.

7. *Manu adiutum* esse molibus et substructionibus, opera et arte humana; quae huic insulae Tiberinae, inter campum Martium Ianiculumque sitae, et molibus muroque circumdatae, formam navis dedit, eamque propterea obelisco, loco mali, ornavit. *Adiutum*, opus, rem. Cf. Drak. ad h. l. et Cort. ad Sallust. b. Iug. c. 13, §. 6; *adiutam* sc. insulam seu aream malebat Gron. — *Tam eminens*, admodum e., Drak. quem v. ad XXXIII, 45, n. 4. Sed *iam e.* leg. cum Duk. — *Templis* Fauni et in pr. Aesculapii, cui tota insula erat sacrata.

8. *Supplicium conspectius*, magis conspicuum, s. insignius, magis oculos hominum advertens, ut ἐπόψιος Hom. Il. III, 42; *conspectus* IV, 13 pr. V, 23, n. 3; VI, 15, n. 17; XXX, 45, n. 2; *tumulus conspectus*, conspicuus X, 40; XXII, 24; XXXII, 5; XXXIV, 50; *conspiciendum*, spectabile VI, 4, n. 7; *conspici*, sc. ut aliquod magnum, insigne, insolitum, et hinc insigne esse IV, 60; XXI, 4, n. 8 (ubi opponitur *vestitus nihil excellens*); XXXI, 24; XXXVII, 57, n. 4; XXXIX, 6, n. 10. Conf. ad XXVII, 31, n. 3; ad Iuvenal. VIII, 140; Gron. et Drak.: inf. ad IV, 13, n. 3, et Intpp. Nepot. in Att. 13. — *Exactorem supplicii*, v. ad Tac. Ann. III, 14, 9.

9. *A ceteris in se averterant oculos*, ut III, 24; al. *adverterant.*

10. *Illos patriam liberatam*, et eo *potissimum anno*, quo liberata esset, *induxisse in animum*, *ut proderent.*

suam, missique lictores ad sumendum supplicium nudatos [11] virgis caedunt, securique feriunt: quum inter omne tempus pater, vultusque et os eius, spectaculo esset, eminente [12] animo patrio inter publicae [13] poenae ministerium. Secundum poenam nocentium, ut in utranque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, praemium indici pecunia ex aerario, libertas et civitas data. Ille primum dicitur vindicta [14] liberatus: quidam vindictae quoque nomen tractum ab illo putant; Vindicio [15] ipsi nomen fuisse. Post illum observatum, ut qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur.

VI. His, sicut acta erant, nuntiatis, incensus Tarquinius non dolore [1] solum tantae ad irritum caden-

11. *Nudatos virgis caedunt, securique feriunt* vid. ad I, 26, n. 6. — *inter omne tempus* supplicii.

12. *Eminente animo patrio* (v. ad VIII, 7, n. 2), conspicuo, quamquam suppresso (v. ad Tac. Ann. XIII, 16, 5): quod probabilius est, quam quod Plutarchus in Poplic. pag. 99, 100, Dionys. aliique scriptores tradunt, eum vultu fuisse immobili.—Ceterum omnem hanc agendi rationem in Bruto non satis vel laudari posse, vel vituperari, iudicat Plut., et Dionys. V, 8; eam quidem, ut quaevis Romana, admiratur, sed veretur simul μὴ σκληρὰ καὶ ἄπιστα τοῖς Ἕλλησι δόξει λέγειν. Vide insuper de animo generoso Bruti, supra, cap. 1, n. 12.

13. *Publicae poenae*, qua filii reip. causa et palam afficiebantur.—*Secundum poenam*, vide ad I, 4, n. 1. — *In utramque partem*, tum poena sceleris, tum praemio indicii.

14. *Vindicta liberatus*, virgula, quam lictor, vel potius praetor, capiti servi manumittendi ter quaterve imponens, eum in libertatem *vindicabat*, dicens: hunc hominem liberum et civem romanum esse aio, vel liberum esse dico more Quiritium. Quo facto, servus in gyrum circumagebatur, et potestatem accipiebat abeundi quo vellet. Haec est publica manumissio per vindictam, quae non modo libertatem dabat, sed et *civitatem*, h. e. ius civitatis, s. Quiritium, et quidem optimo iure. Hinc *vindicta vitae* liberatio ob ea, XXVI, 15, n. 8; *mors una vindicta est* XL, 4; sed *vindicta libertatis* defensio XXXIV, 49.

15. *Vindicio ipsi nomen fuisse:* quidam emend. *Vindici*, quod nomen, prop. liberatorem servatoremve significat, et provocant ad Plut. cui tamen Οὐινδίκιος dicitur (v. Poplic. p. 98-100); ut et Zonar. VII, 12, et Dionys. V, 7, in MS Vatic.

Cap. VI. 1. *Dolore tantae ad irritum cadentis spei*, ob tantam spem etc., ex eo, quod illa ... caderet. Cf. ad I, 5, n. 5.—*Ne se ortum*, hominem, ex vel a se ortum, ut I, 32, 34; VIII, 3, 7; XXXIX, 53.—*Ex-*

tis spei, sed etiam odio iraque, postquam dolo viam obseptam vidit, bellum aperte moliendum ratus, circumire supplex Etruriae urbes; orare maxime Veientes Tarquinienscsque, *ne se ortum, eiusdem sanguinis, extorrem egentem ex tanto modo regno, cum liberis adolescentibus ante oculos suos perire sinerent. Alios peregre in regnum Romam accitos: se regem augentem bello romanum imperium, a proximis scelerata coniuratione pulsum. Eos inter se, quia nemo unus satis dignus regno visus sit, partes regni rapuisse; bona sua diripienda populo dedisse, ne quis exspers sceleris esset. Patriam se regnumque suum repetere, et persequi ingratos cives velle. Ferrent* [2] *opem, adiuvarent; suas quoque veteres iniurias ultum irent, toties caesas legiones, agrum ademptum.* Haec moverunt Veientes: ac pro se quisque, romano saltem duce, ignominias demendas, belloque amissa repetenda, minaciter fremunt. Tarquinienses nomen ac cognatio movet: pulchrum videbatur suos Romae regnare. Ita duo duarum civitatum exercitus, ad repetendum regnum belloque persequendos Romanos, sequuti Tarquinium. Postquam in agrum romanum ventum est, obviam hosti consules eunt. Valerius quadrato [3] agmi-

torrem, egentem, ex tanto modo regno vulgo distinguitur; sed commata eiicienda putabat Drak. Malim: *extorrem actum ex tanto modo regno*, vel certe: *egentem, extorrem ex tanto modo regno.*—Quamvis aliter sentiant Drakenb. et Rupert. periodus tamen melius fluit si vulgatae distinctiones serventur; auctore Creverio comma post *ortum* etiam posuimus. Lem. — Ceterum meliores rationes a rege allatas memorat Dionys. Halic. V, 4. Cf. Heyn. Opusc. Ac. l. IV, p. 291 sq.

2. *Ferrent opem, adiuvarent*, pleonasmus; nisi posterius verbum glossatori debetur.—*Romano saltem duce*, nunc saltem, quum romanus sit sibi dux, cuius virtus et auctoritas bonum spondeat eventum.

3. *Agmine quadrato*, instructa acie et ordinibus densatis, ut semper ap. Livium. Cf. XXI, 5; XXXI, 36, 37, 39, 40; XLIV, 9. Sed a Martii temporibus ita dicebatur agmen, πλινθίῳ simile, quod aeque latum ac longum est, vel potius frontem habet recta linea exaequatam, et ad extremitates angulos rectos: *bataillon carré*. Cf.

ne peditem ducit: Brutus ad explorandum cum equitatu antecessit. Eodem modo primus eques hostium agminis fuit (praeerat Aruns Tarquinius, filius regis), rex ipse cum legionibus sequebatur. Aruns, ubi ex lictoribus procul consulem esse, deinde iam propius ac certius facie quoque Brutum cognovit, inflammatus ira, *Ille est vir*, inquit, *qui nos extorres expulit patria. Ipse, en, ille, nostris decoratus* [4] *insignibus, magnifice incedit. Dii regum ultores adeste.* Concitat calcaribus equum, atque in ipsum infestus consulem dirigit. Sensit in se iri Brutus. Decorum erat tum ipsis capessere pugnam ducibus: avide [5] itaque se certamini offert: adeoque infestis animis concurrerunt, neuter, dum hostem vulneraret, sui protegendi corporis memor, ut, contrario ictu per parmam uterque transfixus, duabus haerentes hastis moribundi ex equis lapsi sint. Simul et cetera equestris pugna coepit; neque ita multo post et pedites superveniunt. Ibi varia victoria, et velut aequo Marte pugnatum est. Dextra utrinque cornua vicere, laeva superata. Veientes vinci ab romano milite assueti, fusi fugatique. Tarquiniensis novus hostis non stetit solum, sed etiam ab sua parte Romanum pepulit.

VII. Ita quum pugnatum esset, tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit, ut, omissa irrita re, nocte ambo exercitus, Veiens Tarquiniensisque, suas quisque abirent domos. Adiiciunt [1] miracula

Morus ad Caes. Bell. Gall. VIII, 8; Schell. accurate contra Lips. Mil. Rom. V, 12, disputans, ad Polyb. c. 11, 12, p. 280.

4. *Nostris decoratus insignibus, magnifice incedit*, v. ad I, 26, n. 9. —*Decorum erat tum ipsis capessere pugnam ducibus*, qui postea imperia tantum et mandata dare solebant.

5. *Avide itaque se certamini offert*, immo primus illud iniit, lacessitus conviciis Aruntis, si fides habenda Dionys. 5, 15. Confer Cic. Quaest. Tuscul. IV, 22.

Cap. VII. 1. *Adiiciunt miracula huic pugnae*, scil. homines vel anna-

huic pugnae: silentio proximae noctis ex sylva [2] Arsia ingentem editam vocem; Sylvani vocem eam creditam; haec dicta, *uno plus* [3] *Tuscorum cecidisse in acie; vincere bello Romanum.* Ita certe inde abiere Romani ut victores, Etrusci [4] pro victis. Nam postquam illuxit, nec quisquam hostium in conspectu erat, P. Valerius consul spolia legit, triumphansque inde Romam rediit: collegae funus, quanto tum potuit apparatu, fecit: sed multo maius morti decus publica fuit moestitia, eo ante omnia insignis, quia matronae annum, ut parentem, eum luxerunt, quod tam acer ultor violatae pudicitiae fuisset. Consuli deinde qui

les, ut XXIV, 3, n. 4; et XXV, 39. Cf. ad II, 18, n. 4. — *Silentio proximae* post pugnam *noctis*, περὶ τὴν πρώτην που μάλιστα φυλακὴν Dionys. V, 16, Cf. et Plut. Poplic. p. 184.

2. *Sylva Arsia*, ut ap. Valer. Max. I, 8, 5. Sed Plut. Poplic. p. 101, aciem instructam fuisse dicit ἐν χωρίοις ἱεροῖς, ὧν τὸ μὲν Οὔρσον ἄλσος, τὸ δὲ Αισούιον λειμῶνα προσαγορεύουσιν. Ap. Dionys. 5, 14, δρυμὸν ἱερὸν ἥρωος Οράτου. Cf. Cluver. Ital. ant. III, 2, p. 868. — De *ingentis editae vocis* prodigio vide ad I, 31, n. 1. — Mox *haec dicta*, scilicet esse. Sed haec verba glossam esse ineptam semper suspicatus sum. Idem putat Doëring.

3. *Uno plus Tuscorum* etc., ut V, 30 extr. *legem antiquarunt una plures tribus*, h. e. antiquantes legem unina tribus numero vicerunt. Cf. ibi Drak. ἑνὶ πλείους Τυῤῥηνῶν ἢ Ρωμαίων Plut. l. l. et Dionys. V, 16, qui Fauni quoque vocem fuisse dicit, ᾧ ἀνατιθέασι Ρωμαῖοι τὰ πανικὰ καὶ ὅσα φάσματα ἄλλοτε εἰς ὄψιν ἀνθρώπων ἔρχονται. — *Tuscorum* plerique MSS. (et Paris. codex: Creverius servaverat vulgatum *Etruscorum* et nihil notaverat. LEM.) unde recepi pro vulg. *Etruscorum*, prob. Iac. Gron. qui hanc quoque variationem Livio solemnem esse monet. Cf. c. 9, 34, 46; V, 33; IX, 33, 41; X, 30, 45.

4. *Etrusci pro victis*, ut, seu tanquam victi. Sic et VIII, 1; X, 35; XXI, 9; XXV, 34. Similiter *pro victoribus esse* XXV, 34; *pro perfuga* XXVII, 15, n. 5; *pro transfuga* XXIV, 45; *pro firmato* IV, 7, n. 2; *pro pontifice* c. 27; *pro dictatore* VI, 38, n. 6; *pro imperio* et *pro potestate* (per imperium etc.) II, 56, n. 11; IV, 26, n. 5; *pro magistratu*, ut magistratus, VIII, 36, n. 1; IX, 7, n. 6; XXXIX, 5, n. 1; vel ex auctoritate ac nomine magistratus, ut *pro collegio* vel *pro* et *ex collegii sententia* IV, 26, 44, 53; XXXVIII, 36, n. 1 (quae tamen verba Duk. ad IV, 26, n. 9, vel exponenda putabat *nemine intercedente*, vel de sententiis maximae partis, quamquam uno alterove dissentiente aut intercedente); *facere pro bonis sociis* et *pro amicis* h. e. agere, ut hi

superfuerat, ut sunt mutabiles vulgi animi, ex favore, non invidia modo, sed suspicio [5] etiam cum atroci crimine orta. Regnum eum affectare fama ferebat: quia nec collegam subrogaverat in locum Bruti, et aedificabat in summa Velia [6]: ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem fore. Haec dicta vulgo creditaque quum indignitate angerent consulis animum, vocato ad concilium populo, submissis [7] fascibus, in concionem escendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit: submissa sibi esse imperii insignia; confessionemque factam, populi quam consulis maiestatem vimque maiorem esse. Vbi audire iussi, consul «laudare fortunam collegae, quod, liberata pa-» tria, in summo honore, pro republica dimicans, » matura gloria, nec dum se vertente in invidiam, mor-

solent ac debent, XXIV, 48; XXXV, 46; *pro voluntariis* XXXII, 3, n. 2. Mox *nec quicquam* aliquot MSS. non male. — In codice Paris. etiam nunc suspicari potuimus *necquicquam*; emendator erasit literam *s*, et *c* inscripsit. Lem.

5. *Suspicio cum atroci crimine* durius dicta, pro *suspicio atrocis criminis*. Sed *crimen* potius h. l. est criminatio. — *Collegam subrogaverat*, vide ad III, 19, n. 2.

6. *Velia* collis seu regio editior Romae, propinqua Palatino monti et foro imminens; vid. Varro L. L. IV, 8; Donat. vet. Rom. II, 16; Nardin. V, 4, 5. Τὴν οἰκίαν ἐν ἐπιφθόνῳ τόπῳ κατεσκευάσατο, λόφου ὑπερκείμενον τῆς ἀγορᾶς ὑψηλὸν ἐπιεικῶς καὶ περίτομον, ὃν καλοῦσι Ῥωμαῖοι Ἐλίαν ἐκλεξάμενος· Dionys. V, 19. Sic et suspicionem regni affectati augebat domus Manlii in arce posita VI, 19 pr. Cf. et ad VI, 20, n. 12.

7. *Submissis* (populo et demissis) *fascibus in concionem escendit*, vel, ut III, 49, *in concionem ascendit*, propr. in rostra seu suggestum, ut concionem ad populum haberet (cf. ad VIII, 33, n. 6): nam τὸ *e* in talibus verbis compositis est nostrum *hervor*, vel *empor* (in altum), ut in *emergere*, *eminere*, *erigere*, *evadere*, *evolare*, *emunire* (in altum educere XXI, 7, n. 4; et XXIV, 21, n. 6) etc., unde et *escendere in rostra* et *tribunal* dicitur XXIII, 23; XXVIII, 26; et XXX, 15; Stroth. Sic et *escendere equum* pro *ascendere* XXIII, 14, n. 3. Cf. ad XXIX, 11, n. 3. Hinc *fasces submittere alicui* tropice, pro principatum ei concedere, dixit Cic. Brut. 6. Ab eodem quoque Valerio, lege de provocatione lata, secures, quae fascibus consulum lictorumve illigatae erant, iis exemptas fuisse, sed in Vrbe tantum, non extra eam et in provinciis belloque, tradit Dion. V. Cf. inf. XXIV, 9. pr.

» tem occubuisset: se superstitem [8] gloriae suae ad » crimen atque invidiam superesse: ex liberatore » patriae ad Aquillios se Vitelliosque recidisse. Nunquamne ergo, inquit, ulla adeo a vobis [10] spectata » virtus erit, ut suspicione violari nequeat? Ego » me, illum acerrimum regum hostem, ipsum cupiditatis regni crimen subiturum timerem? Ego, si in » ipsa arce Capitolioque habitarem, metui me crederem posse a civibus meis? tam levi [11] momento » mea apud vos fama pendet? Adeone est fundata » leviter fides, ut, ubi sim, quam qui sim, [12] magis » referat? Non obstabunt P. Valerii aedes libertati » vestrae, Quirites; tuta erit vobis Velia. Deferam non » in planum modo aedes, sed colli etiam subiiciam: » ut vos supra suspectum me civem habitetis. In » Velia aedificent, quibus melius quam P. Valerio » creditur libertas ». Delata confestim materia omnis infra Veliam; et, ubi nunc [13] Vicaepotae est, domus in infimo clivo aedificata.

8. *Superstitem gloriae suae esse*, ut *gloriae suae supervivere* dixit Plin. Ep. II, 1 pr. *Vivum gloriola sua perfrui* Cic. ad Div. V, 12.

9. *Ad Aquillios se recidisse*, his patriae proditoribus se parem vel similem factum esse iudicio vulgi.

10. *Adeo a vobis spectata virtus erit*, tam certis experimentis a vobis explorata et cognita etc. Sed semper mihi displicuit praepos. *a*, quae etiam abest a cod. Voss. Cf. Sallust. B. Cat. 16. pr. Plaut. Pers. II, 1, 4; Virg. Aen. VI, 687; et sup. I, 57, ubi vid. notam 4.

11. *Tam levi momento mea apud vos fama pendet*, tam levi parvaque mutatur causa. Conf. IV, 32, et ad I, 47, n. 7. In undecim MSS. non male legitur: *tam levi momentaneaque apud vos fama pendere*: sed illud praestat.

12. *Magis referat*, v. ad VIII, 39, n. 3. — *Aedes colli subiiciam*, sub ipsum collem, vel ad eius radices exstruam.

13. *Vbi nunc Vicaepotae est*, scil. aedes; vide ad I, 33, n. 6. *Vica pota* vel *Vicapota* (al *Vicepota* et *Vicapoca*) dicta Victoria a *vincendo* et *potiundo*; v. Cic. Leg. II, 11 extr. et Senec. Apocol. Οπου νῦν ἱερόν ἐστιν Οὐἵκᾶς Ποκᾶς (ita multi MSS. pro vulg. Οὐἵκος πόπλικος) ὀνομαζόμενον Plut. in Poplic. t. I, p. 102. In multis codd. vitiose legitur *vicus publicus* et *via publica*. Cf. Drak. ad h. l. Lips. epist. quaest. II, 11. Schegk. obss. praemess. ep. 1; Ruben. Elect. I, 7; Graev. ad Cic. de harusp. resp. c. 8.

VIII. Latae deinde leges, non solum quae regni suspicione consulem absolverent, sed quae adeo in contrarium verterent, ut popularem [1] etiam facerent: inde cognomen factum Publicolae [2] est. Ante omnes de provocatione adversus magistratus ad populum, sacrandoque [3] cum bonis capite eius, qui regni occupandi consilia inisset, gratae in vulgus leges fuere.

Cap. VIII. 1. *Popularem etiam facerent*, populo et gratum et faventem. Cf. ad III, 35, n. 4; et IX, 33, n. 3.

2. *Cognomen Publicolae*, pro quo *Poplicolae* tum ex fide marmm. et auctorum graecorum, Dionysii, Plut. et Dionis, tum ex etymologia vocis scribendum videri possit: nam *Poplicola* est *populum colens* (v. III, 18), δημοκηδής ap. Plut. et Dionys. V. Sed *Publicolae* vel *Poblicolae* legitur h. l. in omnibus libris (nisi quod in Leid. 2, et Voss. 1, in marg. legitur *Plebicolae*, ut ap. Cic. Agr. II, 31, et Sext. 52, cui lectioni favet locus Liv. VII, 32), ut in numo ap. Mediobarb. p. 31, et in Fastis Capitol. ap. Gruter. p. 289. Praeterea a *populus* formatur *populicus* et *populicola*, pro quo olim non modo *poplicus* et *Poplicola*, sed et molliore forma *poblicus* seu *publicus* et *Publicola* seu Poblicola dicebatur, quod iam notavit Priscianus. Cf. ad Sil. II, 8; et Duk. ad Flor. I, 9, 4.

3. *Sacrare cum bonis caput* alicuius, certa formula eius caput seu vitam et bona (vid. ad III, 11, n. 4). *Iovi* infero seu Stygio (καταχθονίῳ Διΐ), Telluri et diis Manibus addicere vel devovere, eiusque impune occidendi potestatem cuilibet dare (cf. III, 55; VIII, 9, et Dionys. II, 10): unde *sacer* et *sacratus* (diis inferis) exsecrabilis, κατάρατος; et eodem forte sensu dictus *Mons sacer* II, 32 (sed, si Festo fides habenda, *quod eum plebs discedens Iovi consecraverat*; nisi Iupiter Stygius est), vel a *legibus sacratis* in eo latis II, 33, ut et *leges sacratae* (II, 33; III, 32 extr. 55; IV, 26, n. 2; VII, 41; IX, 39; XXXVI, 38; XXXIX, 5) inde, *quod caput eius, qui contra fecerat, consecrabatur*, vel *sacrum erat* diis inferis (vid. Festus et loca class. Cic. pro Balb. 14, et in Cornel. I Fragm.), ut et eius, qui tribunos plebis violabat; quare hi *sacrosancti* erant, h. e. inviolabiles, al. *sancti*, ita ut *sacer sanciatur* (cf. III, 55) et sit, qui eos violare audent. Similiter XXVII, 38, n. 2, *sacrosancta vacatio* a militia dicitur, vel, ut alii putant, iureiurando a senatu ac populo confirmata. Cf. Fest. et Cic. p. Balbo XIV, 15; vid. II, 33 pr. et Cic. pro Rabir. Quidam *legem sacratam*, in monte sacro latam, II, 33 (cuius tria erant capita, et praeterquam etiam alias sacratas leges in eodem monte perlatas fuisse, ex II, 54 extr. et III, 32 extr. probabile fit) ab eo dictam putant, quod tribuni plebis ea sacrati sint vel sacrosancti facti; et Dionysius VI, 89 (ubi etiam verba legis illius laudantur) quod in hanc legem populus tum *ad sacra* iuraverit. Conf. Periz. Anim. hist. cap. 10, et Ernesti clav. Cic. p. 36.

Quas quum solus pertulisset, ut sua unius in his gratia esset, tum deinde comitia [4] collegae subrogando habuit. Creatus Sp. Lucretius consul, qui magno natu, non sufficientibus iam viribus ad consularia munera obeunda, intra paucos dies moritur. Suffectus in Lucretii locum M. Horatius Pulvillus. Apud quosdam veteres auctores non invenio Lucretium consulem: Bruto [5] statim Horatium suggerunt: credo, quia nulla gesta res insignem fecerit consulatum, memoriam [6] intercidisse. Nondum [7] dedicata erat in Capitolio Iovis aedes. Valerius Horatiusque consules sortiti uter dedicaret. Horatio sorte evenit. Publicola ad Veientium bellum profectus. Aegrius quam dignum erat tulere Valerii necessarii, dedicationem tam inclyti templi Horatio dari. Id omnibus modis impedire conati, postquam alia frustra tentata erant, postem [8] iam tenenti consuli, foedum inter precatio-

4. *Comitia collegae subrogando habuit*, ut *comitia regi creando fiunt* I, 35 pr. Cf. ad III, 35, n. 1. *Subrogantur* autem *collegae*, *consules et magistratus* a consule aut eo, qui comitia habet et *rogans* populum (vide ad IV, 58, n. 10) illos in locum eorum, qui vel mortui sunt (ut h. l. et III, 19; XXIII, 24, al.), vel magistratu mox abituri (ut XXV, 41; XXXII, 54; XXXIV, 54; XXXV, 6; XLII, 11), creandos curat: sed *sufficiuntur*, qui aliorum loco a populo creantur.

5. *Bruto statim Horatium suggerunt*, subiiciunt, subiungunt, proximum consulem, s. successorem faciunt, ut IX, 44 pr.

6. *Memoriam eius intercidisse*, periisse, ut cap. 4 et al. Ita ex plurimis MSS. reposui pro vulg. *memoria intercidisse*, h. e. excidisse, sc. consulatum, ut apud Valer. Max. V, 2. Ext. pr. — Paris. codex habet vulgat. quam recte meo iudicio servaverat Creverius. Lem.

7. *Nondum dedicata erat Iovis aedes*, sed tantum locus ei consecratus; vid. ad I, 55, n. 3. Capitolium vero secundo demum Horatii consulatu (de quo vide ad c. 15 pr.), ab eo dedicatum esse, tradunt Dion. V, 35, et Tacit. Histor. III, 72, qui locus class. est de Capitolio. — *Consules sortiti, uter dedicaret* etc. vide ad I, 55, n. 3. — *Quam dignum erat*, vid. ad I, 14, n. 2.

8. *Postem iam tenenti consuli* (vide ad I, 55, n. 3) *nuntium incutiunt*, repente afferunt, ut ei incutiant terrorem. Confer Cic. pro Domo c. 54; *funesta* quum sit *familia* et domus eius, in ea funus, eoque ipsa contaminata. Cf. II, 47 extr.

nem deum nuntium incutiunt; ***mortuum eius filium esse, funestaque familia dedicare eum templum non posse.*** Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit, nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. Nihil [9] aliud ad eum nuntium a proposito aversus, quam ut cadaver efferri iuberet, tenens postem, precationem peragit, et dedicat templum. Haec [10] post exactos reges domi militiaeque gesta primo anno. Inde P. Valerius iterum, T. Lucretius, consules facti.

IX. Iam Tarquinii ad Lartem Porsenam, clusinum [1] regem, perfugerant. Ibi, miscendo consilium pre-

9. *Nihil aliud*, scilic. respondit; vel potius, κατὰ nihil aliud, h. e. non ultra, non aliter, non alio modo, *aversus a proposito* etc. Sic fere III, 19, *si nihil aliud*, si nulla alia re: nisi malis *si nihil aliud*, scil. fecit, s. egit, ellipsi Graecis et Romanis frequenti, v. c. *nihil minus, quam vereri* XXVI, 20 (ubi vide not. 1); *quid aliud*, scil. facimus, s. agimus, *quam admonemus* IV, 3 pr. et XXII, 60, n. 5, h. e. tantummodo admonemus. Ita hoc explicandum probabile fit ex IV, 26; VII, 17; XXVI, 2; XXXIV, 2; XLI, 23, ubi plene dicitur: *quid aliud faciunt*, vel *agunt*, *quam quod suadent:* quibus locis Gron. verbum *agere* delendum putabat. Ita pro *tantum*, tantummodo, non nisi ponitur *nihil aliud quam* II, 29, 32, 49, 63; IV, 26; IX, 17, n. 10; XXIII, 3; XXIV, 36; XXVII, 18; XXXIV, 46; XXXV, 49; XXXVII, 21; XL, 15, 50; *nec quidquam aliud quam* XXXI, 24; *nihil praeterquam* III, 26 extr. *quid aliud quam* XL, 15. Cf. ad II, 43, n. 6; VI, 41, n. 6, et ad Tacit. Ann. IV, 34, n. 6.

10. *Haec post exactos reges... gesta primo anno:* sed quaedam memoratu digna omisit Livius, in pr. primum foedus inter Romanos Poenosque super navigatione ictum, maritimamque mercaturam iam tum a Romanis exercitam (vide Polyb. III, 22 sq. et Heyn. in Opusc. Acad. t. III, p. 42 sq.), et creationem quaestorum, a Valerio (non vero a seqq. consulibus) populo concessam, si fides habenda Plutarcho in Poplic. p. 103. (Conf. ad II, 41; IV, 43, et in prim. ad locum class. Tacit. Annal. XI, 22.) Anno sequente nihil admodum memorabile evenisse, et tertio demum bellum cum Porsena gestum esse dicit Dionys. V, 20.

Cap. IX. 1. *Porsenae* regia *Clusium* (olim *Camers*, vide ad X, 25, n. 7, hod. *Chiusi*) opulentissima fere Etruriae civitas ad Clanem fluvium quam tridui spatio ab Roma abfuisse dicit Polybius II, 25. *Porsena*, graece Πορσῖνος, Πορσίνας, Πορσήνας, sed in multis libris *Porsenna* legitur, ut in quibusdam Plinii, Frontini, al. Syllaba secunda brevis est apud Sil. VIII, 389, 478; X, 483; longa vero apud Virgil. Aen. VIII, 646. Confer Drak. ad h. l. et Duk. ad Flor. I, 10, 1. *Lartes*, vel potius *Lar* et *Lars*

cesque, nunc orabant, *ne se oriundos ex Etruscis, eiusdem sanguinis nominisque, egentes exsulare pateretur:* nunc monebant etiam, *ne orientem morem pellendi reges inultum sineret. Satis libertatem ipsam habere dulcedinis. Nisi quanta vi civitates eam expetant, tanta regna reges defendant: aequari summa infimis: nihil excelsum, nihil quod supra cetera emineat, in civitatibus fore. Adesse finem regnis, rei inter deos hominesque pulcherrimae.* Porsena tum regem esse Romae, tum etruscae gentis regem, amplum [2] Tuscis ratus, Romam infesto exercitu venit. Non unquam alias ante tantus terror senatum invasit: adeo valida res tum clusina erat, magnumque Porsenae nomen: nec [3] hostes modo timebant, sed suosmet ipsi cives, ne romana plebs metu perculsa, receptis in urbem regibus, vel cum servitute pacem acciperet. Multa igitur blandimenta plebi per id tempus ab senatu data: annonae in primis habita cura, et ad frumentum comparandum missi, alii in Volscos, alii Cumas. Salis [4] quoque vendendi arbitrium, quia impenso pre-

(cf. III, 65 pr. et IV, 17, 58), praenomen forte dignitatis et regibus Etruscorum Veientiumque commune. Charisius lib. I: *Lar si familiaris erit, genitivo Laris; si Tolumnii* (vel Herminii III, 65, quem Λάρον vocat Dionys. et Λαρῖνον Diodor.) *vel Porsennae, Lartis.* Ceterum hoc bellum docet, quam exignae tum adhuc Romanorum vires fuerint. Porsena vero adiuvabatur etiam non modo ab aliis Etruscis, sed etiam a Latinis, quorum auxilia Tarquinius eiusque gener, Octavius Mamilius, contraxerant. — *Tarquinii*, pater et filii. — *Miscendo* vide ad I, 8, n. 4.

2. *Amplum Tuscis ratus*, gloriosum (ut V, 30; XXVIII, 42; XXX, 17), *tum regem esse Romae*, eumque a Tuscis reductum, *tum* etc. — *Romam* cum *infesto exercitu venit* pro *ad Romam*, prope Romam: neque enim ipsam ingressus est; Bauer. — *Non unquam alias ante*, eleganter pro *nunquam* et graece; Ern.

3. *Nec hostes modo timebant*, sc. senatus (vid. ad I, 41, n. 1), *sed etiam* (vide ad I, 40, n. 1) *suosmet ipsi*, ipsos, *cives:* neque enim *alii* timebant, sed *alios*; Bauer. — *Vel cum servitute*, quocumque pretio, etiam ipsius servitutis aut amissae libertatis, pacem redimeret.

4. *Salis quoque vendendi arbitrium*, pro arbitrio vendendi potestas, ius privum, monopolium, *quia impenso*,

tio venibat, in publicum omne sumptum, ademptum

magno, immenso, *pretio venibat*, vendebatur sal a redemptoribus (vel lucri faciendi causa, vel quia magno conduxerant salinas, ab Anco circa Ostiam factas, de quo vid. I, 33 extr. et ipsis, ut omnia fere publica, locatas), *in publicum*, scil. aerarium *omne sumptum*, receptum, translatum, reipublicae vindicatum, iuris publici factum, quod fuisset privati (ut fere *in publicum recuperare* XLII, 19 pr. *emere*, h. e. pecunia aerarii, vel ea soluta publicum facere quod privatum est, XXXIX, 44; XLIV, 16 extr. *redimere* XXVI, 27; *redigere* II, 42 pr. IV, 10, 15, ubi conf. not. 8; *referre* Nep. Timoth. I; *cogere* Varr. L. L. IV; *dare* ap. Caton. et contra *vendere in privatum* XL, 51; *redimere de publico et ex privato* XXII, 60, n. 2; *conferre ex privato* XXXIV, 34, n. 2; *nihil in publicum relatum*, *omne in privatum versum* XXXVIII, 59, n. 1, gr. δημεύειν), et *ademptum privatis*, ut a publicis actoribus institoribusve plebi divenderetur pretio salubriore. Cf. Burm. de vectig. prop. rom. cap. 6, p. 92. Recepi cum Strothio emendat. Gron. quam etiam MSS. auctoritate firmari testatur Klockius, sed verba alio sensu accipio quam Gron. qui putabat, *venire* h. l. esse conduci, et *arbitrium* pecuniam, quam socii (publicani) solverint pro monopolii, quod vocant, iure redimendo, ut fere *arbitria funeris* apud Cic. (vide Ernesti clav. Cic.). Vulgata lectio, *in publicum omni sumptu*, ni fallor, plane inepta est; neque persuasit mihi coniecturam suam Doering. qui suspicatur, verbum *translato*, vel *recepto*, vel *redacto*, vel simile excidisse, sensumque h. l. esse: *ademptum privatis*, dum *omnis sumptus* sali conficiendo impendendos transferebatur ad aerarium, sive, dum publice suscipiebatur salinarum administratio, ut, sublato, quod privati e salis venditione faciebant, lucro, salubriore pretio sal veniret; *in publicum omne insumpto* emend. Heins. ad Tac. Annal. VI, 32. — Codex Paris. habet *alii in Vulcos* (ut semper), *alii Cumas: aliis quoque vendendi arbitrium quia impenso pretio veniebat in publicum omni sumptu* ademptum *privatis*. Quam lectionem ineptam certe habebat alter codex a Nannio relatus; observandum est τὸ *aliis* inscriptum fuisse in nostro ab emendatore, ut tota phrasis ad frumentum referatur; sed ea constructio recipi non potest. Creverius probat quidem emendationem Gronovii *in publicum omne sumptum*, quamvis vulgatam lect. *omni sumptu* servaverit; et ego quoque servaverim, participio absolute posito, quod apud veteres non infrequens esse dicit Turnebus ad hunc locum, ut significetur, salem plebi datum de publico, onere et sumptu illo in rempublicam recepto. Lem. — *Portoriisque plebes liberata* ex emend. Gron. pro *plebe liberata*, adversante Bauero, cuius nota est: « Etsi sententia haec non pendet a praeced. tamen moris est scriptoribus, qua graecis qua latinis, ut per ablativos absolutos eas sententias coniungant, quae nullo nexu cum prioribus continuentur, nihil certe, quod antecesserit, significent, ut h. l. pro: simul etiam plebs liberata est. » *Portoria* h. l. omne vectigalis genus, proprie illud, quod in *portu* pro mercibus solvitur, ut XL, 51 extr. Conf. ad XXXII, 7, n. 1, et vide Burm. de vectigal. c. 5.

privatis: portoriisque et tributo plebes liberata, ut divites conferrent, qui [5] oneri ferendo essent; pauperes satis stipendii pendere, si liberos educarent. Itaque haec indulgentia Patrum, asperis postmodum rebus in obsidione ac fame, adeo concordem civitatem tenuit, ut regium nomen non summi magis quam infimi horrerent: nec [6] quisquam unus malis artibus postea tam popularis esset, quam tum bene imperando universus senatus fuit.

X. Quum hostes adessent, pro se quisque in urbem ex agris demigrant: urbem ipsam sepiunt praesidiis. Alia muris, alia Tiberi obiecto videbantur tuta. Pons sublicius [1] iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles: id munimentum illo die fortuna urbis romanae habuit; qui positus forte in statione pontis, quum captum repentino impetu Ianiculum, atque inde citatos decurrere hostes vidisset, trepidamque turbam suorum arma ordines-

5. *Qui oneri ferendo essent*, scil. pares, sufficerent; ut *sitne aliquis plebeius ferendo magno honori* IV, 35; *remp. esse gratiae referendae* XXVIII, 25, n. 4; *aeri solvendo esse* XXXI, 13 (ubi falso, opinor, in omnibus libris legitur *aere*, quemadmodum VI, 31, pro *impediendo delectui esse*, in multis MSS. *delectu*; XXIV, 27, n. 1, in omnibus libris *praetores trahenda re esse*, seu erant, scil. occupati, iudice Stroth., et triumviri monetales rectius dicuntur *aeri flando feriundo*, sed forma antiquiore *aere fl. f.*); *quae diutinae obsidioni tolerandae sunt* XXX, 9; *esse etiam nunc tolerando certamini legatum* X, 5. At non necesse quidem videtur supplere *par*; sic IV, 43, *non ducem scribendo exercitui esse*. — Mox *stipendii*, tributi.

6. *Nec quisquam unus*, vide ad III, 55, n. 13.

CAP. X. 1. *Pons sublicius*, qui, ut Tiberis, inter *Ianiculum* et Vrbem erat; vid. I, 33 et 37.—*Munimentum*, praesidium urbis et Romanorum, dicitur Horatius Cocles, ut passim vir fortissimus civium suorum *praesidium*, *murus*, *turris*, *clipeus*, πύργος, ἕρκος, κίων, ἔρεισμα. *Cocles*, unoculus, Horatius cognominatus, ἐν πολέμῳ τῶν ὀμμάτων θάτερον ἐκκοπείς, ὡς δ' ἔνιοι λέγουσι, διὰ σιμότητα τῆς ῥινὸς ἐνδεδυκυίας, ὥστε μὴ εἶναι τὸ διορίζον τὰ ὄμματα, καὶ τὰς ὀφρῦς συγκεχύσθαι, Κύκλωπα βουλόμενοι καλεῖν αὐτὸν οἱ πολλοὶ etc. Plut. in Poplic. pag. 105. Idem et Dionys. V, 25, tradit, Horatium grave vulnus accepisse in natibus vel femore, et ex eo claudicasse.

que relinquere, reprehensans [2] singulos, obsistens, obtestansque deum et hominum fidem, testabatur *nequidquam deserto praesidio eos fugere. Si transitum* [3] *pontem a tergo reliquissent, iam plus hostium in Palatio Capitolioque, quam in Ianiculo, fore. Itaque* [4] *monere, praedicere, ut pontem ferro, igni, quacumque vi possent, interrumpant. Se impetum hostium, quantum corpore uno posset obsisti, excepturum.* Vadit inde in primum aditum pontis; insignisque inter conspecta cedentium pugnae terga, obversis cominus ad ineundum proelium armis, ipso miraculo audaciae obstupefecit hostes: duos tamen cum eo pudor tenuit, Sp. Lartium, ac T. Herminium [5], ambos claros genere factisque. Cum his primam periculi procellam, et quod tumultuosissimum pugnae erat, parumper sustinuit: deinde eos quoque ipsos, exigua parte pontis relicta, revocantibus qui rescindebant, cedere in tutum coëgit. Circumferens inde truces minaciter oculos ad

2. *Reprehensans singulos*, reprehensos retrahens (ut *manu reprehendere* XXXIV, 14, n. 4, retrahere, vel a tergo prehendere), vel obiurgans.— *Obsistens, obtestansque*, ut X, 19. *Obsecransque* malebat Gron. ne iungerentur *obtestans... testabatur*, h. e. monebat, demonstrabat.

3. *Si transitum pontem*, per quem transiissent (ut XXI, 43; et XXIII, 28), vel *si pontem reliquissent a tergo transitum* hostibus, qui velut his transitus esset; Stroth. Non male; nisi malis e cod. Oxon. reponere *transitum per pontem*, vel cum Nannio emendare *transitui*. Doer.

4. *Itaque monere, praedicere*, hortari, iubere, ut XXXIX, 19 et 51. Vtrumque verbum iungitur XXI, c. 10, et hinc *praedictum* est mandatum XXIII, 19, proprie quod alicui dicitur, ut faciat eiusque memor sit. Cf. ad Tac. An. XIII, 36, 2. — *Ferro, igni* etc. vide ad I, 59, n. 1. — *Cedentium pugnae*, ei se subducentium, subtrahentium. *Pugna* malebat Gronovius. Sed *cedere pugna* demum dici posse eum, qui iam pugnaverit, monet Bauer.

5. *Sp. Lartium, ac T. Herminium* cornu dextrum Rom. in acie tenuisse tradit Dionys. V, 23. Ibid. alter Λάρκιος dicitur: ap. Plut. in Poplic. p. 105, Λουκρήτιος καὶ Ερμήνιος. Cf. de iis inf. c. 11, et 20. Lartii forte filius aut frater primus dictator c. 18.— *Periculi procellam*, vide ad c. 1, n. 5. Mox *exigua pars pontis*, et deinde *ut proelium incipiat* emendat Gron.

proceres Etruscorum, nunc singulos provocare, nunc increpare omnes: *servitia*[6] *regum superborum; suae libertatis immemores, alienam oppugnatum venire.* Cunctati aliquandiu sunt, dum alius alium, ut proelium incipiant, circumspectant. Pudor deinde commovit aciem, et clamore sublato, undique in unum hostem tela coniiciunt. Quae quum in obiecto cuncta scuto haesissent, neque ille minus obstinatus ingenti pontem[7] obtineret gradu, iam impetu conabantur detrudere virum; quum simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum alacritate[8] perfecti operis sublatus, pavore subito impetum sustinuit. Tum Cocles, *Tiberine*[9] *pater*, inquit, *te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio flumine accipias.* Ita[10], sic

6. *Servitia regum superborum*, tanquam servos. Cf. ad III, 15, n. 8. Sic et *mancipia nobilium* tropice et amare dicuntur *tribuni pl.* X, 37, n. 8.

7. *Pontem obtineret*, teneret, obstinate retineret fortiterque defenderet (vide ad III, 36, n. 12), *ingenti gradu*, diductis pedibus et firmiter positis (*stabili gradu* VI, 12, n. 6, et Tac. Hist. II, 35), instar *gladiatoris, gradum* seu *statum* tenentis. Sic *hostes gradu demoti* VI, 32; *gradu* et *statu movere* VII, 8; XXX, 18 (ut al. *de gradu* et *statu demovere*, *deiicere*, *depellere*, *deducere*, *declinare*), et *in suo quisque gradu obnixi* VIII, 38. Cf. ad VII, 10, n. 2. Horatium *angustias pontis implesse* dicit Sen. Ep. 120; at διαμεῖναι ἐπὶ τῆς αὐτῆς βάσεως Dionys. Inde in comitiis competitores vel *locum suum tenere*, vel *loco pelli*, et simpl. *depelli* seu *deiici* dicuntur; v. ad III, 35, n. 10; et X, 8, n. 2: « Locutio a gladiatorio positu ducta, non ex Hom. μακρὰ βιβάς: nam Homero designatur vadens, ingrediens; Livio consistens, resistens; » Bauer.

8. *Alacritate perfecti operis*, prae alacri gaudio ob perfectum opus, scil. pontem rescissum. Cf. ad I, 5, n. 5.

9. *Tiberine pater*: nam h. l. *Tiberinus* non amnis, sed deus est fluvii, et *pater*, honoris, amoris, religionisque vox, qua dii, reges, fluminaque maiora insigniuntur.

10. *Ita*, his dictis, *sic armatus*, sicut armatus erat. *Ita* pro *itaque*; vel *ita sic*, ut *itaque ergo* et *iam nunc*; Drak. — *Ad posteros*, apud eos. Cf. ad I, 26, n. 3; III, 21, n. 4; V, 20, n. 5; VI, 34, n. 4; VII, n. 2; X, 29, 35; XXX, 32, 48 al. Coclitem *incolumem ad suos tranasse*, tradit etiam Dionys. V, 24; at periisse Polybius VI, 55, sect. 3, ubi tamen Schweigh. monet, Livium et Florum I, 10, dubie de ea re loquutos esse, sed Polybium ambigue quodammodo dixisse κατὰ προαίρεσιν μετήλλαξε τὸν βίον, *voluntariae morti se destinavit*, h. e. vel *periculo sponte suscepto succubuit*, vel, *quum morti se destinasset*, *incolumis tamen evasit.*

armatus in Tiberim desiluit: multisque superincidentibus telis incolumis ad suos tranavit, rem ausus plus famae habituram ad posteros, quam fidei. Grata erga tantam virtutem civitas fuit: statua [11] in comitio posita; agri [12] quantum uno die circumaravit, datum. Privata quoque inter publicos honores studia eminebant: nam in magna inopia pro [13] domesticis copiis unusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit.

XI. Porsena primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda urbe ad obsidendam versis, praesidio in Ianiculo locato, ipse in plano ripisque Tiberis castra posuit; navibus undique accitis, et ad [1] custodiam, ne quid Romam frumenti subvehi sineret, et ut praedatum milites trans flumen per occasiones aliis atque aliis locis traiiceret: brevique adeo infestum omnem romanum agrum reddidit, ut non cetera solum ex agris, sed pecus quoque omne in urbem compel-

11. *Statua* Horstii *in comitio posita* (ut Attii Navii; vide ad I, 36, n. 6), τῆς ἀγορᾶς ἐν τῷ κρατίστῳ ap. Dionys. lib. V, p. 296; postea, quum de caelo tacta esset, monitu haruspicum in locum sublimiorem in area Vulcani translata; vid. Gell. IV, 3. Hinc εἰκόνα χαλκῆν ἔστησαν αὐτῷ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἡφαίστου ap. Plut. Poplic. p. 106, et *statua ei in Vulcanali posita* ap. Victor. vir. illustr. c. 11. Eam *durare hodieque* dicit Plin. XXXV, 5, seu 13. Propter diversam scriptorum narrationem Douiat. ad h. l. et Hard. ad Plin. l. l. perperam duas statuas ex una fecere; quod eo magis mirandum, quum ipsi Gellium ad partes vocaverint; Drakenb.

12. *Agri quantum uno die circumaravit*, arando circumivit: non enim capiendum est de reciprocatione in arando; nam ita tantum iugerum seu iugum accepisset, quod inde dictum creditur, quoniam uno iugo boum in die exarari posset; sed de ambitu, quantum bobus uno sulco circumduxisset; Drak. Cf. Plinium XVIII, 3 pr. Dionysium lib. V, p. 296, et 303; Lipsium ad Senecam, de beneficiis VII, 7.

13. *Pro domesticis copiis*, pro earum modulo, *unusquisque ei aliquid* etc. Cf. V, 47 extr.

Cap. XI. 1. *Ad custodiam*, custodiae causa, ut saepe *ad* eo sensu; Duk. —*Traiiceret* recte emendavit Gronovius, pro vulg. *traiicerent*; nisi cum uno Creverii legas *sinerent... traiicerent*. Lem. — *Infestum rom. agrum reddidit*, vide ad I, 7, n. 7.

leretur, neque quisquam extra portas propellere auderet. Hoc tantum licentiae Etruscis non metu magis, quam consilio concessum: namque Valerius consul, intentus in occasionem multos simul et effusos improviso adoriundi, in parvis rebus negligens[2] ultor, gravem se ad maiora vindicem servabat. Itaque, ut eliceret praedatores, edicit suis, postero die frequentes porta Esquilina, quae aversissima ab hoste erat, expellerent pecus; scituros id hostes ratus, quod in obsidione et fame servitia infida transfugerent. Et sciere perfugae indicio; multoque plures, ut in spem universae praedae, flumen traiiciunt. P. Valerius inde T. Herminium cum modicis copiis ad secundum[3] lapidem gabina via occultum considere iubet: Sp. Lartium cum expedita iuventute ad portam Collinam stare, donec hostis praetereat; deinde se obiicere, ne sit ad flumen reditus. Consulum alter T. Lucretius porta Naevia cum aliquot manipulis militum egressus: ipse Valerius Coelio monte cohortes delectas educit: hique primi apparuere hosti. Herminius, ubi tumultum sensit, concurrit[4] ex insidiis, versisque in Valerium Etruscis terga caedit: dextra laevaque, hinc a porta Collina, illinc ab Naevia redditus clamor: ita caesi in

2. *Negligens ultor*, non adeo severus.

3. *Ad secundum lapidem*, milliare rom., *gabina via*, quae Gabios ducebat. Ad seqq. iam haec notavit Stroth. « prima Vrbis porta, a Tiberi orientem versus, erat Flaminia, tum sequebantur Collatina, Collina, Viminalis, Querquetulana, Esquilina, Tiberi e regione posita vel *aversissima ab hoste*, Naevia, Coelimontana etc. Etruscis igitur necesse erat praeterire portam Collinam (cf. ad XXVI, 10, n. 3) et viam gabinam, ut ad pecus e porta Esquilina exactum pervenirent; ubi vero huc perventum erat, a fronte eos adoriebatur consules, e portis Naevia et Coelimontana egressi. Ita a quatuor partibus inclusi erant hostes. »

4. *Herminius... concurrit ex insidiis* una cum militibus; *procurrit* conj. Scheller. — *In Valerium* ex emend. Glar. et Sigon. *in Lucretium* omnes MSS. et priscae edd. — Paris codex habet *concurrit... in Lucretium*: Creverius legi vult *consurgit*. Lem.

medio praedatores, neque ad pugnam viribus pares, et ad fugam septis omnibus viis; finisque ille tam effuse evagandi Etruscis fuit.

XII. Obsidio erat nihilominus, et frumenti cum summa caritate inopia; sedendoque expugnaturum se urbem spem Porsena habebat: quum [1] C. Mucius adolescens nobilis, cui indignum videbatur, populum romanum servientem, quum sub regibus esset, nullo bello nec ab hostibus ullis obsessum esse, liberum eundem populum ab iisdem Etruscis obsideri, quorum saepe exercitus fuderit; itaque, magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vidicandam ratus, primo sua sponte penetrare in hostium castra constituit: dein metuens, ne, si consulum iniussu et ignaris omnibus iret, forte deprehensus a custodibus romanis retraheretur ut transfuga, fortuna [2] tum urbis crimen affirmante, senatum adiit: *Transire Tiberim*, inquit, *Patres, et intrare, si possim, castra hostium volo; non praedo, nec populationum* [3] *in vicem ultor. Maius, si dii iuvant, in animo est facinus.* Approbant Patres: abdito intra vestem ferro, proficiscitur. Vbi

Cap. XII. 1. *Quum C. Mucius* (Μούκιος, non *Mutius*), ... *itaque magno audacique* etc. h. e. quum is Mucius igitur, s. inquam, *magno* etc. Sic usu particularum *itaque* et *igitur* post longiorem parenthesin vel digressionem orationis series nectitur. Cf. Gronov. ad h. l. et Ernesti clav. Cic. « Ἀνακόλουθα haec *Mucius... itaque ratus*: certe τὸ *itaque* redundat, nisi interpretari malis *atque ita* vel *propterea*; » Bauer. — *Indignitatem*, ignominiam.— *Sua sponte*, clam, *sine consulum iussu et ignaris omnibus.*

2. *Fortuna tum urbis*, obsidione et frumenti inopia, *crimen affirmante*, confirmante; ut I, 1, n. 9; aut probabile, credibile reddente, ut XXXII, 35, n. 3.

3. *Populationum in vicem ultor*, ut, quemadmodum hostes populati sunt, vicissim populer, et sic eorum populationes ulciscar; Doer. «Est potius pleonasmus: neque enim hic iunxeris *populationum in vicem*, i. e. quae fiant in vicem, ultro citroque; nam nec romani populari hic poterant, nec, si *in vicem* hoc fieret, ultore aut ultione alia opus esset; » Bauer. Mox forte leg. *multa ageret*, *et cum* vel *cumque milites vulgo adirent.* — *Semet ipse aperiret quis esset*, graecismus, ut *scis me qui sim* et alia; Schaef.

eo venit, in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Ibi quum stipendium forte militibus daretur, et scriba cum rege sedens pari fere ornatu, multa ageret, eum milites vulgo adirent; timens sciscitari, uter Porsena esset, ne ignorando regem semetipse aperiret quis esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat. Vadentem inde qua per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, quum, concursu ad clamorem facto, comprehensum regii satellites retraxissent, ante tribunal[4] regis destitutus, tum quoque inter tantas fortunae minas, metuendus magis, quam metuens: *Romanus sum*, inquit, *civis: C. Mucium vocant. Hostis hostem occidere volui: nec ad mortem minus animi est, quam fuit ad caedem. Et facere et pati*[5] *fortia, romanum est. Nec unus in te ego hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde in hoc discrimen, si iuvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo; ferrum hostemque in vestibulo habeas regiae: hoc tibi iuventus*[6] *romana indicimus bellum: nullam aciem, nullum proelium timueris: uni tibi, et cum singulis res erit.* Quum rex, simul ira infensus periculoque conterritus, circumdari ignes minitabundus iuberet, nisi expromeret propere quas

4. *Ante tribunal regis destitutus*, constitutus, scil. solus, reus, inops; Bauer. Verbum *destituere* (quod iam monuit Stroth. ad X, 4) significat vel in inferiore loco constituere, ut h. l. et XXIII, 10; vel poenae aut contumeliae causa, aliquem constituere in aliquo loco: vel ita, ut periculis expositus sit, ut VII, 10, 13; X, 4; XXVII, 13. Cf. Ernesti clav. Cic.

5. *Pati fortia*, syllepsis pro ad quae patienda fortitudine, s. forti animo opus sit, vel pro adverb. *fortiter*; Bauer. — *Vt in singulas horas capite dimices tuo*: «si hoc rectum est, erit id. q. paulo post, *uni tibi et cum singulis res erit*: sed satis insolens videtur, ut *capite suo dimicare* dicatur, qui solus omne periculum sustinet; et forte leg. *de capite*, ut XXIV, 26, et similia passim;» Duk. *Capite* pro *de capite* dictum; Bauer.

6. *Iuventus romana*, nos iuvenes romani.

insidiarum sibi minas[7] per ambages iaceret: *En tibi*, inquit, *ut sentias, quam vile corpus sit iis, qui magnam*[8] *gloriam vident:* dextramque[9] accenso ad sacrificium foculo iniicit. Quam quum velut alienato ab sensu torreret animo, prope attonitus miraculo rex, quum ab sede sua prosiluisset, amoverique ab altaribus iuvenem iussisset, *Tu vero abi*, inquit, *in te magis, quam in me, hostilia ausus. Iuberem*[10] *macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. Nunc iure*[11] *belli liberum te, intactum inviolatumque hinc dimitto.* Tum Mucius, quasi remunerans meritum: *Quandoquidem*, inquit, *est apud te virtuti honos, ut beneficio*[12] *tuleris a me, quod minis nequisti; trecenti coniuravimus*

7. *Minas per ambages*, obscure, *iaceret*, proferret, ederet, significaret. Conf. ad I, 55, n. 6, et V, 15, n. 4. Sic *iacere* et *iactare pacis conditiones* vel in iis quid, pro commemorare c. 13 pr. XXXVIII, 25, et al. Cf. de vi et discrimine verborum *iacere* et *iactare* ad Tacit. Ann. XI, 18, 7, et inf. ad III, 10, n. 2.

8. *Qui magnam gloriam vident*, vide ad I, 34, n. 5.

9. *Dextram .... foculo iniicit*, arae parvae et portatili. Res expressa in plurimis gemmis, in Gorlaei Dactyl. P. II, n. 206, 207, 534; Wildii gemm. n. 105 al. quas exhibuit Drak. ad Sil. VIII, 385 sq. Eam tamen, tanquam fide indignam, non memoravit Dionys. V, 35. *Accenso foculo*, proprie, igni accenso in eo. Cf. Ovid. Fast. I, 76.

10. *Iuberem* te *macte* (propr. *mactum*) *virtute esse*, laudis et laetitiae fructum porro capere e virtute tua, et in ea pergere; ut fere ὄναιο τῆς ἀρετῆς, et ὀνήμενος ap. Hom. Odyss. β, 33. Vox haec, quam pro *magis aucte* positam, vel a verb. obsoleto *magere* derivandam putant, solemnis fuit in laetis acclamationibus, perpetrato egregio facinore: unde alius eius casus (etiam in plur. *macti virtute este* VII, 36) vix in usu fuisse videtur. Confer Drak. ad h. l. Heyn. ad Virgil. Aen. IX, 641; Burm. ad Valer. Flac. VI, 547; Duk. ad Flor. II, 18, 16.

11. *Iure belli liberum* (ut fere mox *intactum inviolatumque*) liberum a iure belli, h. e. a poena, quam iure belli a te exigere possem; Drak. Velut ea passum, quae iure belli ab hoste pati debueras; vel: ut, qui te violare aut retrahere voluerit, ius belli violasse iudicetur; Bauer. Interpretatio Drak. minus dura. — *Intactum*, illaesum; *inviolatumque* synon. ut *integri intactique* V, 38, n. 7. Hinc et *intactam nivem* dixit Livius XXI, 36, ut *integram* Sen. Nat. quaest. IV, 2; τὴν διαμεμενηκυῖαν ἐκ τοῦ πρότερον χειμῶνος ap. Polyb. III, 55 pr. Conf. infr. ad XLII, 66, n. 1; XLIII, 1, n. 3. — *Est apud te virtuti honos*, praemium; Drak.

12. *Ut beneficio tuleris a me*, consequaris; vid. ad I, 50, n. 7.

principes iuventutis romanae, ut in te hac via grassaremur. Mea prima sors fuit: ceteri, ut cuique [13] *ceciderit primo, quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt.*

XIII. Mucium dimissum, cui postea Scaevolae [1] a clade dextrae manus cognomen inditum, legati a Porsena Romam sequuti sunt. Adeo moverat eum et primi periculi casus, quo nihil se praeter errorem insidiatoris texisset, et subeunda dimicatio toties, quot coniurati superessent, ut pacis conditiones ultro ferret Romanis. Iactatum in conditionibus nequidquam de Tarquiniis in regnum restituendis, magis quia id negare ipse nequiverat Tarquiniis, quam quod negatum iri sibi ab Romanis ignoraret. De agro [2] Veientibus restituendo impetratum: expressaque necessitas obsides dandi Romanis, si Ianiculo praesidium deduci

13. *Vt cuique ceciderit*, obtigerit, vel exierit, sive exciderit (sc. sors e sitella), ut XXI, 42. — *Quoad*, donec, *te opportunum dederit*, vide ad I, 54, n. 4.

Cap. XIII. 1. *Scaevolae a clade*, iactura, *dextrae manus cognomen inditum* C. Mucio Cordo: nam σκαιός, et hinc *scaevus*, est laevus, sinister (etsi propria haec vocis *scaevus* vis non in usu fuit); unde Σκαιόλας et *Scaevola*, s. *Scaevula* per deminutionem, ut *Saxula*, *Romulus* etc. pro *Saxa* et *Romus* (vide Serv. ad Virg. Aen. I, 273), non a *scaeva vola*. Sed Varro L. L. VI, 5: *Pueris*, inquit, *turpicula res in collo quaedam suspenditur, ne quid obsit bonae scaevae* (ominis) *causa: inde* Scaevola *appellatus. Ea dicta ab* scaeva, i. e. *sinistra: quod quae sinistra sunt, bona auspicia existimantur.* Cf. Drak. ad h. l. — *Legati a Porsena* vid. ad XXVII, 5, n. 4. — *Quo nihil*, in quo n., nisi leg. *a quo;* Bauer. — *Subeunda* quod esset *dimicatio:* nam Mucius, c. 12, dixerat: *in hoc discrimen accingere, ut in singulas horas de capite dimices tuo.* — *Iactatum* vid. ad c. 12, n. 7.

2. *De agro Veientibus restituendo*, qui olim Veientibus, Porsenae popularibus et parti gentis etruscae, ademptus fuerat (vid. I, 15), sed mox a Porsena Romanis, ut iis gratiam referret, restitutus est; vid. c. 15 extr. Porsenam petiisse, ut ager sibi daretur, tradit Dionys. unde Douiat. conj. *veiente*. Sed ita *restituendo* non satis apte dictum. — *Expressa Romanis necessitas* est *obsides dandi*, decem iuvenes nobilissimos totidemque virgines: inter quos Horatii filius fuit, et Valerii filia; vide Dionys. V, 32, et Plutarch. in Poplic. p. 106. Extorta a Romanis necessario implenda conditione; Doër. Necessitas imposita, vel necessitate (imposita) res necessaria expressa; Bauer.

vellent. His conditionibus composita pace, exercitum ab Ianiculo deduxit Porsena, et agro romano excessit. Patres C. Mucio virtutis causa trans Tiberim agrum dono dedere, quae postea sunt Mucia prata appellata. Ergo, ita honorata virtute, feminae quoque ad publica [3] decora excitatae. Et Cloelia [4] virgo, una ex obsidibus, quum castra Etruscorum forte haud procul ripa Tiberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum inter tela hostium Tiberim tranavit; sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit. Quod ubi regi nuntiatum est, primo incensus ira, oratores Romam misit ad Cloeliam obsidem deposcendam; alias [5] haud magni facere; deinde in admirationem

3. *Ad publica decora*, ad facinora praeclara pro republica perpetranda, et bene sic de ea merendum.

4. *Cloelia virgo ..... omnes Romam ad propinquos restituit* (ut cap. 49; XXIV, 37; et *dedere se* vel *deditio* ad XXVII, 15; XXVIII, 22) etc. Accuratior est et probabilior narratio Dionys. IV, 34, 35, et Plutarch. in Poplic. p. 106, 107, scil. virgines custodibus pudoris causa remotis, lavasse in Tiberi, et, hortante Cloelia vel Valeria, Tiberim tranasse; insidias deinde reductis structas esse a Tarquiniis, sed ab ipso Arunte, Porsenae filio depulsas: quam ob rem gravissime indignatum Porsenam eoipso die facessere castris Tarquinios iussisse, et pace cum Romanis firmata eos castris quoque suis donasse; Cloeliam vero, quoniam equo traiecerit fluvium, ab eodem equo eximie ornato, et a reliquis obsidibus (vide Plin. XXXIV, 6 s. 13) vel ab earum patribus statua esse honoratam equestri, posita in Sacra via, celeberrimo loco (v. Senecam, Consol. ad Marciam 16), et non ita multo post incendio absumpta. Idem Plin. l. l. *E diverso*, inquit, *Annius Fetialis tradit, equestrem, quae fuerit contra Iovis Statoris aedem in vestibulo Superbi domus, Valeriae fuisse Publicolae consulis filiae; eamque solam refugisse, Tiberimque tranavisse, ceteris obsidibus, quae Porsenae mittebantur, interemptis Tarquinii insidiis.* Hoc aliisque scriptorum dissensu tota historia si non dubia, certe obscura fit. Ceterum de statua Cloeliae tanquam adhuc in conspectu omnium posita loquitur Sen. Consol. ad Marc. 16. — *Ad Cloeliam obsidem deposcendam*, h. e. poscendam vehementer, vel ad poenam, ut XXI, 6; Drak. Cf. ad Sil. I, 677; II, 30.

5. *Alias* obsides, quae cum ea effugerint, *haud magni facere* se. — *Supra Coclites Muciosque*, h. e. supra horum facinora *id facinus esse*, vid. ad V, 23, n. 4. Mox *prae se ferre*, profiteri, declarare. Sed τὸ *quemadmodum* mallem abesset. — *Constitit fides*, ut XXXVII, 32 extr. Cf. ad III, 19, n. 1, et IV, 13, n. 6.

versus, *supra Coclites Muciosque* dicere *id facinus esse*, et prae se ferre, *quemadmodum, si non dedatur obses, pro rupto se foedus habiturum; sic deditam, inviolatam ad suos remissurum.* Vtrimque constitit fides; et Romani pignus pacis ex foedere restituerunt; et apud regem etruscum non tuta solum, sed honorata etiam virtus fuit, laudatamque virginem parte obsidum se donare dixit; ipsa quos vellet, legeret. Productis omnibus, elegisse impuberes dicitur: quod et virginitati decorum, et consensu [6] obsidum ipsorum probabile erat, eam aetatem potissimum liberari ab hoste, quae maxime opportuna [7] iniuriae esset. Pace redintegrata, Romani novam [8] in femina virtutem novo genere honoris, statua equestri, donavere: in summa Sacra via fuit posita virgo insidens equo.

XIV. Huic tam pacatae profectioni ab urbe regis etrusci abhorrens mos, traditus ab antiquis, usque ad nostram aetatem inter [1] cetera solemnia manet bonis vendendis, bona Porsenae regis vendendi. Cuius originem moris necesse est, aut inter bellum natam esse, neque omissam in pace; aut a mitiore crevisse principio, quam hic prae se ferat titulus, bona hostiliter vendendi. Proximum vero est ex iis quae

6. *Consensu obsidum ipsorum probabile erat*, probatum, aequum, laudabile; probabatur. Cf. ad XXXIV, 54, n. 6.

7. *Opportuna iniuriae*; vide ad I, 54, n. 4.

8. *Novam virtutem*, singularem. Ceterum *pacis* conditiones non memorant historici. Quam iniquae tamen fuerint, patet ex Tacit. Hist. III, 72, et Plin. XXXIV, 14 s. 39.

Cap. XIV. 1. *Inter cetera solemnia*, ritus, in *bonis* hostium *vendendis*, vel in omnibus auctionibus publicis sectionibusve, est etiam hoc, ut initio earum praeco proclamet, *bona Porsenae regis venditum iri*, et primas res venales appellet *bona Porsenae*. — *Originem natam esse* pleonastice dictum, et mox per syllepsin *omissam* et *crevisse:* nam neutrum congruit *origini;* Bauer. — *Proximum vero* etc. Eandem illius *moris originem* memorat Plutarchus in Poplic. p. 107. — *Ab longinqua obsidione*, vide ad I, 1, n. 5.

traduntur, Porsenam discedentem ab Ianiculo castra opulenta, convecto ex propinquis ac fertilibus Etruriae arvis commeatu, Romanis dono dedisse, inopi tum urbe ab longiqua obsidione: ea deinde, ne populo immisso diriperentur hostiliter, venisse, bonaque Porsenae appellata; gratiam muneris magis significante titulo, quam auctionem fortunae regiae, quae ne in potestatem [2] quidem populi romani esset. Omisso romano bello, Porsena, ne frustra in ea loca exercitus adductus videretur, cum parte copiarum filium Aruntem Ariciam oppugnatum mittit. Primo Aricinos res nec opinata perculerat: arcessita deinde auxilia et a latinis populis, et a Cumis, tantum spei fecere, ut acie decernere auderent. Proelio inito, adeo concitato impetu se intulerant Etrusci, ut funderent ipso incursu Aricinos. Cumanae cohortes arte adversus vim usae, declinavere paululum; effuseque [3] praelatos hostes conversis signis ab tergo adortae sunt. Ita in medio prope iam victores caesi Etrusci: pars perexigua, duce amisso, quia nullum propius perfugium erat, Romam inermes et fortuna et specie supplicum delati sunt: ibi benigne excepti divisique [4]

2. *Ne in potestatem quidem populi rom. esset*, scil. commissum, permissum, traditum, ut XXIV, 1, extr. et XLV, 6, extr.; *in amicitiam fuerant* VI, 2 (ubi quidam iungunt *fide ambigua in amicitiam*); *in aciem stare* VI, 39; XXIV, 8, n. 9; *in carcerem asservari* VIII, 20, n. 9; *in custodiam habere* XXII, 25, n. 7; *in animum habere* XXXIII, 10. Sic et εἰς pro ἐν. Contra et *in* iungitur sexto casui pro quarto. Cf. ad I, 33, n. 8; VI, 22, n. 1; XXXIV, 52, n. 2; XLI, 28, n. 3; Gron. et Drak. ad h. l. Gell. I, 7; ad Cic. de Leg. III, 17, 37; Ernesti clav. Cic. — Mox *Aricinos res nec opinata perculerat*, plane ut ap. Suet. Tib. 11 ubi Ern. et Ruhnk. malebant *percussus*) et apud Tacitum Ann. I, 12, ubi vide notam 4, de vi et permutatione verborum *percellere* ac *percutere*.

3. *Effuse praelatos hostes*, praetereuntes, praetergressos cumanas cohortes, quae paululum declinaverant; vide ad I, 45, n. 7.

4. *Divisique in hospitia*, in aedes, ubi deversarentur; Ern. Cf. XXVIII, 26, n. 2; XXXIII, 1, n. 4; XLIII, 8; XLV, 22. — *Tuscum vicum* aliunde

in hospitia. Curatis vulneribus, alii profecti domos, nuntii hospitalium beneficiorum: multos Romae hospitum urbisque caritas tenuit: his locus ad habitandum datus, quem deinde *Tuscum vicum* appellarunt.

XV. P. Lucretius [1] inde, et P. Valerius Publicola consules facti. Eo anno postremum legati a Porsena de reducendo in regnum Tarquinio venerunt: quibus quum responsum esset, missurum ad regem senatum legatos, missi confestim honoratissimus quisque ex Patribus. *Non, quin breviter reddi responsum potuerit, non recipi reges, ideo* [2] *potius delectos Patrum ad eum missos, quam legatis eius Romae daretur responsum: sed ut in perpetuum mentio eius rei finiretur, neu in tantis mutuis beneficiis in vicem animi sollicitarentur: quum ille peteret quod contra libertatem populi Romani esset; Romani, nisi in perniciem suam faciles esse vellent, negarent, cui nihil negatum vellent. Non in regno populum romanum, sed in libertate esse: ita induxisse in animum, hostibus potius, quam regibus, portas patefacere. Eam esse voluntatem omnium, ut, qui libertati erit in illa urbe finis, idem urbi sit. Proinde, si salvam esse vellet Romam, ut patiatur liberam*

dictum tradunt Varro L. L. IV, 8, et Tac. Ann. IV, 65. Sed cf. Dionys. et Fest. Ibi habitabant sericarii (Martial. XI, 27, v. 11) prostibula et vilissimi homines; vide Horat. Sat. II, 3, v. 228; et Plaut. Curcul. IV, 1, v. 21.

Cap. XV. 1. *P. Lucretius inde et P. Valerius Publicola consules facti*: sed ex vestigiis codicum, fastorum conditoribus, Dionys. V, 21, Cassiodoro, Cuspiniani vet. libro et Mariano probabile fit, Livium h. l. mutilum, Lucretii nomen suspectum, et legendum esse: *M. Horatius* (Pulvillus iterum) *et P. Valerius Publicola* (tertium); *inde Sp. Lartius et T. Herminius consules facti*. Cf. c. 16, de *P. Valerio* quartum consule, et de *M. Valerio*, eius fratre.

2. *Non ideo potius delectos Patrum ad eum missos, quam legatis eius Romae datum* (ita omnino legendum, et τὸ *quam* ad *potius* referendum crediderim) *responsum esse, quin* (quia non) *breviter reddi responsum potuerit, non recipi reges, sed ut* etc. — Mox forte leg. *qui libertati foret in illa urbe finis*.

esse orare. Rex, verecundia victus, *Quando id certum atque obstinatum*[3] *est*, inquit, *neque ego obtundam saepius eadem nequidquam agendo: nec Tarquinios spe auxilii, quod nullum in me est, frustrabor: alium hinc, seu bello opus est, seu quiete, exsilio quaerant locum, ne quid meam vobiscum pacem distineat.* Dictis facta amiciora adiecit: obsidum quod reliquum erat, reddidit: agrum[4] veientem, foedere ad Ianiculum icto ademptum, restituit. Tarquinius, spe omni reditus incisa, exsulatum ad generum Mamilium Octavium Tusculum abiit. Romanis pax fida ita cum Porsena fuit.

XVI. Consules M. Valerius, P. Postumius. Eo anno bene pugnatum cum Sabinis: consules triumpharunt. Maiore inde mole Sabini bellum parabant: adversus eos, et ne quid simul ab Tusculo (unde, etsi non apertum, suspectum tamen bellum erat) repentini periculi oriretur, P. Valerius quartum, T. Lucretius iterum consules facti. Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis, aliquantum inde virium transtulit ad Romanos: namque Attus[1] Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romae nomen, quum pacis ipse auctor a turbatoribus[2] belli premeretur, nec par fa-

3. *Obstinatum est*, destinatum, firmum propositum. — *Obtundam*, vexabo vos.—*Pacem distineat*, impediat, dissolvat; v. ad Tac. Ann. XIV, 25, 2.

4. *Agrum veientem... restituit*, vide ad c. 13, n. 2. — De *Octavio Mamilio Tusculano*, v. I, 49 extr.

Cap. XVI. 1. *Attus Clausus*, al. *Actus, Atta, Attius, Accius.* Cf. Drak. ad h. l. et nos ad Tac. Ann. IV, 9, 5. De re ipsa, et de gente Claudia, quae et patricia fuit et plebeia, acerrimaque maiestatis Patrum propugnatrix; vid. Suet. Tib. 1, 2. De *sabino* bello vide plura ap. Dionys. V, 39, 43.

2. *A turbatoribus*, auctoribus, *belli*: nam *turbare bellum* est, turbando bellum movere seu efficere, ut ταράττειν, συνταράξαι, συγχεῖν, συγχέαι et συγχέειν τὸν πόλεμον (lat. *conflare bellum*) ap. Demosth. de Cor. 50; Polyb. IV, 10, 14; XV, 2, 13; XXVIII, 15. *Irritare pugnam* XXVIII, 33; *turbare suspicionum et credendi temeritatem* apud Tacit. Ann. IV, 67. Ita vulgatam lect. defendit Ernest. qui tum e-

ctioni esset, ab [3] Regillo magna Clientium comitatus manu, Romam transfugit. His civitas data, agerque trans Anienem: vetus Claudia tribus, additis postea novis tribulibus qui ex eo venirent agro, appellata. Appius inter Patres lectus, haud ita multo post in principum [4] dignationem pervenit. Consules infesto exercitu in agrum sabinum profecti, quum ita vastatione, dein proelio afflixissent opes hostium, ut diu nihil inde rebellionis timere possent, triumphantes Romam redierunt. P. Valerius omnium consensu princeps belli pacisque artibus, anno post, Agrippa Menenio, P. Postumio consulibus, moritur, gloria ingenti, copiis familiaribus adeo exiguis, ut funeri sumptus deesset: de publico [5] est elatus: luxere matronae,

legunter h. l. *auctorem turbatoribus* et *bellum paci* respondere monet. Alii vero inlpp. cum Gron. legere malunt *bello*, vel *a turbatoribus vulgi* (ut IV, 2, 48), vel *ab auctoribus belli*, ut πολεμοποιοῖς ap. Plut. Poplic. p. 108.

3. *Ab Regillo* prim. legitur in ed. Basil. at in MSS. *ab e. Reg.* vel *c. n. Reg.* vel *ab cn. Reg.* vel *ab icous Reg.* (unde Iac. Gron. emend. *a vico Regillo*; cf. c. 62; XIX, 13; Polyb. II, 17; et al. e quibus intelligitur, primos Italiae aliarumque regionum populos *vicatim*, κωμηδὸν vel κατὰ κώμας, habitasse, et eadem loca aliis oppida, aliis vicos dici). In quibusdam codd. *ab urbe Regillo*, in aliis *a lacu R.* Illud rectius: nam *Regillum* h. l. non est lacus in agro Tusculano (vide II, 19, 20; III, 20; VI, 2), sed oppidum Sabinorum (ut III, 58; et ap. Suet. Tib. 1, ubi *Regilli*, non *Regillum* dicitur), unde *Regillenses* VI, 22; et *Regilliani* ap. Suet. Tib. 2. — In Paris. Cod. est *ab cn Rigillo*, quod in Gaertn. iam observavit Drakenb.

Lem. — *Magna clientium manu*, 5000, quibus datus *ager trans Anienem*, μεταξὺ Φιδήνης καὶ Πικεντίας, Dionys. V, 40. Fuisse, qui Claudiam gentem iam auctore Tito Tatio Romam commigrasse traderent, docet Suet. Tib. 1.

4. *In* (ad) *principum dignationem pervenit*, principibus senatus dignitate par factus est. Conf. VII, 25; X, 7; Tacit. Germ. 13; ἀνέδραμεν εἰς τὸ πρῶτον ἀξίωμα καὶ δύναμιν ἔσχε μεγάλην Plut. Poplic. p. 108. *Dignatio* potest etiam esse gratia, favor, ut ap. Iustin. XXVIII, 4; sed scriptorem requiro Livio aequalem, qui hac voce eo sensu usus est; Drak. — *Agrippa Menenio, P. Postumio II*, iterum, *coss.* legendum putat Glareanus; sed notas secundi tertiique consulatus in lib. II et III Livii plerumque ab auctore omissas, ab editoribus autem adiectas esse, monet Drak.

5. *De publico est elatus*, publicis sumptibus sepultus est (nam funera octavo plerumque die aedibus efferri,

ut Brutum. Eodem anno duae[6] coloniae latinae, Po-
metia et Cora, ad Auruncos deficiunt: cum Auruncis
bellum initum; fusoque ingenti exercitu, qui se
ingredientibus fines consulibus ferociter obtulerat,
omne auruncum bellum Pometiam compulsum est. Nec
magis post proelium, quam in proelio caedibus tem-
peratum est; et caesi aliquanto plures erant quam
capti, et captos passim trucidaverunt: ne ab obsi-
dibus quidem, qui trecenti accepti numero erant, 7
iram belli hostis abstinuit. Et hoc[8] anno Romae
triumphatum.

XVII. Sequuti consules Opiter Virginius et Sp. Cassius Pometiam primo vi, deinde vineis, aliisque

et *extra* urbem comburi sepelirique solebant); λαμπραῖς ὑπὸ τῆς πόλεως ἐκομίσθη ταφαῖς, Dionys. V, 48. Cf. inf. c. 33 extr. III, 18, et ad XXIV, 22 extr. XXXVIII, 56 pr. Valerio tamen eiusque genti, honoris causa, locum ad sepulturam in urbe sub Velia, ut Claudiae genti sub Capitolio (v. Suet. Tib. 1), publice datum esse monet Plutarch. in Poplic. p. 109. Eum *luxere matronae* totum annum (vide Plut. l. l.), *ut Brutum*, de quo vide cap. 7.

6. *Duae coloniae latinae*, regnante Latino Sylvio ab Alba Longa, et postea iure Latii Roma deductae, Suessa *Pometia et Cora*, urbes latinae, et deinde Volscorum. Cf. ad I, 3, n. 5; Plin. III, 5 seu 9, et Heyn. ad Virg. Aen. VI, 773 sq. *Auruncorum* pars ultra Lirim in Campania habitabat, quorum Suessa Aurunca fuit, pars cis Lirim in Latio. Bellum cum iis gestum non memorari a Dionysio aliisve mireris. Cf. Drakenb. cui tota Livii narratio suspecta est.

7. *Iram belli hostis abstinuit ab obsidibus*, vide ad cap. 22, n. 3. In multis MSS. *ira belli hostilis abstinuit*, unde Gronov. emend. *ira belli hostilia abstinuit.* — In codice Paris. legitur: *ira belli abstinuit*, sicut et in Leidens. primo et Harl., testante Drak.; quam lectionem amplexus est Douiatius, et defendit, addens non aliam esse quaerendam; quas enim Gronovius et Lipsius suggesserunt (is legendum volebat *iram belli hostis abstinuit*), etsi latinae sint, minus tamen elegantiam et brevitatem Livianam sapere. *Hostis* intelligendus est populus romanus bellans cum Auruncis. LEM.

8. *Et hoc anno Romae triumphatum* de Sabinis, qui primum ingentem et rusticorum et civium romanorum caedem ediderant, quum Postumius consul imprudentius in eos erupisset, sed mox a consulibus maxima strage affecti erant; vide Dionys. V, 47, qui tradit, Minucium (non Menenium) triumphum obtinuisse, Postumium vero ovationem, quam tunc primum a senatu inventam Licinius vetus historicus prodiderit. Cf. Plin. XV, 29 s. 38.

operibus oppugnaverunt. In quos Aurunci magis iam inexpiabili odio, quam spe aliqua aut [1] occasione coorti, quum plures igni quam ferro armati excucurrissent, caede incendioque cuncta complent: vineis incensis, multis hostium vulneratis et occisis, consulum quoque alterum (sed utrum, nomen auctores non adiiciunt) gravi vulnere ex equo deiectum prope interfecerunt. Romam inde, male gesta re, reditum: inter multos saucios [2] consul spe incerta vitae relictus. Interiecto deinde haud magno spatio, quod vulneribus curandis supplendoque exercitui satis esset, tum ira maiore belli, tum viribus etiam auctis, Pometiae arma illata: et quum vineis refectis, aliaque mole belli, iam in eo esset, ut in muros evaderet miles, deditio est facta. Ceterum nihilo minus foede, dedita urbe, quam si capta foret, Aurunci passim principes securi percussi, sub [3] corona venierunt

Cap. XVII. 1. *Occasione coorti*, opportuna; vide ad I, 11, n. 1.

2. *Inter multos saucios consul* fuit, *spe incerta vitae relictus*, cui spes i. v. reliqua fuit, vel qui in incerta fuit vitae spe, ut XLIII, 17: *egregia spe futuri status fidissima gente relicta*, h. e. quum gens fidissima in spe egregia futuri status esset, egregiam eius spem haberet; Doering. *Relatus* vel *reductus* emend. Duker. — *Iam in eo loco esset res* (ut II, 47; VIII, 27, 35; XXX, 19; XXXIII, 41; XXXVII, 14), nisi malis *in eo esset* miles, quae vox sequitur. Illa ratio placet Dukero (coll. XXVIII, 22; XXX, 29; XXXIV, 41), haec Gron. ad VII, 35, n. 7. Εστι τὰ πράγματ' ἐν τούτῳ ap. Aristoph. Plut. 399, ut ἐν τούτοις et ἐνταῦθα apud alios; vid. *van Staveren* ad Napot. Milt. cap. 7. Confer ad II, 47, n. 2; III, 68, n. 1; VII, 35, n. 8; XXX, 19, n. 3; XLII, 37, n. 1.

3. *Sub corona venierunt* (vide ad III, 55, n. 8), ut *venundatis sub corona* IV, 34. Forma loquendi inde petita, quod vel antiquitus mancipia iure belli capta, coronis induta veniebant, vel milites custodiae causa captivorum venalium greges circumstabant: nam *corona* dicitur quidquid rotundum est, et hinc circulus hominum, qui ab omnibus partibus aliquid cingunt, v. c. oppidum in obsidione, aut iudicium in foro audiendi gratia. Vtramque rationem memorat Gell. VII, 4, et priorem dicit veriorem esse. — Ceterum Dionysius huius belli non meminit, at contra memorat, hoc anno Sabinos a Cassio devictos, Camerinorum oppidum a Virginio vi captum, et quosdam a Tarquinio cum Latinorum legatis Romam missos, ibique cum egenis ac

coloni alii; oppidum dirutum, ager veniit. Consules magis ob iras graviter ultas, quam ob magnitudinem perfecti belli triumpharunt.

XVIII. Insequens annus Postumum Cominium et T. Lartium consules habuit. Eo anno Romae, quum per[1] ludos ab Sabinorum iuventute per lasciviam scorta raperentur, concursu hominum rixa ac prope proelium fuit; parvaque ex re ad rebellionem spectare res videbatur. Supra[2] belli latini metum id quoque

servis coniurationem molientes securi percussos esse; v. eius lib. V, 54, 57, 63 sq. Praeterea mox iterum captae Pomeliae, belli Aurunci et trecentorum quoque obsidum mentio fit inf. cap. 22, 25, 26. Hinc non male suspicatur Drak., Livium diversos sequutum auctores et sui immemorem, easdem res bis tradidisse.

Cap. XVIII. 1. *Per ludos* pro, ludis, s. tempore ludorum, ut *per secessionem pl.* II, 33; IV, 12 pr. *per meridiem* XLII, 64, n. 4; ubi cf. Drak. *per vastationem agrorum* X, 4, n. 3; *per seditionem militarem* XXII, 33, n. 6; *per multa bella* VIII, 13; *per inducias* XXX, 31, 37; *per induciarum tempus* XXX, 24, 38; XL, 27; *per belli tempus* XXXIII, 34; *per bellum* XXIV, 7, n. 7; XXVI, 34, n. 3; XXXIII, 42, n. 3; XXXIV, 5, n. 1; XXXVI, 31, n. 5. Ceterum *ludos* h. l. intelligendos esse circenses, consuales, non scenicos, qui hac aetate nondum Romae fuerint, Grut. monet adversus Lips. Elect. I, 11, et Bulenger. de theatro I, 42. — *Per lasciviam scorta raperentur*, quod saepe factum fitque hodie vel ludis vel alio tempore, prout fors dederit, ubi disciplina solutior et lenocinia exercere liberum; Gron. — Mox forte legend. *parvaque ea res ad rebellionem spectare videbatur* (idem coni. Drak. et in quibusdam MSS. *parvaque ex re res ad rebellionem spectare videbatur* legitur), vel *parvoque ad reb. sp. res videbatur*: nisi malis cum Gronov. *parvaque ex re ad reb. sp. videbantur*, sc. Sabini, ut XL, 1. Repetitio certe voc. *res* suspecta merito fuit et Gron. tum h. l., tum XXIX, 6; XXX, 34 pr. XXXIX, 18; necnon, etsi minus, III, 38, et VI, 42: saepius quoque in vulg. libris Livio obtrusa, v. c. V, 12; XXV, 23. Confer. ad I, 3, n. 8.

2. *Supra* (h. e. super, nisi potius ita legendum, vel praeter) *belli latini metum id quoque accesserat* etc., h. e. tanta illius moles, vel certa coniurationis huius notitia accesserat. Sed obscure haec dicta; unde Dukerus non male coni. *belli sabini*, quod etiam in duobus MSS. repertum. — In codice Paris. est *latini*, quod stare non posse iudicat Creverius; triginta enim illi populi, qui coniurasse, Octavio Mamilio concitante, mox dicuntur, non alii sunt quam Latini ipsi. Lem. — *Triginta iam coniurasse populos*, sc. Latii: quod adiici necesse non erat ob seqq. An potius h. l. excidit, et delendum τὸ *latini*? Dionysius, V, 61–68, tradit, 24 latini nominis gentes cum Tarquiniis

accesserat, quod triginta iam coniurasse populos, concitante Octavio Mamilio, satis constabat. In hac tantarum exspectatione rerum sollicita civitate, dictatoris primum creandi mentio orta; sed nec [3] quo anno, nec quibus consulibus, quia ex factione Tarquinia essent, id quoque enim traditur, parum creditum sit, nec quis primum dictator creatus sit, satis constat: apud veterrimos tamen auctores, T. Lartium dictatorem primum, Sp. Cassium magistrum equitum, creatos invenio. Consulares [4] legere: ita lex iubebat de dictatore creando lata. Eo magis adducor ut credam Lartium, qui consularis [5] erat, potius quam M'. Valerium [6], M. filium, Volesi nepotem, qui nondum consul fuerat, moderatorem et magistrum consulibus appositum: qui, si maxime ex ea familia legi dictatorem vellent, patrem multo potius M. Valerium, spectatae virtutis et consularem virum, legissent. Creato

in Romanos coniurasse, simul vero Romae ob feneratorum impotentiam magnas fuisse turbas, eamque ob caussam *dictatoris primum creandi mentionem ortam.* — De *Octavio Mamilio* vide I, 49, et II, 15.

3. *Nec quo anno*; nam primum dictatorem triennio serius dictum fuisse, alii tradunt; *nec quibus consulibus .... parum creditum sit*, non satis fidei, s. fiduciae habitum sit, in quibus non satis fiduciae repositum sit. Alteruter consul, iubente senatu, aliquando et populo (vide XXV, 5), etiam absens (VIII, 23; XXVII, 5), quem vellet, e consularibus dictatorem dicebat, nocte silente captisque antea rite auspiciis; VIII, 23; IX, 38; epit. lib. XIX.

4. *Consulares legere* viros, dictatorem et magistrum equitum; h. e. lecti sunt (ut *dicunt*, *ferunt* al.; vide Stroth.) *consulares*; cf. c. 17 pr. et 18 pr.

5. *Lartium, qui consularis erat* etc., hoc eodem anno quidem est consul, sed iterum; nam consulatum iam gesserat anno 248, vide supra c. 15, n. 1; quare merito *consularis* dicitur, erratque h. l. Drak., qui coniicit *consul*, et paulo ante vocem *consulares* casu primo accipit.

6. *M' Valerium, M. filium, Volesi*, s. Volusi (v. ad I, 58, n. 2) *nepotem* primum dictum fuisse *magistrum* populi, s. dictatorem docet Festus; voc. *Optima lex.* Conf. Dionys. V, 73 qui dictatorem μόναρχον appellat, similemque dicit esse graec. αἰσυμνήταις. — *Qui*, consules, *si maxime ex ea familia*, ex gente Valeria etc.

dictatore primum Romae, postquam praeferri secures viderunt, magnus plebem metus incessit, ut intentiores essent ad dicto parendum: neque enim, ut in consulibus, qui pari potestate essent, alterius auxilium, neque provocatio erat, neque ullum usquam nisi in cura parendi auxilium. Sabinis etiam creatus Romae dictator, eo magis quod propter se creatum crediderant, metum incussit. Itaque legatos de pace mittunt: quibus orantibus dictatorem senatumque ut veniam erroris hominibus adolescentibus darent, responsum, *ignosci adolescentibus posse*, *senibus non posse*, *qui bella ex bellis sererent*. Actum tamen est de pace: impetrataque foret, si, quod impensae factum in bellum erat, praestare Sabini, id enim postulatum erat, in animum induxissent. Bellum indictum: tacitae [7] induciae quietum annum tenuere.

XIX. Consules Serv. Sulpicius, M. Tullius: nihil dignum [1] memoria actum. T. Aebutius deinde et C. Vetusius. His consulibus Fidenae obsessae, Crustumeria capta, Praeneste ab Latinis ad Romanos descivit: nec ultra bellum latinum, gliscens iam per aliquot annos, dilatum. A. Postumius dictator, T. Aebutius magister equitum, magnis copiis peditum equitumque profecti, ad lacum Regillum in agro tusculano agmini hostium occurrerunt: et quia Tarquinios esse in exer-

7. *Tacitae induciae*, quae non publico consilio aut ex pacto fiunt, sed forte aut casu, per se exsistunt, hostibus utrimque quiescentibus. Confer Iustin. VI, 7, 8, et infra II, 64; XXIII, 46. Similiter *privatae induciae* XXXIV, 19, n. 2.

Cap. XIX. 1. *Nihil dignum memoria actum* praeter id, quod Dionys. VI, 1, refert, senatusconsultum, scil. factum esse, ut mulieres latinae romanis, et romanae latinis nuptae, si iis videretur, aut domum ad parentes redire, aut apud coniuges manere possent, tumque romanas fere omnes e Latio ad parentes fuisse reversas, latinas vero, duabus exceptis, patriae praetulisse maritos. Fortasse tamen hoc figmentum est hominis graeculi Romanis adulaturi.

citu Latinorum auditum est, sustineri [2] ira non potuit, quin extemplo confligerent. Ergo etiam proelium aliquanto quam cetera gravius atque atrocius fuit: non enim duces ad regendam modo consilio rem affuere, sed suismetipsis corporibus dimicantes miscuere [3] certamina: nec quisquam procerum ferme hac aut illa ex acie sine vulnere, praeter dictatorem romanum, excessit. In Postumium, prima in acie suos adhortantem instruentemque, Tarquinius Superbus, quamquam iam aetate et viribus erat gravior, equum [4] infestus admisit: ictusque ab latere, concursu suorum receptus in tutum est. Et ad alterum cornu Aebutius magister equitum in Octavium Mamilium impetum dederat: nec fefellit veniens Tusculanum ducem; contra quem et ille concitat equum: tantaque vis infestis venientium hastis fuit, ut brachium Aebutio traiectum sit, Mamilio pectus percussum. Hunc quidem in secundam aciem Latini recepere. Aebutius quum saucio brachio tenere telum non posset, pugna excessit. Latinus dux nihil deterritus vulnere, proe-

2. *Sustineri ira*, vide infr. ad cap. 44, n. 6.

3. *Miscuere certamina*, contulere manus, congressi sunt, pugnarunt, ut *miscere pugnas*, *proelia*, *bella*, *confundere proelia*, μιγνύναι ὑσμίνην, συνάπτειν μαχήν, ξυνάγειν Ἄρηα. Similiter *miscere tumultum* etc. pro concitare, agitare, movere, moliri. — Paulo ante *suismetipsis* emend. Gron. ex more Livio fere perpetuo. Confer cap. 9, 42, 44; III, 56, 61; VII, 35 al. Sed vide Drakenb.

4. *Equum infestus admisit* (concitavit, ut XXV, 19, n. 1 al.), ut mox *infestis venientium hastis*; et c. 20, *infesto spiculo petit*: vide ad I, 13, n. 2. Pro illo *venientium* Gronov. non male coni. *invehentium*, quia proxime praecedit *veniens*, et in duobus MSS. Pall. legitur *inventientium*. Ceterum si Dionysio VI, 10-13, fides habenda, Tarquinius pater non adfuit huic pugnae, et Titus filius cum dictatore congressus est; Sextus etiam non Gabiis (vide I, 60) sed in hoc proelio periit, in quo XXXIII millia Latinorum aut caesa aut capta sunt. Idem tradit, pugnam *ad Regillum lacum* (vide ad cap. 16, n. 3) fuisse idibus quinctilibus, et in memoriam eius hoc die quotannis equites rom. solemniter ab aede Honoris extra Urbem ad Capitolium transvectos esse. Memorat quoque fabulam de Castore et Polluce huius pugnae nuntiis.

lium ciet: et quia suos perculsos videbat, arcessit cohortem [5] exsulum Romanorum, cui L. Tarquinii filius praeerat: ea, quod maiore pugnabat ira, ob erepta bona patriamque ademptam, pugnam parumper restituit.

XX. Referentibus iam pedem ab ea parte Romanis, M. Valerius, Publicolae frater, conspicatus ferocem iuvenem Tarquinium ostentantem se in prima exsulum acie, domestica etiam gloria accensus, ut, cuius familiae decus eiecti reges erant, eiusdem interfecti forent, subdit calcaria equo, et Tarquinium infesto spiculo petit. Tarquinius retro in agmen suorum infenso cessit hosti. Valerium temere invectum in exsulum aciem, ex transverso quidam adortus transfigit: nec quidquam equitis vulnere equo retardato, moribundus romanus, labentibus super corpus armis, ad terram defluxit. Dictator Postumius, postquam cecidisse talem virum, exsules ferociter citato agmine invehi, suos perculsos cedere animadvertit; cohorti [1] suae, quam delectam manum praesidii causa circa se habebat, dat signum, ut, quem suorum fugientem viderint, pro hoste habeant: ita metu ancipiti versi a fuga Romani in hostem, et restituta acies. Cohors dictatoris tum primum proelium iniit: integris corporibus animisque, fessos adhorti exsules caedunt. Ibi alia inter proceres coorta pugna. Imperator latinus, ubi cohortem exsulum a dictatore romano prope circumventam vidit, ex subsidiariis [2] manipulos

5. *Cohortem exsulum* forte manum, gallice *corps*.

Cap. XX. 1. *Cohorti suae* etc. praetoriae, quae tamen propr. instituta demum a Scipione Numant. vid. Lips. Mil. Rom. I, 4. —*Metu ancipiti*, tum ab hostibus, tum a commilitonibus incusso. Confer ad II, 45, n. 3.

2. *Ex subsidiariis*, posteriore acie, *Corps de réserve*, ut al. *subsidia*. Cf. ad cap. 31, n. 1. Sed triplex peditum acies exeunte demum saeculo IV.

aliquot in primam aciem secum rapit: hos agmine venientes T. Herminius legatus conspicatus, interque eos insignem veste armisque Mamilium noscitans, tanto vi maiore, quam paulo ante magister equitum, cum hostium duce proelium iniit, ut et uno ictu transfixum per latus occiderit Mamilium, et ipse inter spoliandum corpus hostis veruto percussus, quum victor in castra esset relatus, inter primam curationem exspiraverit. Tum ad equites dictator advolat, obtestans ut fesso iam pedite, descendant ex equis, et pugnam capessant. Dicto paruere: desiliunt ex equis, provolant in [3] primum, et pro antesignanis parmas obiiciunt. Recipit extemplo animum pedestris acies, postquam iuventutis [4] proceres aequato genere pugnae secum partem periculi sustinentes vidit. Tum

inventa. Confer ad VIII, 8, n. 1. Hinc *subsidia* ante haec tempora memorata sunt statim, vel milites ante castra hostibus oppositi; vide VI, 23 extr. coll. cum Plutarch. in Camillo, et *Nast's Röm. Kriegsalterthümer* §. 127 sq. *Subsidium* etiam passim dicitur vel praesidium, ut XXII, 32, et XXIII, 16; vel auxilium, ut II, 48, 53 al.

3. *Provolant in primum*, h. e. in primam aciem, ut cap. 46; X, 14, 41; XXV, 21; XXXVI, 18, n. 2.— *Pro antesignanis*, ut antesignani, *obiiciunt* hosti *parmas*, parva et rotunda equitum scuta. *Antesignani*, πρότακτοι, seu πρόμαχοι τῶν σημείων (*propugnatores* IX, 39), erant hastati, qui ibant stabantque *ante signa*, non omnia, sed praecipua et plurima, in secunda acie disposita, ne nuda hosti ostenderentur. Postea hastati et principes ita dicti videntur (v. c. XXII, 5, *antesignani*, *pro signis*, h. e. ante signa, ut XXIII, 25, *pro moenibus stantes*), ut et similiter *antepilani* VIII, 8; quoniam stabant *ante pilanos*, hoc est, Triarios: hi *sub signis*, h. e. post signa (unde *subsignani*), *locabantur* (confer XXIII, 16, n. 5), et *pilani* dicebantur a *pilis*, quibus utebantur; *Triarii* autem, quoniam in tertia ordine, s. acie, post hastatos et principes constituti erant. Confer ad VIII, 8, n. 4; XXII, 5, n. 4; XXIV, 16, n. 1. *Antesignani* tropice dicuntur duces, vel qui prae reliquis ad pugnandum parati sunt, XXXV, 18, n. 3, et apud Cic. Philipp. II, 29; distinguunturque ab iis, *qui primi agminis erant*, XXVII, 18.

4. *Iuventutis proceres* vel *principes* (XLII, 61), equites nobiliores, inter cives militaris aetatis vel iuniores, qui in delectu nomina profiteri debebant (vide ad I, 43, n. 2), claritudine generis excellentes. — *Impulsi Latini*, vid. ad I, 14, n. 8.

demum impulsi Latini, perculsaque inclinavit acies. Equiti admoti equi, ut persequi hostem posset: sequuta et pedestris acies. Ibi nihil nec divinae nec humanae opis dictator praetermittens, aedem [5] Castori vovisse fertur: ac pronuntiasse militi praemia, qui primus, qui secundus castra hostium intrasset: tantusque ardor fuit, ut eodem impetu, quo fuderant hostem, Romani castra caperent. Hoc modo ad lacum Regillum pugnatum est. Dictator et magister equitum triumphantes in urbem rediere.

XXI. Triennio deinde nec certa pax, nec bellum fuit. Consules Q. Cloelius et T. Lartius. Inde A. Sempronius et M. Minucius: his consulibus aedes Saturno dedicata: Saturnalia [1] institutus festus dies. A. deinde Postumius et T. Virginius consules facti. Hoc demum anno ad Regillum lacum pugnatum, apud quosdam invenio; A. Postumium, quia collega dubiae fidei fuerit, se consulatu abdicasse; dictatorem inde factum.

5. *Aedem Castori vovisse*, Castori et Polluci apud Flor. I, 11. Conf. Suet. Caes. 10.

Cap. XXI. 1. *Saturnalia* solemnia, s. festa, h. e. Saturnalium *dies festus institutus*, ut *ludi Consualia*, *Megalesia*, *Cerealia*, *Taurilia* I, 9; XXIX, 14; XXX, 39; XXXIV, 54; XXXVI, 36; XXXIX, 22; ἀγῶνα ἄγουσιν Ηραῖα et Ερμαια ap. Pausan. V, 16; VIII, 14, et similia, quae laudarunt Gron. ad I, 9; Burm. ad Quintil. I, 5, et Bentl. ad Aristoph. Plut. vers. 583. Saturnalium origo ad Tullum regem refertur a Dionys. III, et multo serior memorari videtur infr. XXII, 1 extr. qui igitur locus non de prima institutione capiendus est. Saturnalia in memoriam aureae aetatis omni laetitia XIV Kal. Ian. celebrata, et primum quidem unum diem, cui duos a Caesare demum dictatore adiectos esse, tertium ob Augusto, et quartum a Caligula putant; vide Lips. Sat. I, 2–5, et loc. class. Macrob. Sat. I, 8 et 10. Ex hoc etiam intelligitur, *aedem Saturno* a Tullo Hostilio votam, et Saturnalia primum instituta, secundum Varronem vero aedem locatam a L. Tarquinio, et a T. Lartio dictatore Saturnalibus dedicatam fuisse. Sed *Saturnalia prima* (h. e. dies primus Saturnalium, ut *Quinquatribus ultimis* XLIV, 20) iam a Livio XXX, 36; ut *secunda* et *tertia* a Cic. ad Att. V, 20; XIII, 52; et *septem Saturnalia* a Nonio et Mummio apud Macrob. l. l. memorantur; qui forte non festi omnes, sed laetitiae dies fuere.

Tanti[2] errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate, non rerum modo, sed etiam auctorum, digerere possis. Ap. Claudius deinde et P. Servilius consules facti. Insignis hic annus est nuntio Tarquinii mortis. Mortuus[3] est Cumis, quo se post fractas opes Latinorum ad Aristodemum tyrannum contulerat. Eo nuntio erecti Patres, erecta plebes: sed Patribus[4] nimis luxuriosa ea fuit laetitia: plebi, cui ad eam diem summa ope inservitum erat, iniuriae a primoribus fieri coepere. Eodem anno Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum, iterum deducta est. Romae[5] tribus una et viginti factae. Aedes[6] Mercurii dedicata est idibus Maiis.

XXII. Cum Volscorum gente latino bello neque pax, neque bellum fuerat: nam et Volsci comparaverant auxilia, quae[1] mitterent Latinis, ni matura-

2. *Tanti errores temporum implicant se*, vel nos, vel implicationem faciunt: nisi leg. *tempora*. — *Secundum quosdam*: « verba suspecta et obscuri sensus; nam si haec tantum *secundum quosdam* digeri non poterant, fuerunt alii, secundum quos id fieri poterat: sed hoc repugnat sententiae Livii, qui de omnibus loquitur; » Duker.

3. *Mortuus est Cumis* in Campania Tarquinius nonagenarius; *quo se contulerat ad Aristodemum* Malacum, Aristocratis filium, *tyrannum* Cumarum; vid. Dionys. VI, 21; et de Aristodemo id. V, 2, 10, 11; VII, 5 sq. et Heyn. Opusc. Acad. t. V, p. 427.

4. *Patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia*, immoderata fuit, data opportunitate augendae potestatis suae. Tò *nimis* additur rei augendae causa. Sic *nimia gloria luxuriare*, superbire c. 48; *laeta principia magistratus eius nimis luxuriavere*, tam laeta fuere, ut magistratus ille immoderatius se et insolentius gereret, III, 33 pr. *haec laetitia luxuriat nobis*, nimis ei indulgemus eiusque modum excedimus, XXIII, 12. — De *Signia colonia* vide I, 56, n. 3.

5. *Romae tribus XXI factae*; vide ad I, 43, n. 22.

6. *Aedes Mercurii* etc. Confer c. 27, n. 6, et Ovid. Fast. V, 669.

Cap. XXII. 1. *Quae mitterent Latinis*, et misissent, *ni* etc. Confer ad cap. 50, n. 10. — *Hac ira*, ut c. 32, *ira*, s. ob iram huius rei, ob id irati, quod, scil. Volsci auxilia comparaverant, vel in hac offensione. — *Con-*

tum ab dictatore romano esset; et maturavit romanus, ne proelio uno cum latino, volscoque contenderet. Hac ira consules in volscum agrum legiones duxere. Volscos consilii poenam non metuentes nec opinata res perculit. Armorum immemores, obsides [2] dant trecentos principum a Cora atque Pometia liberos: ita sine certamine inde abductae legiones: nec ita multo post Volscis levatis metu suum rediit ingenium: rursus occultum parant bellum, Hernicis in societatem armorum assumptis. Legatos quoque ad sollicitandum Latium passim dimittunt. Sed recens ad Regillum lacum accepta clades [3] Latinos, ira, odioque eius quicumque arma suaderet, ne ab legatis quidem violandis abstinuit: comprehensos Volscos Romam duxere. Ibi traditi consulibus indicatumque est Volscos Hernicosque parare bellum Romanis. Relata re ad senatum, adeo fuit gratum Patribus, ut et captivorum sex millia Latinis remitterent; et de foedere, quod prope in perpetuum negatum fuerat, rem [4] ad novos magistratus reiicerent. Enimvero tum Latini gaudere facto, pacis auctores in ingenti gloria

silii poenam non metuentes, quippe qui statuerant quidem auxilia Latinis mittere, sed nondum miserant.

2. *Obsides dant CCC principum a Cora et Pometia liberos*, vide ad I, 50, n. 2; II, 16, n. 6; II, 17, n. 3, et XXVII, 5, n. 4.

3. *Clades* eiusque memoria *Latinos*, *ira odioque*, ob iram odiumque omnium, *qui arma*, bellum, *suaderent* (confer not. 1), *ne ab legatis quidem violandis abstinuit*, retinuit, prohibuit; confer I, 1, n. 1; II, 16, n. 7; IV, 59; VII, 27; VIII, 19, 24, 59; XXVI, 24, n. 9; XXXVIII, 28, n. 2.

4. *Rem ad novos magistratus reiicerent*, transferrent, eorum arbitrio iudicioque rei cognitionem reservarent; ut cap. 27, 28; V, 22, n. 2; XXIII, 25; XXVI, 15; XXXIX, 3. Livium etiam dixisse *homines reiicere* (et *differre*) *ad aliquem* exemplis ad h. l. docuit Drak. Cf. ad XXI, 53, n. 3; XLII, 32, n. 4, et ad Tac. Annal. III, 52, 5. Sic et *integram causam ad senatum remittere* apud Tacit. Annal. III, 10, et forte infr. XL, 16, n. 5. — *Enimvero*, vide ad I, 51, n. 4. — Mox construe: *Cum legatis donoque venit magna multitudo captivorum*, *qui* etc.

esse. Coronam auream Iovi donum in Capitolium mittunt: cum legatis donoque, qui captivorum remissi ad suos fuerant, magna circumfusa multitudo venit. Pergunt domos eorum apud quem quisque [5] servierant: gratias agunt, liberaliter habiti cultique in calamitate sua: inde hospitia iungunt. Nunquam alias ante publice privatimque latinum nomen romano imperio coniunctius fuit.

XXIII. Sed et bellum volscum imminebat, et civitas secum ipsa discors intestino inter Patres plebemque flagrabat odio, maxime propter [1] nexos ob aes alienum. Fremebant *se foris pro libertate et imperio dimicantes, domi a civibus captos et oppressos esse; tutioremque in bello quam in pace, inter hostes quam inter cives, libertatem plebis esse*: invidiamque eam sua sponte [2] gliscentem insignis unius calamitas accendit. Magno natu quidam cum omnium malorum suorum insignibus se in forum proiecit: obsita erat squalore vestis, foedior corporis habitus pallore ac macie perempti [3]; ad hoc promissa barba et capilli efferaverant

5. *Quisque servierant*, vide ad I. 41, n. 1, et Drak. ad h. l.

Cap. XXIII. 1. *Propter nexos ob aes alienum*, debitores, qui et *nexu vincti* infra dicuntur, ut obligatio, qua creditori tenentur, *nexus*: nam creditor debitorem, dum solveret, *nectere*, h. e. nervis aut compedibus XV pondo vincire, et in servitutem abducere poterat, isque *nexum inire* (vide VII, 19), h. e. operas serviles creditoribus pro pecunia, quam debebat, praestare tenebatur. Cf. not. 8; VI, 11, 14, 15, 27, 34; VII, 19; Dionys. VI, 22 sq.; Tabul. III legg. XII Tabb. Postea soluti nexu, cautumque ne quis necteretur, nisi qui noxam, h. e. poenam meruisset. Cf. VIII, 28 extr. et mox not. 8, ubi *nexu soluti* dicuntur vel nondum eo vincti, nondum nexi addictique creditoribus, quamvis aere alieno obruti, vel, quod Strothio praeferendum videtur, aliquando vincti et postea soluti.

2. *Sua sponte gliscentem*, per se, iam ante, ex re ipsa, in animis, ut c. 38; Bauer. — *Cum omnium malorum suorum*, miseriae suae, *insignibus*, signis indiciisque externis.

3. *Corporis pallore ac macie tantum non perempti*, perempto similis, ut *fama, frigore, squalore enecti* XXI, 40, n. 4; *mortuus* apud Cic. Pis. 36; *exanimis* et *metu exanimatus*. Idem verbum *perempti* ad *pallorem*, qui index tantum est perempti corporis

speciem oris: noscitabatur tamen in tanta deformitate, et ordines [4] duxisse aiebant, aliaque militiae decora vulgo, miserantes eum, iactabant: ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices [5] adverso pectore ostentabat. Sciscitantibus *unde ille habitus? unde deformitas?* quum circumfusa turba esset prope in concionis modum, « Sabino bello, » ait, » se militantem, quia propter populationes agri non fructu » modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta » omnia, pecora abacta, tributum iniquo [6] suo tem» pore imperatum, aes alienum fecisse: id cumulatum » usuris, primo se agro paterno avitoque exuisse, » deinde fortunis aliis; postremo velut tabem perve» nisse ad corpus: ductum se ab creditore, non in » servitium, sed in ergastulum et carnificinam esse. » Inde ostentare tergum foedum recentibus [7] vestigiis

et comes, non causa, non nisi per σύλληψιν referendum: de quo vide ad I, 33, n. 7. — *Ad hoc*, praeterea, ut V, 16, n. 1; VI, 11; XXI, 52, 54; XXVIII, 44, n. 2. Sic et *ad haec* II, 45, n. 6; XXI, 40 al. et *ad id* III, 62; XXVI, 47; XLIV, 37; unde *ad id quod* pro *praeterquam quod* XXXII, 40, et XLIV, 37; sed *ad id* vel *hoc*, sc. tempus pro *hactenus*, adhuc, III, 22, n. 6; IX, 15, n. 1; XXI, 52, n. 4; XXVIII, 44, n. 3. Confer ad III, 7, n. 4, et ad Tacitum Annal. IV, 12, 6.

4. *Ordines duxisse*, rexisse, iis praefuisse, aiebant, h. e. eum aliquoties centurionem fuisse. *Ordo sexagenos milites duos, centurionem et vexillarium unum habebat*, VIII, 8. Hinc *ordinum ductor* (λοχαγὸς, s. ταξιάρχης) VII, 41; *ordinare* XXIX, 1 pr. in ordines dividere; *honestum ordinem ducere* III, 44 pr. e primis centurionibus esse, superiori alicui ordini, s. centuriae praeesse, ut contra *inferiores ordines habere* XLII, 33. Sic et *primum pilum ducere* VII, 13, n. 1. Conf. ad XLII, 34, n. 5.

5. *Cicatrices adverso pectore ostentabat:* nam *honestum* est, *adverso*, non *averso* corpore, h. e. pectore, non in tergo, ut fugientes solent, ab hostibus vulnerari. Confer ad XXI, 28, n. 4, et XLV, 39, n. 10; ad Sil. V, vers. 594.

6. *Tributum iniquo suo tempore*, minime opportuno, *imperatum* fuerit. — *Deinde fortunis aliis*, reliquis; vide ad IV, 10, n. 2. — *Velut tabem*, bene de aere alieno absumente paulatim rem familiarem; Ern. Confer ad IV, 30, n. 4; VII, 38, num. 4; XXXIII, 38, n. 2; XXXIX, 9, n. 1; XLII, 5.

7. *Recentibus vestigiis*, notis, indiciis, *verberum*, ut ἴχνη μαστίγων, πληγῶν, τραυμάτων. Doer.

verberum. Ad haec visa auditaque clamor ingens oritur: non iam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit. Nexu [8] vincti, solutique se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem: nullo loco deest seditionis voluntarius comes: multis passim agminibus per omnes vias cum clamore in forum curritur. Magno cum periculo suo, qui forte Patrum in foro erant, in eam turbam inciderunt: nec temperatum manibus foret, ni propere consules, P. Servilius et Ap. Claudius, ad comprimendam seditionem intervenissent. In eos multitudo versa, ostentare vincula sua deformitatemque aliam. Haec se meritos dicere, exprobrantes suam quisque alius alibi militiam. Postulare multo minaciter magis quam suppliciter, ut senatum vocarent: curiamque, ipsi futuri arbitri moderatoresque publici consilii, circumsistunt. Pauci admodum Patrum, quos casus obtulerat, contracti ad consules: ceteros metus non curia modo, sed etiam foro arcebat: nec agi [9] quidquam per infrequentiam poterat senatus. Tum vero eludi [10] atque extrahi se multitudo putare; et Patrum qui abessent, non casu,

8. *Nexu vincti, solutique*, v. n. 1. Pro *solutique* Bauer. coni. *soluti*, id est, quum semet ipsi solvissent: pro *nexu* Sigon. et Salmasius, de modo usur. pag. 387, *nexi*, qui tamen non differunt a *vinctis*. — *In publicum*, v. ad c. 24, n. 6. — *Temperare* sibi, abstinere *manibus*, a vi, ut XXXII, 20, n. 1; et *temperare oculis* XXI, 22, n. 8. Cf. ad Tacit. Ann. III, 14, 7. — *Haec se meritos*, consequutos: vel haec per interrogationem efferenda; Bauer. Cf. Heusing. obss. antibarb. p. 414 sq. — *Exprobrantes suam quisque alius alibi militiam* obscuriore brevitate dictum: pro qua alius alibi functi essent, ab alio alibi toleratam; Bauer.

9. *Nec agi quidquam per infrequentiam* (vel, ut al. ab infrequente senatu) *poterat senatus*: nam senatusconsultum fieri non poterat, nisi legitimus adesset Patrum numerus, et quidem centum saltem ante Augusti aetatem (cf. XXXVIII, 44; XXXIX, 4, et 18 extr. XLII, 28, n. 6): post eam CCCC; vid. Fest. v. *Numera Senatum*; Drak. ad XXXIX, 4, n. 8; Dio LIV extr. et LV, p. 550; Duk. infr. ad XXXIX, 18, n. 9.

10. *Eludi atque extrahi se*, ludifi-

non metu, sed impediendae rei causa abesse, et consules ipsos tergiversari; nec dubie ludibrio esse miserias suas. Iam prope erat, ut ne consulum quidem maiestas coërceret iras hominum: quum incerti, morando, an veniendo plus periculi contraherent, tandem in senatum veniunt: frequentique [11] tandem curia, non modo inter Patres, sed ne inter consules quidem ipsos satis conveniebat. Appius vehementis ingenii vir, imperio consulari rem agendam censebat: uno aut altero arrepto, quieturos alios. Servilius lenibus remediis aptior, concitatos animos [12] flecti, quam frangi putabat cum tutius, tum facilius esse.

XXIV. Inter haec maior alius terror: latini equites cum tumultuoso [1] advolant nuntio: *Volscos infesto exercitu ad urbem oppugnandam venire:* quae audita, adeo duas ex una civitate discordia fecerat, longe aliter Patres ac plebem affecere. Exsultare gaudio plebes; *ultores superbiae Patrum adesse* dicere *deos:* alius alium confirmare, ne nomina darent: cum omnibus potius quam solos perituros: Patres militarent, Patres arma caperent, ut penes eosdem pericula belli, penes quos praemia, essent. At vero curia moesta ac trepida ancipiti metu, et ab cive, et ab hoste, Servilium consulem, cui ingenium [2] magis populare erat, orare, ut tantis circumventam terroribus expediret rempublicam. Tum consul, misso senatu, in

cari se, re saepius *extracta*, dilata; v. ad II, 61, n. 6.

11. *Frequentique tandem curia;* cum Periz. et Gronov. forte leg. *tamen* vel *iam curia*, ob ingratam voc. *tandem* repetitionem: si quid mutandum est, Drak. malit *tamen*. — *Non modo, sed*, ut I, 40 pr. — *Quieturos alios*, vide ad IV, 10, n. 2.

12. *Animos flecti* verbis lenibus et persuasoriis, *quam frangi*, vi cogi et expugnari. Confer ad Tacit. Annal. XIV, 31, 4.

Cap. XXIV. 1. *Cum tumultuoso nuntio*, tumultum faciente. — *Ne nomina darent*, vid. ad I, 11, n. 3.

2. *Ingenium magis populare*, aptius ad populum capiendum movendumque, ut V, 17 et al.

concionem prodit. Ibi curae esse Patribus ostendit, ut consulatur plebi: ceterum[3] deliberationi de maxima quidem illa, sed tamen parte civitatis, metum pro universa republica intervenisse; nec posse, quum hostes prope ad portas essent, bello praevertisse quidquam: nec, si sit laxamenti[4] aliquid, aut plebi honestum esse, nisi mercede prius accepta, arma pro patria non cepisse; neque Patribus satis decorum, per metum potius, quam postmodo voluntate, afflictis civium suorum fortunis consuluisse. Concioni deinde edicto addidit fidem, quo edixit, « ne quis » civem romanum vinctum aut clausum teneret, quo » minus ei nominis edendi apud consules potestas » fieret. Ne quis militis, donec in castris esset, bona » possideret, aut venderet: liberos[5], nepotesve eius

3. *Ceterum deliberationi de.... parte civitatis* (plebe) *metum pro universa republica* etc., vide ad Praefation. n. 15. — *Bello praevertisse quidquam*, praeponi, ante bellum curari, maiori cura dignum videri. Sed ita potius dicendum erat *praeverti* (h. e. prius, potius, magis necessarium haberi agique), saltem *praevertere*, scil. se; et omnino, opinor, leg. *nec posse* (si officio suo satisfacere velit) *bello praeverti a se quidquam*. Conf. III, 40 extr. VIII, 13 pr. XXXV, 33; XXXVI, 27. Baueri nota est: « Dictum videtur pro *potuisse praevertere*, aut praeteritum pro praes. positum (ut III, 41, n. 3; III, 48, n. 2 al.); nisi *praevertisse* suo sensu ad praeteritam deliberationem senatus retuleris; sed ne sic quidem satis aptum. » *Nec fas esse* (probari posse) *Patres bello praevertisse* (anteposuisse) *quidquam* tum, *quum hostes* etc. coni. Doer.

4. *Nec, si sit laxamenti aliquid*, si morae ac spatii quid supersit, salva republica, de plebe prius quam de hoste cogitandi (ita Gron. ut V, 5; *si laxamentum dederis*, obsidionem paululum omiseris; confer VII, 38; X, 39; XXII, 37; XLIII, 18; et infra ad cap. 34, n. 13; nisi *laxamentum* h. l. cum Bauero ad plebem et aes alienum referre malis, quam cum Gron. ad bellum et obsidionem, *aut plebi honestum esse... neque Patribus* etc., propria *aut Patribus* etc., unde *vel* pro *neque* suspicari possis. Schell. in Lex. Lat. pro *aut* conj. *tamen*, vel *datum*, vel etiam *haud*, ut duplex negatio posita sit pro una, de quo vid. inf. ad cap. 45, n. 7. — *Concioni addidit fidem*, effecit, ut ei fides haberetur.

5. *Liberos, nepotesve eius moraretur*, vexaret; iis moram et impedimentum obiiceret, eos turbaret in possessione bonorum; Doer. Conf. cap. 44 (*commodi publ. morator*), et VI, 39. Sic contra *nihil morari*

» moraretur ». Hoc proposito edicto, et qui aderant nexi, profiteri extemplo nomina; et undique ex tota urbe proripientium[6] se ex privato, quum retinendi ius creditori non esset, concursus in forum, ut sacramento[7] dicerent, fieri. Magna ea manus fuit; neque aliorum magis in volsco bello virtus atque opera enituit. Consul copias contra hostem educit; parvo dirimente intervallo castra ponit.

XXV. Proxima inde nocte Volsci discordia romana freti, si qua nocturna transitio proditiove fieri possit, tentant castra. Sensere vigiles: excitatus exercitus: signo dato concursum est ad arma. Ita frustra id inceptum Volscis fuit: reliquum noctis utrimque quieti datum. Postero die prima luce Volsci, fossis repletis, vallum invadunt. Iamque ab omni parte munimenta vellebantur, quum consul, quamquam cuncti undique, et nexi ante omnes, ut signum daret, clamabant, experiendi animos militum causa parumper

aliquem IV, 42; VIII, 35; XLIII, 16: quae locutio ducta est a formula dimittendi senatus, *nihil vos moramur, P. C.*, vel a solemni formula iudicis reum dimittentis absolventisque, *nihil moror eum*, missum facio. Hinc *nihil moror hoc*, vel *hoc ita esse*, vel *quo minus* etc. (III, 54 pr.) pro nil curo, nihil interest, s. refert mea, vel non repugno: *nullo morante* III, 56, nemine hoc curante, ad id attendente, vel potius nemine morante, impediente, scil. viatorem. Cf. ad IX, 11, n. 6. Bauerus, « Haec verba, inquit, ambiguum relinquere videantur, prohibitum, an iussum edicto fuerit, ut liberos nepotesque debitorum morarentur creditores: alterum tamen probabilius, tum, ne omnia pignora debitor amitteret, tum, quia Livius, si prius vellet, haud dubie repetisset *neve.* »

6. *Proripientium* (ut XXXII, 10; XXXVI, 8 al.) *se ex privato* (ut *domo* XXIX, 9), absol. et substant. ut *in privato consilia habere*, *servari*, *animadvertere* infr. cap. 54; XXXII, 16; XXXIX, 18. Sic contra *in publicum se proripere* supra cap. 23, n. 8; *prodire* etc. Conf. V, 55 extr. IX, 7, n. 6; XXII, 55, n. 4.

7. *Ut sacramento* interposito iureiurando *dicerent*, scil. se arma sumpturos esse pro patria etc. (vide ad cap. 32, n. 1) h. e. nomen, s. militiam profiterentur. Sic *sacramento dicere* XXIV, 8; XXV, 5; *adigi* XXII, 38; *rogare* XXXII, 26; XXXV, 2; XL, 26. Confer Drakenb. ad XXIV, 8, n. 19.

moratus, postquam satis apparebat ingens ardor, dato tandem ad erumpendum signo, militem avidum certaminis emittit. Primo statim incursu pulsi hostes: fugientibus, quoad insequi pedes potuit, terga caesa: eques usque ad castra pavidos egit: mox ipsa castra, legionibus circumdatis, quum Volscos inde etiam pavor expulisset, capta direptaque. Postero die ad Suessam[1] Pometiam, quo confugerant hostes, legionibus ductis, intra paucos dies oppidum capitur: captum[2] praedae datum; inde paulum recreatus egens miles. Consul cum maxima gloria sua victorem exercitum Romam reducit; decedentem Romam Ecetranorum[3] Volscorum legati, rebus suis timentes post Pometiam captam, adeunt. His ex senatusconsulto data pax, ager ademptus.

XXVI. Confestim et Sabini Romanos territavere: tumultus[1] enim fuit verius quam bellum. Nocte in

CAP. XXV. 1. *Suessam Pometiam* aliaque oppida Volscorum expugnavit Servilius, et adversante collega ac sine auctoritate Patrum triumphavit, sed bello demum post discessum consulis a Volscis instaurato et inita societate cum Hernicis atque Sabinis, quos et ipsos paulo post feriarum tempore iterum in agrum romanum irruentes fugavit, si fides habenda Dionysio, VI, 25, 28, 31. Conf. sup. ad cap. 17, n. 3.

2. *Captum praedae datum*, depraedandum, diripiendum traditur, ut *dare urbem excidio ac ruinis* I, 29.

3. *Ecetranorum Volscorum*, ut III, 4; nam varii erant Volsci nominis populi, ut *Volsci Antiates* (II, 33), *Aurunci* etc. *Ecetra*, Ἐχέτρα, colonia romana (unde III, 4, *Ecetranum ad Aequos descisse*) ἐν καλλίστῃ συνόδῳ, idoneo comitiis loco posita, Dionys. VIII pr. et libr. X: Ἐχετρανῶν, πόλις τοῦ Οὐολούσκων ἔθνους ἐπιφανεστάτη τε καὶ κρατίστῳ τόπῳ μάλιστα κειμένη, non longe ab Aequis et Hernicis. Conf. cap. 10; IV, 61; VI, 31. Ἐχετρανῶν legitur etiam in nummo apud Holsten. ad Steph. Byzant.

CAP. XXVI. 1. *Tumultus fuit verius, quam bellum.* Cic. Phil. VIII, 1 (cf. V, 12—19): «Potest bellum esse sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest. Quid est enim aliud *tumultus*, nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus (sc. a *tumore*, h. e. rebus novis imminentibus earumque timore). Itaque maiores nostri *tumultum italicum*, quod erat domesticus; *gallicum* (VII, 9, 11), quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum tumultum nominabant. Gravius autem *tumultum* esse quam bel-

urbe nuntiatum est exercitum sabinum praedabundum ad Anienem amnem pervenisse: ibi passim diripi atque incendi villas. Missus extemplo eo cum omnibus copiis equitum A. Postumius, qui dictator bello latino fuerat: sequutus consul Servilius cum delecta peditum manu. Plerosque palantes eques circumvenit: nec advenienti peditum agmini restitit sabina legio. Fessi tum itinere, tum populatione nocturna, magna pars in villis repleti cibo vinoque, vix fugae quod satis esset virium habuere. Nocte una audito perfectoque bello sabino, postero die in magna iam spe undique partae pacis, legati aurunci senatum adeunt; ni decedatur volsco agro, bellum indicentes. Cum legatis simul exercitus Auruncorum domo profectus erat: cuius fama haud procul iam ab Aricia visi, tanto tumultu concivit Romanos, ut nec consuli[2] ordine Patres, nec pacatum responsum arma inferentibus arma ipsi capientes dare possent. Ariciam infesto agmine itur, nec procul inde cum Auruncis signa collata; proelioque uno debellatum est.

XXVII. Fusis Auruncis, victor tot intra paucos dies bellis romanus, promissa consulis, fidemque senatus exspectabat: quum[1] Appius, et insita superbia animo, et ut collegae vanam faceret fidem, quam asperrime poterat, ius de creditis pecuniis dicere: deinceps et qui ante nexi fuerant, creditoribus tra-

lum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent.» Imminente autem repentino ac propinquo bello periculoque summo et celerrime propulsando, *decerni* solebat *tumultus* (XXXIV, 56), h. e. periculum indicari, et edici ut arma raptim caperentur: tunc iustitio indicto, nulla vacatio erat (vide ad VII, 28, n. 1, et VIII, 20): unde et *tumultuarius* dictus *miles*, de quo vide ad I, 37, n. 4.

2. *Consuli ordine Patres*, sententias rogari; ut *consulere plebem* VI, 39, n. 1, eam in suffragium mittere. — Mox *debellatum est*, bellum confectum est. De hoc bello autem cum *Auruncis* iterum gesto vide ad c. 17, n. 3.

Cap. XXVII. 1. *Quum Appius* ...

debantur, et nectebantur alii. Quod ubi cui militi inciderat, collegam[2] appellabat; concursus ad Servilium fiebat; illius promissa iactabant; illi exprobrabant sua quisque belli merita cicatricesque acceptas: postulabant, ut aut referret ad senatum, aut ut auxilio esset consul civibus suis, imperator militibus. Movebant consulem haec, sed tergiversari res cogebat. Adeo[3] in alteram causam non collega solum praeceps ierat, sed omnis factio nobilium: ita medium[4] se gerendo, nec plebis vitavit odium, nec apud Patres gratiam iniit: Patres mollem[5] consulem et ambitiosum rati; plebes fallacem: brevique appa-

ius dicere; de hac breviora forma narrandi, vid. ad I, 35, n. 1.

2. *Collegam* Appii *appellabat*, auxilii causa; ad Servilium provocabat, implorabatque eius auxilium et fidem. Nam *appellare aliquem* plerumque est auxilium collegae vel collegarum eius, qui sententiam, maxime in iudicio, dixit, implorare; passim vero et auxilium populi vel tribunorum, unde *appellatio* saepe non differt a *provocatione*. Mox *aut*... *aut* abest a multis edd. prob. Gron. quia utrumque voluerint fieri, non alterutrum: alterum, ut fides et promissa Patrum exsolverentur; alterum, ut impediretur saeva iurisdictio Appii. Contra Drak. monet, non utrumque a Servilio postulatum videri, sed alterutrum, ut vel Patrum, vel sua auctoritate (alterutra enim sufficere poterat) asperrime ius dicentem ac promissa fallentem collegam cohiberet, et aut de integro rem *ad senatum referret*, cuius deliberationi bellum intervenisset, aut ipse, qui fidem interposuisset, consulari auctoritate in ius vocatos eriperet, si Patres levati metu belli subvenire plebi recusarent.

3. *Adeo in alteram causam praeceps ierat*, vide ad Praef. n. 15, et ad I, 32, n. 13.

4. *Medium se gerendo*, vide ad I, 32, n. 5.

5. *Patres mollem consulem rati* facilem, indulgentem, obsequiosum, *et ambitiosum*; nimis et in re, in qua non oportebat, studiosum favoris plebis, ut *in socios* cap. 41, h. e. favoris eorum. Sic et mox, et III, 47; V, 36 al. *ambitio* (ut al. *obsequium*) est intempestiva ac nimia captatio favoris gratiaeque alicuius, nimium illicitumque studium alieni, praeter ius, decorum, aequitatem et officium placendi, gratificando ei et in omnibus se ad eius sensum studiaque accommodando, demerendi eius causa. Cf. Drak. ad III, 47, n. 4, et Gron. ad XLV, 36, ubi etiam monet, *ambitiose facere* XXIX, 36, XXXVIII, 32, et al. dici eos, qui praeter decorum, fere demerendi alicuius causa, agant, quum studeant plus et supra quam oporteat et in quibus nec oporteat, ut gratiam ineant. — *Aequasse eum*, h. e. eius odium, *Appii odium*; V, 23, n. 4.

ruit aequasse eum Appii odium. Certamen consulibus inciderat, uter[6] dedicaret Mercurii aedem. Senatus a se rem ad populum reiecit: utri eorum dedicatio iussu populi data esset, eum praeesse annonae, mercatorum[7] collegium instituere, solemnia pro pontifice iussit suscipere. Populus dedicationem aedis dat M. Laetorio primi pili centurioni: quod[8] facile appareret non tam ad honorem eius, cui curatio altior fastigio suo data esset, factum, quam ad consulum ignominiam. Saevire inde utique consulum alter, Patresque: sed plebi creverant animi, et longe alia quam primo instituerant via grassabantur. Desperato enim consulum senatusque auxilio, qnum in ius duci debitorem vidissent, undique convolabant: neque decretum

6. *Vter dedicaret Mercurii aedem* etc., vide ad I, 55, n. 3. Hoc loco repetit quod iam cap. 21, sed verbo tantum, tetigerat, quia hic sermn est de odin plebis in consules; Duk.

7. *Collegium mercatorum*, qui ad *Mercurii aedem* certis diebus conventus et sacrorum et negotiorum causa habuisse videntur, unde et dicuntur *mercuriales*. — *Pro pontifice*, vide ad cap. 7, n. 4. — *Primi pili centurioni*, nt XXV, 19; qni etiam *primus centurio*, *primus pilus* et *primipilus* (πριμοπῖλος apud Dionys. lib. IX, pag. 567) vocabatur. *Primus pilus* propr. dicebatur primus ordo pilanorum seu triariorum (conf. VIII, 8), et hinc quoque eius centurio, huiusque munus et dignitas, quae tum magna, tum quaestuosa erat, et hinc quoque ambitiose petita, vel ab ipsis tribunis mil., quod lege vetitum; vide VII, 41; ad Tacit. Ann. II, 11, 2; et ad Iuvenal. XIV, 197. Sic et *decimus ordo hastatus*, *primus hastatus prioris centuriae*, *primus princeps prioris centuriae et primus pilus* XLII 34 (unde simul gradus centurionatus cognoscuntur, de quibus vide Lips. de Mil. rom. II, 8; Salmas. de re milit. pag. 60; et nos infr. ad XXV, 14, n. 4, et XLII, 34, n. 5); *secundi hastati* et *primi principis* (h. e. ordinis hastatorum et principum) *signum* XXVI, 5, n. 10; XXVI, 6 pr. et hinc *princeps primus centurio* XXV, 14, n. 4, h. e. centurio primi principis (ut *primi pili centurio*), et hoc pro *centurio primi ordinis* aut *primae centuriae principum*, ut *princeps prior centurio* apud Caes. Bell. Civ. III, 64, et simpl. *princeps* XXV, 14 extr. nisi legend. *princeps primus*.

8. *Quod facile appareret*, apparere poterat, *factum esse*, *non tam ad honorem eius*, *cui curatio altior fastigio suo data esset*, h. e. munus non suae, sed maiori dignitati vel magistratui conveniens etc.

exaudiri consulis prae strepitu et clamore poterat; neque, quum decresset, quisquam obtemperabat. Vi agebatur, metusque omnis et periculum[9] libertatis, quum in conspectu consulis singuli a pluribus violarentur, in creditores a debitoribus verterant. Super[10] haec timor incessit sabini belli; delectuque decreto, nemo nomen dedit, furente Appio, et insectante ambitionem collegae, qui populari silentio rempublicam proderet, et ad id, quod de credita pecunia ius non dixisset, adiiceret, ut ne delectum quidem ex senatusconsulto haberet. « Non esse tamen desertam omnino rempublicam, neque[11] proiectum consulare imperium. Se unum et suae et Patrum maiestatis vindicem fore ». Quum[12] circumstaret quotidiana multitudo licentia accensa, arripi unum insignem ducem seditionum iussit. Ille, quum a lictoribus iam traheretur, provocavit: nec cessisset provocationi consul, quia non dubium erat populi iudicium, nisi aegre victa pertinacia foret consilio magis et auctoritate principum, quam populi clamore: adeo[13] supererant animi ad sustinendam invidiam.

9. *Periculum libertatis* amittendae, quod antea debitoribus imminuerat. A MS. Flor. abest voc. *libertatis*, prob. I. Fr. Gron. — Mox *verterant* (al. *verterat*) scilicet se; vide ad II, 3, n. 2.

10. *Super haec*, insuper, *timor incessit sabini belli*, venit, ingruit, se ostendit, fuit, ut *religio incessit* VIII, 3, n. 2, et *moestitia i.* IX, 4, n. 3; vel ut al. *timor*, *metus*, *indignatio*, *admiratio*, *religio incedere* (intrare animum) vel *incessere*, ingruere, capere, *aliquem* (I, 17; III, 59, 60; IX, 8; XXIV, 13); *alicui* (IV, 47); *in aliquem* (ap. Terent. Andr. IV, 3, 15, et infr. XXIX, 24), dicitur. Cf. ad XXVIII, 46, n. 7. — *Populari silentio*, nihil agendo et moliendo propter *ambitionem* (vide sup. n. 5), ut populo gratificaretur. Sic *silentium* de iis, qui nil moliuntur in suo quisque genere; vide ad III, 41, et XXXVII, 38.

11. *Proiectum imperium*, vile et contemnendum.

12. *Quum circumstaret* tribunal Appii *quotidiana*, vulgaris, plebis, *multitudo licentia accensa*, audacior facta. — *Provocavit* ad populum.

13. *Adeo supererant animi*, animus scilicet Appio.

Crescere inde malum in dies, non clamoribus modo apertis, sed, quod multo perniciosius erat, secessione occultisque colloquiis. Tandem invisi plebi consules magistratu abeunt, Servilius neutris, Appius Patribus mire gratus.

XXVIII. A. Virginius inde, et T. Vetusius consulatum ineunt. Tum vero plebes incerta quales habitura consules esset, coetus nocturnos, pars Esquiliis, pars in Aventino facere, ne in foro[1] subitis trepidaret consiliis, et omnia temere ac fortuito ageret. Eam rem consules rati, ut erat, perniciosam, ad Patres deferunt; sed delatam[2] consulere ordine non licuit: adeo tumultuose excepta est clamoribus undique et indignatione Patrum, si[3], quod imperio consulari exsequendum esset, invidiam eius consules ad senatum reiicerent. « Profecto si essent in republica » magistratus, nullum futurum fuisse Romae, nisi » publicum, concilium. Nunc in mille curias con» cionesque, quum alia in Esquiliis, alia in Aven» tino fiant concilia, dispersam et dissipatam esse

Cap. XXVIII. 1. *Ne in foro subitis consiliis*, ni subito capienda essent consilia.—*Trepidaret*, anceps dubiaque esset; vide ad I, 7, n. 7, et I, 14, n. 6.

2. *Sed delatam*, de delata re (vide ad I, 21, n. 1), *consulere* Patres *ordine* (vide ad cap. 26, n. 2) *non licuit* coosulibus; sic *consulam hanc rem amicos* in Plauti Menaechm. IV, 3, 26; *poscere* et *rogare* aliquem aliquid. —*Adeo tumultuose*, confer ad Praef. n. 15.

3. *Si*, ut graece εἰ, siquidem, quoniam (ut VII, 13, et XXX, 30), *invidiam eius*, quod invidia inde metuenda vel subeunda esset etc. Cf. ad VII, 31, n. 4. — *Publicum concilium* opponitur *coetibus nocturnis.* — *Curias concionesque*, Drak. conj. *e. coitionesque*, admodum eleganter, iudice Ern. (Conf. ad III, 35, n. 10). Sed idem Ern. alio loco (in Gloss. v. *concio*) haec disputavit: « Quemadmodum *curiae* inproprie dictae sunt, ita alterom substantivum, illi iunctum; et ipsum ex eo genere placuerit Livio necesse est. Haec autem non sunt *coitiones*, sed *conciones*: quae etiam inproprie dicootur IV, 13, ubi Gron. quoque cooiicit *coitiones*; sed nullo exemplo probavit, a Livio uspiam dictum esse *coitiones haberi.* »

» rempublicam. Vnum Hercule virum, id enim plus » esse quam consulem, qualis Ap. Claudius fuerit, » momento temporis discussurum illos coetus fuisse.» Correpti[4] consules quum quid ergo se facere vellent (nihil enim segnius molliusve, quam Patribus placeat, acturos) percunctarentur; decernunt, ut delectum quam acerrimum habeant: otio lascivire plebem. Dimisso senatu, consules[5] in tribunal ascendunt: citant nominatim iuniores. Quum ad nomen nemo responderet, circumfusa multitudo in concionis modum negare « ultra decipi plebem pos- » se. Nunquam unum militem habituros, ni prae- » staretur fides publica: libertatem unicuique prius » reddendam esse, quam arma danda: ut pro pa- » tria civibusque, non pro dominis, pugnent ». Consules, quid mandatum esset a senatu, videbant: sed eorum, qui intra parietes curiae ferociter loquerentur, neminem adesse invidiae suae participem: et apparebat atrox cum plebe certamen. Prius itaque quam ultima experirentur, senatum iterum consulere placuit. Tum vero ad sellas consulum[6] propere convolavere minimus quisque natu Patrum, abdicare consulatum iubentes, et deponere imperium, ad quod tuendum animus deesset.

XXIX. Vtraque[1] re satis experta, tum demum consules: « Ne praedictum negetis, Patres conscri-

4. *Correpti consules*, increpati, reprehensi.—*Acturos*, supple, dicentes se. — *Decernunt*, scilicet Patres.

5. *Consules in tribunal oscendunt*; in uno Pal. *escendunt* prob. Gronov. quoniam hoc verbum Livio in deliciis est; v. ad c. 7, n. 7, et Drak. ad h. l.

6. *Ad sellas consulum propere convolavere* e plerisque libris restitui; Drak. reposuit *prope*, offensus pleonasmo, quo tamen apte h. l. designatur maior celeritas, ut apud Plaut. in Aul. II, 8, 23; in Trin. IV, 3, 1; al. —*Abdicare consulatum*, ut *abdicare dictaturam* VI, 18; edd. ante Drak. *abdicare consulatu*, sc. se. Cf. Cort. ad Sall. Cat. XLVII, 3.

CAP. XXIX. 1. *Vtraque re*, senatus plebisque mente, *satis experta*,

» pti, adest ingens seditio. Postulamus ut ii qui » maxime ignaviam increpant, adsint nobis haben» tibus delectum. Acerrimi cuiusque arbitrio, quando » ita placet, rem agemus ». Redeunt in tribunal: citari nominatim unum ex iis, qui in conspectu erant, dedita opera iubent. Quum staret tacitus, et circa eum aliquot hominum, ne forte violaretur, constitisset globus, lictorem ad eum consules mittunt: quo repulso, tum vero, *indignum facinus esse*, clamitantes qui Patrum consulibus aderant, devolant de tribunali, ut lictori auxilio essent. Sed ab lictore nihil[2] aliud quam prehendere prohibito, quum conversus in Patres impetus esset, consulum intercursu rixa sedata est: in qua tamen sine lapide, sine telo, plus clamoris atque irarum, quam iniuriae fuerat. Senatus tumultuose vocatus, tumultuosius consulitur, quaestionem[3] postulantibus iis qui pulsati fuerant, decernente ferocissimo quoque, non sententiis magis, quam clamore et strepitu. Tandem quum irae resedissent, exprobrantibus consulibus nihilo[4] plus sanitatis in curia, quam in foro esse, ordine consuli coepit. Tres fuere sententiae. P. Virginius[5] rem non vulgabat: « de iis

explorata. *Expertus* passim passive dicitur. Confer ad II, 42, n. 8; III, 56, n. 11; IV, 9, n. 4; XXXV, 45, n. 3, et Tac. Ann. XII, 2, 3; Drak. infra ad V, 54, n. 6; VII, 40, n. 16; XXII, 22, n. 19; XXXV, 49, n. 12.

2. *Nihil aliud quam prehendere prohibito*, vid. ad cap. 8, n. 9. — *Tumultuosius consulitur*, ut contra mox *ordine consuli coepit*, sc. senatus.

3. *Quaestionem postulantibus*, cognitionem, vel indicium in primis in causa capitali, cui Romae inde ab anno Vrb. 604 praeerat *quaesitor* (praetor) et index *quaestionis*. Sic et *quaerere rem* pro inquirere inf. IX, 34; XXXII, 26; et *aliquem* XXXIII, 28, n. 2. Conf. IX, 18.

4. *Nihilo plus sanitatis* etc., non minus furere, s. insanire senatum, ac plebem.

5. *P. Virginius:* sed is nondum honores gesserat, et ius censendi in senatu, posterioribus certe temporibus, nonnisi principibus fuit senato-

» tantum, qui fidem sequuti P. Servilii consulis, » volsco, aurunco, sabinoque militassent bello, » agendum « censebat. T. Lartius, » non[6] id tempus esse, ut merita tantummodo exsolverentur: » totam plebem aere alieno demersam esse: nec[7] sisti » posse, ni omnibus consulatur: quin, si alia aliorum sit conditio, accendi magis discordiam, quam » sedari ». Ap. Claudius, et natura immitis, et efferatus hinc plebis odio, illinc Patrum laudibus,

rum; itaque legend. *T. Virginius*, qui consularis fuit (vide cap. 21), ut Lartius et Ap. Claudius. — *Rem non vulgabat*, levamentum malorum non omnibus sine discrimine debitoribus concedendum censebat. *Vulgare rem* est, eam vulgarem, s. communem faciendam censere (vide ad III, 31, n. 3), vel promiscue ad omnes pertinere velle, v. c. *consulatum* X, 6, n. 8; *corpus* I, 4; *munus* II, 41; *laudem* I, 10; *contagio vulgabat morbos*, diffundebat, III, 6; XXV, 26; *vulgari cum privatis*, commisceri, omni discrimine sublato, III, 35; *vulgantur concubitus* IV, 2. — *T. Largius* al. Cf. c. 18 et 21.

6. *Non id tempus esse*, tale, ut passim is vel talis vel tantus; sic *ea postulavit*, ut III, 53; *is status rerum* VIII, 13; *ea aemulatio* XLIV, 25; *aetatis eius*, talis, tam provectae, II, 56; ut synon. *se id aetatis* X, 24, et apud Tac. Ann. V, 9 (ubi confer not. 6) *Q. Fabium ea aetate*, qui vel quum tam provecta aetate esset (conf. VII, 40, n. 3); *atque eis honoribus Valerio subiectum*, eo inferiorem factum, Valerium dictatorem, Fabiumque magistrum equitum dictum X, 3, n. 5 (confer ad II, 2, n. 2); *eum tumultum*, tantum, XXII, 28 extr. Cf. ad III, 35, n. 3, et XLV, 19, n. 11.

7. *Nec sisti posse*, sc. malum h. e. inhiberi, vel potius intransitive *sisti* (ut al. *sistere se*), sc. rem, pro firmiter stare, h. e. rempublicam sustineri, sublevari, erigi, recreari, servari, salvam et incolumem esse. Formula Livio solemnis (confer cap. 44; III, 9, 16, 20; IV, 12, 16: XXXIX, 10; XL, 19; XLV, 19), et, quod iam monuit Strothius, translata ab iis, qui ex lubrico aut palustri solo extrahuntur et ad solidum *emergunt*, in quo firmum pedem ponere possint. Hinc XXV, 35, n. 5, *ex omni saevitia fortunae emergere* (ut ἐξαναδῦναι, vid. ad Iuvenal. III, 164); *in apertos campos* (e saltibus) vel *ex Bruttiis emergere* XXI, 25; XXVII, 38; et contrario sensu h. l. dicitur *plebem aere alieno demersam esse*; et III, 16, *vixque concordia*, per concordiam ordinum, tametsi adsit, *sisti*, stare atque servari respublica, *videbatur posse*, *superantibus aliis ac emergentibus malis*, translatione ducta a palude, in qua aliis iam in summo eius natantibus ac emergentibus, unus propter hos emergere non potest. (Cf. ad VI, 14, n. 6.) Eodem autem sensu XXIII, 48, n. 7 dicitur: *nisi fide* (pecunia mutuo sumpta, *Credit*, de quo vide mox ad c. 30, n. 1) *staret respublica*, *opibus* (praesenti pecunia

« non miseriis, « ait, » sed licentia tantum concitum turbarum; et lascivire[8] magis plebem, quam » saevire: id adeo malum ex provocatione natum: » quippe minas esse consulum, non imperium; ubi » ad eos, qui una peccaverint, provocare liceat. » Agedum, « inquit, » dictatorem, a quo provo- » catio non est, creemus. Iam hic, quo nunc omnia » ardent, conticescet furor. Pulset tum mihi lictorem, » qui sciet ius de tergo vitaque sua penes unum » illum esse, cuius maiestatem violavit. »

XXX. Multis, ut erat, horrida et atrox videbatur Appii sententia: rursus[1] Virginii Lartiique exem-

aerarii) *non staturam*. Conf. ad I, 3, n. 2; V, 44, n. 2; XXVII, 10, n. 4; XXVIII, 44, n. 3; XXXIII, 8, n. 2. — *Adeo*, vide ad Praef. n. 15.

8. *Lascivire*; licentia ex otio collecta ferocire. Lem. — *Minas esse consulum, non imperium*, eos minari quidem posse, non vero iubere. — *Pulset tum mihi lictorem*, vid. ad Praef. n. 12. — Creverius dedit *violarit* pro *violavit*, probante Bauero.

Cap. XXX. 1. *Rursus*, contra, *Virginii Lartiique* sententiae videbantur *exemplo haud salubres*, salutares quidem in praesens, sed perniciosae in futurum, si, quod aequum videri posset, per seditionem ac vim impetraretur: *utique*, potissimum, in primis (ut VI, 20, n. 1; XXII, 7, n. 9; XXIII, 18, n. 3), vel saltem, certe (ut III, 65; VI, 38; X 19, n. 6, al.), vel haud dubie (ut V, 39 extr.), vel omnino v. ad VI, 35, n. 4). *Lartii putabant sententiam* eiusmodi, scil. eam esse, *quae totam fidem tolleret* (ut *fidem abrogare* VI, 41 extr. et *moliri*, h. e. labefactare, VI, 11, n. 5; vel *victam ingens vinculum fidei* VIII, 28, n. 6), quum non facile a quoquam pecunia aliqui crederetur, si verendum ei esset, ne non redderetur (confer omnino infr. VI, 41 extr. VIII, 28, n. 6; XXIII, 48, n. 7; Cic. pro lege Manil. cap. 7, §. 19; et Off. II, 23: « Ne sit aes alienum, quod reipublicae noceat, providendum est; quod multis rationibus caveri potest: non, si fuerit ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum: nec enim ulla res vehementius rempublicam continet, quam fides; quae essa nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum»). — *Medium maxime consilium Virg. habebatur*, quod inter duo quasi extrema et duo Appii Lartiique consilia medium teneret (ut *media visa est Clyti sententia* XXXVI, 12, n. 1; et *medium ingenium* I, 32, ubi vide n. 5), *et moderatum utroque*, ut neque creditoribus, neque debitoribus omnia concederentur; nisi potius legendum est, *moderatius utroque*, sc. Appii et Lartii consilio. Idem, vel *moderatum prae utroque* (ut *parvum prae ea urbe* I, 6) conj. Doering. Vulgatum defendit Drak. ad XXXIV, 32, n. 3, dictumque putat pro *medium*

plo haud salubres; utique Lartii putabant sententiam, quae totam fidem tolleret: medium maxime, et moderatum utroque consilium Virginii habebatur. Sed factione, respectuque[2] rerum privatarum, quae semper offecere, officientque publicis consiliis, Appius vicit: ac prope fuit, ut dictator ille idem crearetur: quae res utique alienasset plebem periculosissimo tempore, quum Volsci, Aequique, et Sabini forte una omnes in armis essent. Sed curae fuit consulibus et senioribus Patrum, ut imperium[3], suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio. M' Valerium[4] dictatorem Volesi filium creant. Plebes etsi adversus se creatum dictatorem videbat, tamen quum provocationem fratris lege haberet, nihil ex ea familia triste nec superbum timebat. Edictum deinde a dictatore propositum confirmavit animos, Servilii[5] fere consulis edicto conveniens: sed et homini et potestati melius rati credi, omisso certamine nomina dedere. Quantus nunquam ante exercitus, legiones decem effectae: ternae inde datae consulibus, quatuor dictator usus. Nec poterat iam bellum differri: Aequi latinum agrum invaserant; oratores Latinorum a senatu petebant, ut aut mit-

magis et moderatius utroque: quae interpretandi ratio durissima est.

2. *Respectu rerum privatarum*, commodi privati: nam Patres potissimum erant creditores. — *Publicis consiliis*, vide ad c. 41, n. 1. Agrum publicum possideri a privatis criminabatur.

3. *Imperium suo vehemens*, scilic. ingenio, quod voc. mox sequitur (cf. ad XXI, 43, n. 4), et in quo ludit Livius. — *Ingenium* vero, ut *natura* et φύσις, est indoles, conditio, ratio, natura.

4. *M' Valerium Volesi filium*, v. ad I, 58, n. 2. Frater fuit et Poplicolae, et M. Valerii, ad Regillum lacum occisi, de quo vide c. 16 et 20. Solus h. l. dictator, non simul magister eq. memoratur, ut VII, 6 extr. —*Nihil triste nec superbum* (pro *superbi* nempe quia *triste* praecessit; Bauer.), vide ad XXVII, 41, n. 1.

5. *Servilii consulis edicto*, vide c. 24; *sed*, praeterea, *et homini*, tali viro, ex ea familia, *et potestati* tantae, dictatoriae, quae sine provocatione esset.

terent subsidium, aut se ipsos tuendorum finium causa capere arma sinerent. Tutius visum est, defendi inermes Latinos, quam pati retractare arma. Vetusius consul missus est: is finis populationibus fuit. Cessere Aequi campis: locoque magis quam armis freti, summis se iugis montium tutabantur. Alter consul in Volscos profectus, ne et ipse tereret tempus, vastandis maxime agris hostem ad conferenda propius castra, dimicandumque acie, excivit. Medio inter castra campo ante suum quisque vallum infestis signis constitere: multitudine aliquantum Volsci superabant: itaque effusi, et contemptim pugnam iniere. Consul romanus nec promovit aciem, nec clamorem reddi passus, defixis pilis stare suos iussit: ubi[6] ad manum venisset hostis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere. Volsci cursu et clamore fessi, quum se velut stupentibus metu intulissent Romanis, postquam impressionem sensere ex adverso factam, et ante oculos micare gladios, haud secus quam si in insidias incidissent, turbati vertunt terga; et ne ad fugam quidem satis virium fuit, quia cursu in proelium ierant. Romani contra, quia principio pugnae quieti steterant, vigentes corporibus, facile adepti[7] fessos, et castra impetu ceperunt, et castris exutum hostem Velitras persequuti, uno agmine victores cum victis in urbem irrupere: plusque[8] ibi sanguinis

6. *Vbi ad manum venisset hostis*, vid. infr. ad cap. 46, n. 4. — *Micare gladios sensere*, h. e. videre. Confer ad I, 33, n. 7; *gladii* malebat Gronovius, ut *micare* sit pro *micavere* scriptum; sed codicum auctoritas deest, quare nihil mutandum. Lem.

7. *Adepti fessos*, consequuti, adsequuti, ut XXIV, 1; XXXI, 43.

8. *Plusque ibi sanguinis factum*, h. e. caedis, ut gr. ποιεῖν αἷμα· apud Polyb. XV, 33, 1, πράσσειν αἷμα, et apud Demosth. ἐφ' αἵματι φεύγειν, reum caedis agi. Conf. Drakenb., et ad IX, 13, n. 1; XXXV, 51, n. 2; XL, 9, n. 7. Sic contra caedes pro sanguine, et φόνος pro αἷμα.

promiscua omnium generum caede, quam in ipsa dimicatione, factum: paucis data venia, qui inermes in deditionem venerunt.

XXXI. Dum haec in Volscis geruntur, dictator Sabinos, ubi longe plurimum belli fuerat, fundit fugatque [1], exuitque castris. Equitatu immisso mediam turbaverat hostium aciem, qua, dum se cornua latius pandunt, parum apte introrsum ordinibus aciem firmaverant: turbatos pedes invasit: eodem impetu castra capta, debellatumque est. Post pugnam ad Regillum lacum non alia illis annis pugna clarior fuit: dictator triumphans Vrbem invehitur. Super solitos honores, locus [2] in circo ipsi posterisque ad spectaculum datus; sella in eo loco curulis posita. Volscis devictis Veliternus ager ademptus: Velitras coloni ab Vrbe missi et colonia deducta. Cum Aequis post aliquanto pugnatum est; invito quidem consule, quia loco iniquo subeundum erat ad hostes: sed [3] milites extrahi rem criminantes, ut dictator, priusquam ipsi

Cap. XXXI. 1. *Fugatque exuitque castris*, forte *et exuit*; Gron. Idem recte, opinor, mox emend. *mediam turbaverat hostium aciem, qua parte.* — *Parum apte introrsum* (inter duo cornua) *ordinibus* densia *aciem* (forte leg. *eam*; conf. tamen ad I, 3, n. 8) *firmaverant*, ut *subsidia firmare* VI, 23 extr. et *subsidiis firmare aciem* IX, 17, n. 9. Cf. ad XXI, 57, n. 7; XXV, 21; XXXIII, 8 extr.

2. *Locus in circo*, forus, *ipsi posterisque ad spectaculum*, ad spectandum, ut inde ludos spectaret, datus. Confer ad I, 35, n. 6. — *Sella in eo loco curulis posita*, vide ad Tac. Ann. II, 83, 3. — *Post aliquanto* pro vulg. *aliquanto post*, ut *post paucis diebus* XXXII, 5; XL, 47, 57; *ante annis octo* XL, 52 (ubi Drak. conj. *annos* vel *annis ante octo*); *post paulo* XXII, 60, n. 9; XXXIII, 28, n. 3; *causa expiandae violationis* XXXI, 12, n. 4; *causa ignominiae* XL, 41, n. 8; *causa sacrorum* et *ludorum* XXXIX, 14; XL, 44; ἕνεκα πορείας apud Xenophontis Mem. Socr. IV, 7, et in Hierone XI, 10. Conf. verba Dionys. sup. I, 14, 1. Sic et χάριν, de quo v. Abresch. diluc. Thucyd. Auctar. pag. 420. —*Velitras coloni missi*, qui nonnisi gravi poena proposita Vrbe exierunt; vide Dionys. Halicarn. VII, 13.

3. *Milites extrahi*, differri, prolatari (vide ad II, 61, n. 6), *rem criminantes ... perpulere*, ita effecere, *ut consul forte temere*, sine consilio, circumspectione et periculi respectu,

redirent in Vrbem, magistratu abiret, irritaque sicut ante consulis, promissa eius caderent, perpulere, ut forte temere in adversos montes agmen erigeret. Id male commissum ignavia hostium in bonum vertit: qui, priusquam ad coniectum teli veniretur, obstupefacti audacia Romanorum, relictis castris, quae munitissimis tenuerant locis, in adversas [4] valles desiluere: ubi satis praedae, et victoria incruenta fuit. Ita trifariam re bello bene gesta, de domesticarum rerum eventu, nec Patribus, nec plebi cura decesserat: tanta cum gratia, tum arte praeparaverant feneratores, quae non modo plebem, sed ipsum etiam dictatorem frustrarentur. Namque Valerius, post Vetusii consulis reditum, omnium actionum in senatu primam habuit pro victore populo, retulitque quid nexis fieri placeret. Quae quum reiecta relatio esset, *Non placeo*, inquit, *concordiae auctor: optabitis me* [5] *dius Fidius prope diem, ut mei similes romana plebes patronos habeat. Quod ad me attinet, neque frustrabor ultra cives meos, neque ipse frustra dictator ero. Discordiae intestinae, bellum externum fecere, ut hoc magistratu egeret respublica. Pax foris parta est, domi*

vel caeco casu (ut XXV, 38; XXXIX, 25; XLI, 2, et aliis locis laudatis a Gronóvio ad X, 43, n. 5) *adversos montes agmen conscendere iuberet.*

4. *In adversas valles desiluere:* Immo *aversas*, quae videlicet ipsis a tergo essent: nam frons castrorum ad alteram partem in Romanos vergebat; Gron. qui eodem sensu dictam putabat *vallem supinam* IV, 46; VI, 24; VII, 24; quam alii devexam vel humilem explicant. — *Vbi*, in castris; unde forsan legend. *ibi*. — *De domesticarum rerum eventu cura* pro *cura eventus*, ut genitivi vitarentur, dictum; Ern. — *Tanta gratia* iungenda; Stroth. Ante *tanta* excidit *sed* vel *at*: absque hoc plura supplenda, ut cum iis, quae antecedunt, haec cohaereant; Bauer. Ipsum vocab. *tanta* non satis aptum h. l. et forte legend. *contra*. — *Quid nexis fieri placeret*; edd. ante Drak. *de nexis*; vide ad XXVII, 16, n. 3.

5. *Me dius* (forte *deus*) *Fidius*, sc. sic invet. *Fidius*, ut quidam putant, dictum pro *fidus*, vel *fidei*; ut alii, pro *filius dius*, h. e. dei, vel Διὸς, Iovis, ut formula haec iurisiurandi non differat a vulgari *me Hercules*; confer Festum.

impeditur: privatus potius quam dictator, seditioni[6] *interero.* Ita curia egressus, dictatura se abdicavit. Apparuit causa plebi, suam vicem indignantem magistratu abisse: itaque, velut persoluta fide, quoniam per[7] eum non stetisset, quin praestaretur, decedentem domum cum favore ac laudibus prosequuti sunt.

XXXII. Timor inde Patres incessit, ne, si dimissus exercitus foret, rursus coetus occulti coniurationesque fierent. Itaque quamquam per dictatorem delectus habitus esset, tamen, quoniam in consulum[1] verba iurassent, sacramento teneri militem rati, per[2] causam renovati ab Aequis belli, educi ex Vrbe legiones iussere: quo facto maturata est seditio. Et primo agitatum dicitur de consulum caede, ut solverentur sacramento: doctos deinde nullam[3] scelere religionem exsolvi, Sicinio quodam auctore, iniussu con-

6. *Seditioni interero*, tanquam otiosus spectator, non particeps. — *Suam* (plebis) *vicem indignantem*, vide ad I, 25, n. 5.

7. *Per eum non stetisset*, in eius potestate non positum esset, non pependisset ab eius arbitrio, non penes eum vel in eo culpa fuisset, ut III, 61; VI, 33; VIII, 2 pr. IX, 14 pr. XXIV, 17, n. 3; XXXIX, 47, n. 2; XLIV, 14, n. 5. — *Prosequuti sunt*, vide ad VI, 34, n. 6.

Cap. XXXII. 1. *In consulum verba iurassent:* nam milites in verba ducis, tribuno militum verba sacramenti, s. formulam, vel verbis conceptis praeeunte, iurabant se ducis imperio obedientes fore, et iussu consulum conventuros, nec iniussu abituros; vide III, 20; XXII, 38; Polyb. VI, 22; XI, 30. Similiter *in verba Philippi iuraturos* Achaeos XXXII, 5, n. 3. Confer Lips. Mil. Rom. I, 6, et Schel. ad Polyb. c. 1.

2. *Per causam*, sub praetextu, προφάσει, ut *per speciem* I, 41; XXV, 8, n. 3; XXXIX, 35; XL, 13; vel *in speciem* (vide ad VI, 14, n. 2) et *specie* XXXV, 31; XLI, 23. — *Agitatum de consulum caede*, ut IX, 29, n. 3, *de inferendo bello agitat*, scilic. consilia. Confer X, 4, n. 1, et XXV, 36, n. 2. — *Doctos*; tali sensu usitatius *edoctos:* sed et Cic. Verr. III, 18 pr. ita; Bauer. Idem monet, verbum *dicitur* tum primo, tum quarto casui et infinit., ac si foret *dicunt*, iungi.

3. *Nullam scelere religionem exsolvi*, conscientiae poenaeque divinae metum vel obligationem tolli. Confer ad V, 23, n. 7. — C. *Sicinio* Belluto; confer cap. 33, et III, 54. Mox tribus in versiculis ter legitur *est*, cum infin. *esse*. Confer ad I, 3, n. 8.

sulum in Sacrum[4] montem secessisse (trans Anienem amnem est) tria ab Vrbe millia passuum. Ea frequentior fama est, quam, cuius Piso auctor est, in Aventinum secessionem factam esse. Ibi, sine ullo duce, vallo fossaque communitis castris, quieti, rem nullam nisi necessariam ad victum sumendo, per aliquot dies, neque lacessiti, neque lacessentes, sese tenuere. Pavor ingens in Vrbe, metuque[5] mutuo suspensa erant omnia. Timere relicta ab suis plebes violentiam Patrum; timere Patres residem in urbe plebem, incerti, manere eam an abire mallent. Quam[6] diu autem tranquillam, quae secesserit, multitudinem fore? quid futurum deinde, si quod externum interim bellum exsistat? nullam profecto, nisi in concordia civium, spem reliquam ducere. Eam per aequa, per iniqua reconciliandam civitati esse. Placuit[7] igitur

4. *In sacrum montem*, vide ad II, 8, n. 3. — *Cuius Piso* (v. ad I, 55, n. 8) *auctor est*, quem sequutus est Sallust. Iug. 31. — *Sumendo*, vide ad I, 8, n. 4.

5. *Metu mutuo suspensa* (dubia, ut XXXIV, 62, n. 7) *erant omnia*, h. e. omnes dubii et anxii; ut VIII, 13 extr. *inter spem metumque suspensos animi*, h. e. animo, ut *animi dubius*, *aeger* etc., *suspensi de statu alterius* IX, 43, n. 2. Cf. ad XXXIV, 27, n. 6. Eodem sensu dicitur *animis spe metuque pendentibus* VII, 10, n. 2, et *sollicitis ac pendentibus animi* VII, 30 extr. Conf. ad III, 26, n. 8, et VI, 15, n. 1. Hinc *suspensa*, dubia, *omnia relinquere* XXXIV, 62, n. 7; et *suspendere rem* XXXIX, 29, n. 1.

6. *Quam diu autem tranquillam.... fore*, scil. secum reputabant, quod saepe omittitur, ut *dicebant*, *ait*, *dicunt*, *rati* etc. Confer ad II, 45, n. 13; XXI, 16, n. 4; XXI, 53 pr. XXI, 57, n. 2; XXII, 8, n. 4 et 6; XXII, 28, n. 1. Sic et *decretum est* XXX, 27, n. 5, similiaque saepius obvia omittuntur.

7. *Placuit igitur oratorem*, legatum, *ad plebem mitti Menenium Agrippam:* propr. *Agrippam Menenium*, ut cap. 16, 33; IV, 11, 13; nam *Agrippa* olim praenomen fuit et postea cognomen; vide ad III, 1, n. 1. Ipse autem consularis fuit; vide cap. 16. Conf. Dionys. VI, 42 sq. 49 sq. 68—70 sq. 81—87; quibus locis tradit, primis legatis, anno iam praecedenti missis, superbum et minax responsum esse datum; postea, consilio Menenii unoque Appio dissuadente, M' Valerium, T. Lartium, Menenium Agrippam et septem alios missos esse legatos; Valerium invitasse plebem ad reditum; L. Iunium deinde, acerrimum seditionis turbarumque con-

oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum, et, quod inde oriundus[8] erat, plebi carum. Is intromissus in castra, prisco illo dicendi et horrido modo, nihil[9] aliud quam hoc narrasse fertur: « Tempore quo, in homine non, ut nunc, » omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suam cuique consilium, suus sermo fuerat, » indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac » ministerio ventri omnia quaeri: ventrem in medio » quietum, nihil[10] aliud quam datis voluptatibus » frui. Conspirasse inde, ne manus ad os cibum » ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent: hac ira dum ventrem fame domare vellent, » ipsa una membra totumque corpus ad extremam » tabem venisse. Inde apparuisse ventris quoque » haud segne ministerium esse: nec magis ali, quam » alere eum; reddentem in omnes corporis partes

citatorem, qui se Brutum cognominari voluerit, tanquam oriundum a magno illo viro, cuius nomen et praenomen habuerit, prolixa oratione iustas plebis querimonias exposuisse ita, ut ipsis quoque legatis expresserit lacrymas; Lartium ei acerbius respondisse Agrippam vero civili oratione, in qua simul senatosconsultum de nexis memoraverit, flexisse animos; et Brutum deinde illum petiisse, *ut plebi sui magistratus essent sacrosancti*.

8. *Inde oriundus*, ex plebe; ut passim *inde* pro *ex eo*, s. *ea*, s. *iis*, ut ὅθεν pro ἐξ οὗ. « Puto his verbis indicari, gentem Meneniam olim plebeiam fuisse, ac deinde (forte a Bruto et Poplicola, senatum, qui Tarquinii Superbi crudelitate exhaustus erat, supplentibus) vel ipsum Agrippam, vel aliquem e maioribus illius inter patricios allectum: nam et hic Agrippa, et filius nepos que eius consules fuere (vide cap. 16, 51, et IV, 13), quo tempore nondum plebs ad consulatum admittebatur; » Duker. — Menenius fuerat consul anno 251; de maioribus eius inter patricios allectis quod Dukerus, idem olim Creverios recte dixerat. Lem.

9. *Nihil aliud quam hoc narrasse fertur*, immo et senatusconsultum de nexis retulisse, *quo* non minus mentes hominum flexisse videtur. Confer Dion. VI. — *Horrido modo dicendi*, duro et aspero, vel tenui, impolito, inornato. — *Suus sermo fuerat*; nisi *consentiebant* praecedat, *fuerit* legerim: nunc *erat* malim; Bauer.

10. *Nihil aliud quam... frui*, vide ad cap. 8, n. 9. — *Hac ira*, vide ad cap. 22, n. 1. — *Segne ministerium*, plane nullum; Bauer.

» hunc quo vivimus vigemusque, divisum pariter in » venas maturum confecto [11] cibo sanguinem ». Comparando hinc quam intestina corporis seditio similis esset irae plebis in Patres, flexisse mentes hominum.

XXXIII. Agi [1] deinde de concordia coeptum, concessumque in conditiones, ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversus consules esset: neve cui Patrum capere eum magistratum liceret. Ita tribuni [2] plebei creati duo, C. Licinius [3]

11. *Maturum*, nutritum, *confecto*, concocto, *cibo*, *sanguinem*, et ita temperatum, ut per totum corpus suo fungi possit officio. — Mox *comparare* pro comparando ostendere, ut ap. Cic. Offic. II, 5, *flexisse*, scil. fertur.

Cap. XXXIII. 1. *Agi deinde de concordia coeptum*, et haud dubie de meliore conditione nexorum, quorum nullam mox mentionem fieri mireris, quum seditio eorum causa orta sit. Confer ad cap. 32, n. 9. — *Magistratus sacrosancti*, vide ad II, 8, n. 3. — *Auxilii latio*, eius ferendi ius.

2. *Tribuni plebei* (et contr. *plebi* III, 65 pr. al.) sec. cas. a *plebes*, *ei* (sup. cap. 24 pr. et al., nisi utrumque est tertius cas. pro *tribuni plebi*, sc. constituti, creati, de quo vide Cort. ad Sallust. Catilin. 38. Hinc et *plebiscitum*, *plebeiscitum* (X, 21; XXII, 30, al.), *plebis scitum* et *scitum plebis* X, 22 extr. XXII, 26; XXXI, 50.

3. *C. Licinius et L. Albinus* (forte *Albinius*) *tres collegas sibi creaverunt* (nam tribuni pl. collegas sibi cooptare, quin et semet ipsi creare poterant; de quo vide III, 35, 64, 65; V, 10, n. 11; sed quia hoc ius nondum habebant, Duk. recte monet, *creaverunt* dictum esse pro praefuerunt concilio plebis, quo praeter eos tres alii creati sunt; nam *creare magistratum* etiam dicitur, qui comitia habet; vide ad VII, 16, n. 6): *in his Sicinium fuisse*, sc. dicunt, s. traditur (vide ad cap. 32, n. 6), vel potius ex seqq. intellige *convenit*. (Vide ad XXI, 43, n. 4). Conf. Dionys. VI, 89, qui L. Iunium Brutum, C. Sicinium Bellutum, C. et P. Licinios, et C. Icilium Rugam primum, et quidem IV Idus Dec. ann. urbis 260, tribunitiam potestatem accepisse tradit. Alii dicunt, *duos tantum in Sacro monte creatos tribunos esse*, iisque vel mox in Vrbe, vel demum ann. Vrb. cond. 283, lege Publilia additos tres. (Vide inf. cap. 58 pr. Cicer. in Or. Cornel. I Fragm. et Plut. in Coriol. p. 216, qui Iunium Brutum et Sicinium Bellutum creatos dicit). Alii quinque adiecti ann. Vrb. 297, ita ut ex eo tempore *bini a singulis classibus* (quinque prioribus, nullus vero e sexta, quae in classibus fere non numerabatur, ut contra *classici* κατ' ἐξοχὴν dicebantur ditissimi cives, qui in prima classe erant, et hinc *auctores classici* pro praestantissimis) crearentur; vide infra III, 30, et Dionys. X, 30. Creati autem primum sunt comitiis curiatis, et ab

et L. Albinus: hi tres collegas sibi creaverunt: in his Sicinium fuisse seditionis auctorem; de duobus, qui fuerint, minus convenit. Sunt qui duos tantum in Sacro monte creatos tribunos esse dicant, ibique sacratam [4] legem latam. Per secessionem plebis, Sp. Cassius et Postumus Cominius consulatum inierunt:

ann. Vrb. 283 tributis, in quibus sola plebs, submotis Patribus, secundum tribus s. regiones suffragia ferebat, quaeque nec iussu senatus nec auspicato, ut curiata et centuriata, habebantur; nam auspicia penes Patres erant, qui secundum legem, a Romulo latam, ius sacra administrandi soli sibi vindicabant, et ius auspicia capiendi, a quo etiam comitiorum eventus pendebat, acriter propugnabant; vide infr. II, 56—60; IV, 6; VI, 41; X, 8; Dionys. II, 9; IX, 41; Cicer. de Div. II, 35, 38. Potestas tribunorum fuit sacrosancta (vide III, 55), et moenibus quidem Vrbis terminata (III, 20), at permagna (vide cap. 35, 42, 56; IV, 1, 26; V, 9, 12; VI, 20, 35, 38), sublata, re et nomine, ad tempus (III, 32), mox restituta (III, 54), iterum sublata, re, nomine relicto, a Sulla dictatore, et restituta a Cn. Pompeio. Antiquissima et prima illorum potestas fuit *auxilii latio* (ut auxilium plebi ferrent adversus Patres) vel intercessio contra decreta senatus et magistratuum (quae eo imminuta est, quod vel unus tribunus ceteris intercedere poterat, de quo vide infr. cap. 44; IV, 48; VI, 35); sed ea sensim admodum aucta, maxime post tempora Sullae, quibus etiam senatores esse, in senatu sedere, eum convocare et ad eundem referre poterant. Ceterum hoc anno etiam creati duo *aediles plebei* s. plebis et plebeii, alter magistratus plebeius (vide cap. 56), qui tribunis pl. velut administri essent et adiutores aut collegae, et curam haberent *aedium* publicarum aliarumque rerum, ad commodum publicum internumque reipublicae statum (nam erant praefecti πολιτείας, ad senatusconsultorum legumque custodiam (vide III, 55, 57), ad sacra ritusque eorum (v. IV, 30; XXV, 1; XXXVIII, 14), ad forum (nam erant ἀγορανόμοι s. praefecti foro), adeoque ad ornatum eius (vide IX, 40), ad annonam, ad pondera et mensuras, praeterea ad fornices, popinas et impudicitiam (v. VIII, 22; X, 31; XXV, 2), ad ludos (vide XXIV, 43; XXVII, 6; XXVIII, 10; XXXVIII, 10), iustam agrorum possessionem (X, 13), pecuarios (XXXIII, 42; XXXV, 10); etc., pertinentium, vel causarum iis commissarum a tribunis senatuve; unde etiam *iudices* aliquando sunt dicti. Confer Dionys. VI, 1 et 90; VIII, 35. Tribunus vero vel aedilis pl. fieri non poterat, cuius pater sederat sella curuli et adhuc vivebat; vide XXVII, 21, et XXX, 19.

4. *Sacratam legem*, apud Dionys. tribunitiam; vid. ad II, 8, n. 3. Aliarum quoque legum sacratarum mentio identidem occurrit apud Livium; cf III, 32; et VII, 41. — *Per secessionem pl.* vide ad II, 18, n. 1.

his consulibus [5] cum latinis populis ictum foedus: ad id feriendum consul alter Romae mansit; alter ad volscum bellum missus, Antiates Volscos fundit fugatque: compulsos in oppidum Longulam persequutus, moenibus potitur. Inde Poluscam [6], item Volscorum, cepit: tum magna vi adortus est Coriolos. Erat tum in castris inter primores iuvenum C. Marcius [7], adolescens et consilio et manu promptus, cui cognomen postea Coriolano fuit. Quum subito exercitum romanum Coriolos obsidentem, atque in oppidanos, quos intus clausos habebat, intentum, sine ullo metu exstrinsecus imminentis belli, volscae legiones profectae ab Antio invasissent, eodemque tempore ex oppido erupissent hostes, forte in statione Marcius fuit. Is cum delecta militum manu, non modo impetum erumpentium retudit, sed per patentem portam ferox irrupit: caedeque [8] in proxima urbis facta, ignem temere arreptum imminentibus muro aedificiis iniecit. Clamor inde oppidanorum mixtus muliebri puerilique ploratu ad terrorem, ut

5. *His consulibus cum latinis populis ictum foedus*, conf. VII, 12, n. 2. — *Antiates Volscos*, vide ad II, 25, n. 2.

6. *Poluscam, item Volscorum*, sc. oppidum; conf. cap. 39. *Longulam* et *Poluscam* cepit Postumus Cominius; vide Dionys. VI, 91.

7. *C. Marcius* Coriolanus, ex gente Marcia, quae originem referebat ad Ancum Marcium regem, nepotem Numae. De eo vide Dionys. VII, et Plutarchum in Coriol. pag. 213—235, qui solus matrem eius (quae priscae virtutis exemplar fuit et educatrix filii, cuius pater immatura morte defunctus erat) Volumniam, et uxorem Veturiam vocat. Conf. cap. 40.

8. *Caedeque in* portae *proxima* parte *urbis facta*, dure dictum. In quibusdam MSS. legitur *in proximo urbis*, in aliis *in proxima urbe*; unde *in prima urbe*, h. e. in prima parte urbis, emend. Iac. Gronov. *in proximam turbam* coni. I. Fr. Gron. *κατὰ πόλλα μέρη τῆς πόλεως φόνος ἐγένετο* apud Dionys. VI, pag. 413. — Cod. Paris. addit, sed a secunda manu et in margine, *parte*. Lem. Mox I. Fr. Gronov. leg. *ad terrorem, ut solet, primum ortus*. — In Cod. Paris. erat *primo ortu*; sed tempore posteriori et a manu sec. addita est litera *s*. Lem.

solet, primo ortus, et Romanis auxit animum, et turbavit Volscos: utpote capta urbe, cui ad ferendam opem venerant. Ita fusi Volsci Antiates; Corioli oppidum captum: tantumque sua laude obstitit famae consulis Marcius, ut, nisi foedus cum Latinis, columna aenea insculptum, monumento esset, ab Sp. Cassio uno, quia collega abfuerat, ictum, Postumum Cominium bellum gessisse cum Volscis, memoria[9] cessisset. Eodem anno Agrippa Menenius moritur, vir omni vita pariter Patribus ac plebi carus; post secessionem carior plebi factus. Huic interpreti[10] arbitroque concordiae civium, legato Patrum ad plebem, reductori plebis romanae in urbem, sumptus funeri defuit: extulit[11] eum plebs sextantibus collatis in capita.

XXXIV. Consules deinde T. Geganius, P.[1] Minucius facti: eo anno, quum et foris quieta omnia a bello essent, et domi sanata discordia, aliud multo gravius malum civitatem invasit: caritas[2] primum annonae, ex incultis per secessionem plebis agris; fames deinde, qualis clausis solet: ventumque ad in-

9. *Memoria cessisset*, vide ad II, 2, n. 11.

10. *Interpreti arbitroque concordiae civium*, ut *interpres colloquii* VII, 40; *pacis et concordiae* XXI, 12, et apud Cic. Cluent. 36, et Verr. I, 12; II, 44; IV, 22: h. e. internuncius, mediator, conciliator, μεσίτης, medius, sequester.

11. *Extulit eum plebs* (vide ad II, 16, n. 5), efferendum, sepeliendum curavit, sumptibus datis, *sextantibus* etc. Cf. Val. Max. IV, 4, § 2; Plin. XXXIII, 10 s. 48; Dion. lib. VI extr. *Quadrantes* pro *sextantibus* memorat Aur. Victor, de Vir. ill. c. 18.

Cap. XXXIV. 1. *P. Minucius*, non *Minutius*, in fastis Capitol. omnibusque illius gentis nummis; sic et graece Μινούκιος. In priscis tamen marmm. utrumque reperitur, et h. l. in plerisque libris *Minutius*. — *Quieta a bello*, ut VII, 1; XXVIII, 19; XXXIX, 11; et *quies* vel *otium ab armis* etc. I, 31; IV, 35; VII, 22; Drak.

2. *Caritas annonae*, de qua vide Dion. VII, 1 sq., et Plutarch. in Coriol. — *Qualis clausis solet*; non minus saeva, quam quae solet clausam et obsessam urbem fatigare. Lem.

teritum servitiorum utique et plebis esset, ni consules providissent, dimissis[3] passim ad frumentum coëmendum, non in Etruriam modo dextris ab Ostia litoribus, laevoque per Volscos mari usque ad Cumas, sed quaesitum in Siciliam quoque: adeo finitimorum odia longinquis coëgerant indigere auxiliis. Frumentum Cumis quum coëmptum esset, naves pro bonis Tarquiniorum ab Aristodemo[4] tyranno, qui heres erat, retentae sunt: in Volscis[5] Pomptinoque ne emi quidem potuit: periculum quoque ab impetu hominum ipsis[6] frumentatoribus fuit. Ex Tuscis frumentum Tiberi venit: eo sustentata est plebs. Incommodo bello in tam arctis commeatibus vexati forent, ni Volscos iam moventes arma pestilentia ingens invasisset: ea clade conterritis hostium animis, ut etiam, ubi[7] ea remisisset, terrore aliquo tenerentur, et Velitris auxere numerum colonorum Romani, et Norbae[8] in montes novam coloniam, quae arx in

3. *Dimissis passim* hominibus seu frumentatoribus *in Etruriam et in Siciliam quoque ad frumentum coëmendum* . . . et *quaesitum*, ut quaererent, coëmerent. — *Quaesitum in Siciliam* reposuit Rhenanus, pro *in Sicilia*, quod habet Cod. Paris.; hoc receperat tamen Creverius, invitis plurimis scriptis, ut ipse fatetur; sed sequenda est conspirans turba codicum accusativum exhibentium. Lem. — *Longinquis auxiliis*, remotis.

4. *Ab Aristodemo tyranno*, de quo vide ad II, 21, n. 3.

5. *In Volscis Pomptinoque* agro, qui aliis *Pometinus*, *Pomtinus*, *Pontinus*, Πωμέντιον, Πομετῖνον et Πωμεντίνων πεδίον dicitur, ut paludes Pomtinae et Pontinae, et ipsa Volscorum urbs *Suessa Pometia*, Πωμέντια.

6. *Ipsis frumentatoribus*, qui pro speculatoribus habebantur.

7. *Ubi ea remisisset*, sc. se, h. e. decrevisset, imminuta esset; ut *remiserunt imbres* XL, 33. Confer ad II, 3, n. 2.

8. *Norbae in montes*, in montosos Norbae tractus, vel colles, in quibus sita fuit; vid. Cluv. Ital. ant. III, 8, p. 1018–9. *Norba*, nunc *Norma*, πόλις τοῦ Λατίνων ἔθνους οὐκ ἀφανής (Dionys. VII, 13), de cuius memorabili interitu vide Appian. Bell. Civ. I, 94. — *Novam coloniam*, deductam forte post aliam, cuius mentionem praetermisit Livius. Conf. tamen ad VI, 30, n. 4. — *Quae arx in Pomptino agro esset*, vide ad III, 45, n. 9, et IV, 31, n. 8.

Pomptino esset, miserunt. M. Minucio deinde et A. Sempronio consulibus, magna vis [9] frumenti ex Sicilia advecta: agitatumque in senatu, quanti plebi daretur. Multi venisse tempus premendae plebis putabant, recuperandique iura, quae extorta secessione ac vi Patribus essent: in primis Marcius Coriolanus, hostis tribunitiae potestatis, « Si annonam, inquit, veterem [10] » volunt, ius pristinum reddant Patribus. Cur ego ple- » beios magistratus, cur Sicinium potentem video, sub » iugum [11] missus, tanquam a latronibus redemptus? » Egone has indignitates diutius patiar, quam necesse » est? Tarquinium [12] regem qui non tulerim, Sici- » nium feram? Secedat nunc, avocet plebem; patet » via in Sacrum montem aliosque colles. Rapiant » frumenta ex agris nostris, quemadmodum tertio » anno rapuere. Vtantur [13] annona, quam furore suo

9. *Magna vis frumenti ex Sicilia advecta*, commodata a Gelone, benignissimo Syracusarum tyranno.

10. *Annonam veterem*, vetus, idque vile, pretium annonae. Nam *annona* non modo frumentum dicitur, quod anno quoque provenit, sed eius quoque pretium, e copia aut paucitate frumenti, quod provenit, ortum, et caritas annonae s. frumenti. Confer ad XLV, 33, n. 1.

11. *Sub iugum missus*, in servitutem quasi redactos. Magna vi et indignatione haec, ut et reliqua, dicta de nimia tribunorum potestate. Marcius aegerrime consulatus repulsam tulerat; vid. Plut. p. 220. — *Indignitates*, iniuriam et ignominiam, ut supr. c. 12 pr.

12. *Tarquinium regem qui non tulerim*, feram s. ferrem s. tolissem, vel ferre possim, si etiam nunc regnet s. regnaret: nisi haec potius, ut et praecedd. dicta nomine patrum, quorum quasi personas sumpsit Marcius, aut per κοίνωσιν de omnibus Romanis cuiosque aevi. Conf. ad c. 38, n. 5 al. — *Tertio* abhinc *anno*, triennio ante.

13. *Vtantur annona*, sentiant eam annonae caritatem, *quam furore suo fecere*, seditione et secessione, causis neglectae agriculturae, et famis inde ortae. Conf. princ. hui. cap. et inf. ad cap. 42, n. 6. — Volgatae editiones habent *fruantur*, *utantur annona*; sed hoc verbum, quod abest ab omnibus scriptis, recte eiectum est. Lem. — *Laxandi annonam*, imminuendi pretium eius (vide not. 10), vel caritatem, qua Vrbs et plebs premebatur; ut *annona laxaverat*, sc. se, XXVI, 20; *laxare laborem* IX, 16; vel *laxare* (liberare, recreare) *aliquem a laboribus* XXXII, 5, n. 1; *pugna laxata*, remissa s. intermissa, XXI, 59; *annona laxior*, remissior, imminuta

» fecere. Audeo dicere, hoc malo domitos ipsos potius cultores agrorum fore, quam ut armati per » secessionem coli prohibeant ». Haud tam facile dictu est, faciendumne fuerit, quam potuisse arbitror fieri, ut conditionibus laxandi annonam, et tribunitiam potestatem, et omnia invitis iura imposita Patres demerent sibi.

XXXV. Et senatui nimis atrox visa sententia est, et plebem ira prope armavit. « Fame se iam, sicut » hostes, peti; cibo victuque fraudari: peregrinum » frumentum, quae sola alimenta ex insperato fortuna » dederit, ab ore rapi, nisi C. Marcio vincti dedantur » tribuni, nisi de tergo plebis romanae satisfiat. Eum » sibi carnificem novum exortum, qui aut mori, aut » servire iubeat ». In exeuntem e curia impetus factus esset, ni peropportune tribuni[1] diem dixissent. Ibi ira est suppressa: se iudicem quisque, se dominum vitae necisque inimici factum videbat. Contemptim primo Marcius audiebat minas tribunitias: auxilii, non poenae ius datum illi potestati; plebisque, non Patrum tribunos esse; sed adeo[2] infensa erat

eius caritas, inf. cap. 52 pr. nisi malis, annona uberior liberiorque commeatus, ut XXIV, 8; *laxior negligentiae locus*, h. e. maior facultas. (Gr. εὐρυχωρία.) Haec metaphora desumpta est a *laxo* spatio; illa vero a *laxis* habenis, funibus arcubusque, quae *laxantur*, h. e. remittuntur. Conf. ad c. 24, n. 4; od. XXIII, 20, num. 6; XXXII, 5, et XXXIX, 17, n. 3, ubi *laxior dies* est, longinquior terminus, qui vulgo dicitur.

Cap. XXXV. 1. *Tribuni diem dixissent*, diem Marcio constituissent, quo se tanquam reus sisteret coram iudicio, h. l. populi. Conf. ad III, 11, n. 4.—*Ibi*, tum, vel ea re, ut III, 14 pr. Conf. Drak. ad VII, 23, n. 4.

2. *Adeo infensa*, infense (ut saepissime adiect. pro adverb. de quo vide Drak.), *erat coorta plebs, ut unius poena defungendum esset Patribus*, leviori incommodo illo vel iactura seu malo maius malum s. periculum, ex ira infensae plebis ipsis imminens, propulsandum esset. Sic X, 29, *defunctos consulis*, qui se devoverit, *fato*, morte eius periculum imminens effugisse; XXIX, 21, *non levi defuncturum poena*; III, 5, *non pari caede defungi*; et V, 11, n. 7, *defunctos se esse*. Confer. IV, 52, n. 3; VIII, 19,

coorta plebs, ut unius poena defungendum esset Patribus. Restiterunt[3] tamen adversa invidia, usique sunt, qua suis quisque, qua totius ordinis viribus. Ac primo tentata res est, si dispositis clientibus absterrendo singulos a coitionibus conciliisque, disiicere[4] rem possent. Vniversi deinde processere, quidquid erat Patrum, reos diceres, precibus plebem exposcentes; *unum*[5] *sibi civem, ūnum senatorem, si innocentem absolvere nollent, pro nocente donarent.* Ipse quum die[6] dicta non adesset, perseveratum in ira est. Damnatus absens in Volscos exsulatum abiit, minitans patriae, hostilesque iam tum spiritus gerens. Venientem Volsci benigne excepere; benigniusque in dies colebant, quo maior ira in suos eminebat, crebraeque nunc querelae, nunc minae percipiebantur.

n. 12; X, 13, n. 4; XXXIX, 46, n. 3; XLV, 41, n. 4.

3. *Restiterunt tamen adversa invidia*, adversante odio plebis (vide ad I, 46, n. 9), quum, quamvis adversa sibi esset s. obstaret invidia, quam resistendo sibi contraherent; Doër. Sed hoc languet et friget, et iam est in verbo *restiterunt*; quare sic malim: restiterunt Patres per adversam invidiam, opposuerunt invidiae plebis suam, certavere cum plebe contumacia odii, in odium plebis defenderunt Marcium, quasi fronte adversa invidiae; Bauer. — *Qua suis, qua ordinis* pro et, et; vel *qua, qua*; tum, tum; partim, partim, ut IX, 3, 8, et ter inf. cap. 45.

4. *Disiicere rem*, discutere, impedire; vide ad XXIV, 2, n. 7. — *Plebem exposcentes*, ab ea flagitantes.

5. *Vnum sibi civem .... donarent*, sua causa et gratia absolverent, ut *donare Fabium populo romano*, in populi gratiam absolvere, ei ignoscere, VIII, 35; *sibi condonare filium* III, 12 extr. *Caere hospitio Vestalium dare* VII, 20; *remittere sibi poenam alicuius* VIII, 35, n. 3; vel *patriae memoriam simultatium*, earum oblivisci in gratiam patriae, IX, 38; XXXIX, 5, n. 4; *concedere aliquid* vel *aliquem alicui* passim apud Cic. et *dare aliquid alicui* vel *gratiam facere* et *veniam dare alicuius rei alicui*, de quo vide ad III, 56, n. 3; III, 58, n. 4; VIII, 35, n. 12, et XXVI, 17, n. 5; conf. Duk. ad Flor. III, 5, 10; Ernesti clav. Cic. et nos ad Tacit. Ann. I, 10, 10.

6. *Ipse quum die dicta non adesset* etc. De novo iudicii ritu vide Dionys. qui omnem quoque historiam huius rei luculentius narrat. — Mox *Attii Tulli* pro *Tulli Attii*; vide ad III, 1, n. 1. Τύλλος Ἄττιος ap. Dionysium VIII, 1; sed VIII, 67, in quibusdam libris Ἀττίδιος, ut apud Appian. r. Ital. 5.

Hospitio utebatur Attii Tulli. Longe is tum princeps volsci nominis erat, Romanisque semper infestus: ita quum alterum vetus odium, alterum ira recens stimularet, consilia[7] conferunt de romano bello. Haud facile credebant plebem suam impelli posse, ut toties infeliciter tentata arma caperent. Multis saepe bellis, pestilentia postremo amissa iuventute, fractos spiritus esse: arte agendum in exoleto iam vetustate odio, ut recenti aliqua ira exacerbarentur animi.

XXXVI. Ludi[1] forte ex instauratione Magni Romae parabantur: instaurandi haec causa fuerat. Ludis[2] mane servum quidam paterfamiliae, nondum commisso spectaculo, sub furca caesum medio egerat

7. *Consilia conferunt de romano bello*, h. e. adversus Romanos gerendo.

Cap. XXXVI. 1. *Ludi Magni* seu maximi et romani, circenses (vide ad I, 9, n. 4), qui a pridie Nonas Sept. ad pridie Idus in honorem *magnorum* deorum, Iovis, Iunonis ac Minervae, *maximaque* cum dignitate, religione et magnificentia, pro salute populi agebantur (vide Cic. Act. II in Verr. lib. V, cap. 14; supr. I, 35 extr. et infr. VI, 42 extr.), *ex instauratione*, iterum, *parabantur*, iterabantur, instaurabantur, prioribus pro irritis habitis. Cic. de Div. I, 26: *Quum bello latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma est excitata repente. Itaque ludis intermissis, instaurativi constituti sunt: qui antequam fierent, quumque iam populus consedisset, servus per circum, quum virgis caederetur, furcam ferens ductus est* etc. Confer Valer. Max. I, 7 ext. 4, et Ind. *Instaurare sacra, dies, ludos* etc., proprie repetere, iterum agere, et *instaurare ludos totos ter* vel *per biduum, triduum* etc. fere simpl. facere, agere, instituere, ut saepius ap. Livium. Sed doctius *biduum instauratum ludis* dicitur XXVII, 36, n. 2, et XXXI, 4; ut fere *instaurare diem donis* apud Virg. Aen. IV, 63; ubi vide Heyn. Confer loca in Ind. laudata in voc. *ludi plebeii* et *Romani*, ex quibus simul intelligitur, *romanos* ab aedilibus fere curulibus, *plebeios* vero ab aedilibus plebis (a quibus etiam ita dicti videntur.) institutos esse. Conf. et Cic. Verr. V, 14, ex quo loco Ernestus colligit ludos plebeios Florae factos esse.

2. *Ludis*, ludorum die (ut XXVII, 36; XXXII, 26; XXXIV, 44; XLIV, 22; *feriis*, *comitiis*, *Latinis* al.), *mane servum quidam paterfamiliae* (al. antique *paterfamilias*)... *sub furca caesum*, caedens, ita ut simul caederet, *medio circo*, per medium circum, *egerat*, sc. ad supplicium. Cf. ad I, 26, n. 6. — *Ti. Atinio*, al. *T. Latino* et *Lutnio*, ut apud Dionys.

circo: coepti inde ludi, velut ea res nihil ad religionem pertinuisset. Haud ita multo post Ti. Atinio, de plebe homini, somnium fuit: visus Iupiter dicere, *sibi ludis praesultatorem displicuisse: nisi magnifice instaurarentur hi ludi, periculum Vrbi fore: iret, ea consulibus nuntiaret.* Quamquam[3] haud sane liber erat religione animus, verecundia tamen maiestatis magistratuum timorem vicit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret. Magno[4] illi ea cunctatio stetit: filium namque intra paucos dies amisit; cuius repentinae cladis ne causa dubia esset, aegro animi eadem illa in somnis obversata species visa est rogitare, *satin' magnam spreti numinis haberet mercedem? maiorem instare, ni eat propere, ac nuntiet consulibus.* Iam praesentior[5] res erat: cunctantem tamen ac prolatantem ingens vis morbi adorta est, debilitate subita. Tum enimvero deorum ira admonuit: fessus igitur malis praeteritis instantibusque, consilio propinquorum adhibito, quum visa atque audita, et obversatum

Plutarch. et Valer. Maxim. I, 7, 4. — *Praesultatorem*, qui et *praesul* et *praesultor* dicitur. De simili re vide Heyn. Opusc. Acad. tom. II, p. 134-135.

3. *Quamquam haud sane liber erat religione animus* eius, somniumque ipsi videbatur non vanum et spernendum, sed divinitus missum (ut *vir haud intacti religione animi* V, 15, n. 5; vide ad II, 5, n. 4), *tamen timorem*, religionem, *vicit verecundia maiestatis magistratuum, ne ludibrio* fieret hominibus, si somnium narraret. *In*, vel *per*, *ora hominum abire*, *ire*, *venire*, vel *in ore omnium esse* dicitur is, de quo omnes loquuntur, laudantes eum, vel vituperantes: nude *Postumius in ore* (omnium) *erat*, h. e. laudabatur ab omnibus, inf. IX, 10 pr.

4. *Magno illi ea cunctatio stetit*, sc. pretio; III, 60 pr. *magno detrimento certamen*, proelium commissum, *stetit*; XXIII, 30 pr. *multo sanguine ac vulneribus ea Poenis victoria stetit*: sic et *magno emi*, *vendi* etc., vel *magni esse*, *aestimari* etc. — Mox *mercedem*, poenam.

5. *Iam praesentior res erat*, vide ad I, 12, n. 6. — *Prolatantem*, sc. rem; vide Drak. ad VII, 21, n. 3. — *Tum enimvero*, vide ad I, 51, n. 5. — *Deorum ira admonuit*, terruit, subegit, vicit; rem differre aut negligere prohibuit; Bauer.

toties somno Iovem, minas[6] irasque caelestes repraesentatas casibus suis exposuisset; consensu inde haud dubio omnium, qui aderant, in forum ad consules lectica affertur: inde in curiam iussu consulum delatus eadem illa quum Patribus ingenti omnium admiratione enarrasset, ecce aliud miraculum: qui captus[7] omnibus membris delatus in curiam esset, eum functum officio pedibus suis domum rediisse, traditum memoriae est.

XXXVII. Ludi[1] quam amplissimi ut fierent, senatus decrevit. Ad eos ludos, auctore Attio Tullo, vis magna Volscorum venit. Priusquam committerentur ludi, Tullus, ut domi compositum cum Marcio fuerat, ad consules venit: dicit esse quae secreto agere de republica velit. Arbitris remotis, « Invitus, « in» quit, » quod[2] sequius sit, de meis civibus loquor. » Non tamen admissum quidquam ab iis criminatum » venio, sed cautum ne admittant. Nimio plus, quam » velim, nostrorum ingenia sunt mobilia. Multis id » cladibus sensimus; quippe qui non nostro merito,

6. *Minas irasque caelestes repraesentatas casibus suis* (ut VIII, 6), h. e. manifestas factas et praesentes quasi oculis animisque, vel expressas, ut *repraesentare imaginem* etc. Alii exponunt, quae statim ratae essent factae et eventum habuissent, vel iam intellectas his casibus, antequam tota mole ingruerent, ut metaphora ducta sit a pecunia, quae *repraesentari* (nobis *praenumerari*) dicitur, ubi statim praesens solvitur, vel potius prius, quam res empta accipiatur. Confer Ernesti clav. Cic.

7. *Captus omnibus membris*, eorum usu privatus; ut XXXIII, 2, n. 2; XLI, 16, n. 3; et *captus luminibus* et *altero oculo* IX, 29; XXII, 2 (ubi conf. Duk.); *pedibus* XLIII, 7; *auribus et oculis* XXI, 58; *mente* seu *animo* vel *animi*, et hinc *mens capta*, debilitata, stupida, insana, VIII, 18, et XXXIX, 13 extr. Ceterum loco fabulosae huius historiae Dionys. Hal. VII, 68, morbum pestilentem memorat, qui hominum pecudumque stragem fecerit.

Cap. XXXVII. 1. *Ludi quam amplissimi ut fierent*, confer cap. 36 pr. Haec vero ad novum annum novosque consules refert Dionysius, lib. VIII pr. — *Compositum fuerat*, vid. ad III, 53, n. 2.

2. *Quod sequius sit*, turpius, minus rectum et honestum.

» sed vestra patientia incolumes simus. Magna hic » nunc Volscorum multitudo est: ludi sunt: spectaculo intenta civitas erit. Memini quid per eandem » occasionem ab Sabinorum iuventute in hac urbe » commissum sit: horret animus, ne quid inconsulte » ac temere fiat. Haec, nostra vestraque causa, prius » dicenda vobis, consules, ratus sum. Quod ad me » attinet, extemplo hinc domum abire in animo est, » ne cuius[3] facti dictive contagione praesens violer ». Haec loquutus abiit. Consules quum ad Patres rem dubiam sub auctore[4] certo detulissent, auctor magis, ut fit, quam res ad praecavendum vel ex supervacuo movit. Factoque senatusconsulto, ut urbem[5] excederent Volsci, praecones[6] dimittuntur, qui omnes eos proficisci ante noctem iuberent. Ingens pavor primo discurrentes ad suas res tollendas in hospitia perculit. Proficiscentibus deinde indignatio oborta: *se, ut conscoleratos contaminatosque, ab ludis, festis diebus, coetu quodammodo hominum deorumque abactos esse.*

XXXVIII. Quum prope continuato[1] agmine irent, praegressus Tullus ad caput[2] Ferentinum, ut quisque

3. *Ne cuius facti dictive contagione* (vide ad II, 5, n. 3) *praesens violer*, ne, si adsim, quod facto dictove quis peccaverit, eius particeps fiam, illudque mihi etiam, tanquam eius socio, imputetur.

4. *Sub auctore certo*, fide digno.

5. *Vt urbem excederent*; al. *urbe*. Sed *urbem* in omnibus fere MSS. h. l. et al. Conf. III, 57 extr. XXIII, 1 pr. XXIV, 3, 20; XXV, 9; XXXVIII, 7; XLV, 20. Sic et *egredi urbem* I, 29, n. 6; III, 57, n. 6; XXV, 8, n. 3; XXIX, 6, n. 4. Confer Drak. ad h. l.

6. *Praecones dimittuntur, qui... iuberent*, vide ad I, 41, n. 3. — Mox iunge *discurrentes in hospitia.*

Cap. XXXVIII. 1. *Continuato agmine*, vide ad I, 29, n. 5.

2. *Ad caput Ferentinum*, h. e. aquae Ferentinae; vide ad I, 50 pr. et 51, n. 5. — *Quaerendo*: « Nemini, credo, placebit Sigonianum *querendo*. Quaerebat enim Tullus, quasi totius negotii ignarus, unde venirent, aut quo casu Romam ante ludos, quos spectatum iissent, nunc reliquissent? Ipse certe, ut in senatu rom. dixerat, ante commissos ludos redierat do-

veniret, primores eorum excipiens, quaerendo indignandoque, et eos ipsos sedulo audientes[3] secunda irae verba, et per eos multitudinem aliam in subiectum viae campum deduxit. Ibi in concionis modum orationem exorsus, « Veteres populi romani iniurias, » cladesque gentis Volscorum, ut omnia, « inquit, » » obliviscamini alia, hodiernam hanc contumeliam

mum;» Bauer. Personae, quam Tullus suscepit et fert, aptissima primum *quaestio*, deinde *indignatio*. — Invito Cl. Ruperti, invito etiam codice Paris., mallem *querendo* cum Gebbard. Perizon. Crever. et Drak. Aldus quidem *quaerendo* dederat in contextu, sed inter errata probat *querendo*, quod in tribus scriptis exstare monent doctissimi viri supra nominati. Lem.

3. *Secunda irae verba*, ei apta, opportuna, subservientia, ad eam augendam idonea, opportuna. Similiter *secunda* XXIII, 14, n. 8, dicuntur grata multitudini, eius voluptati votisque respondentia, et *secundis* (faventibus, benignis) *auribus audiri* XLII, 28 pr. Conf. Ovid. Art. Am. 584 ibique Burm. — Mox propositio vel a Livio, vel a librariis inversa est pro *Vt* (h. e. quamquam, licet, aut si vel maxime, ut passim, v. c. XXI, 47, n. 2; XXI, 52, n. 5; XXII, 25, n. 1; XXIII, 27, n. 6; XXV, 19, n. 8; XXVIII, 12) *omnia, inquit, obliviscamini alia, veteres populi romani iniurias* etc., verbis autem *orationem exorsus* non significat Livius, initium orationis haec fuisse: *veteres populi romani* etc., sed haec post initium relatu non adeo dignum insequuta, et sententia est: quum exordium orationis *in concionis modum* fecisset, tum subiungit; mos enim historicis est, ut orationum exordia brevi complectantur, nosque in medias statim res et maxime cognitu dignas rapiant; Str. Coll. XXI, 52; XXIV, 22 et 25, Drakenb. coniicit *Vt veteres populi romani ... ut omnia* etc. Gronovius vult legi, *ibi in concionis modum oratione exorsus veteres populi romani iniurias cladesque gentis Volscorum: Vt omnia, inquit* etc. Dukerus autem, *exorsus in veteres* etc. ut cap. 56. — Creverius coniecturam Gronovii non spernendam putat; sed vellem ostendi mihi exempla phraseos: *oratione exordiri aliquam rem*. Quod spectat additamenta Drakenb. et Dukeri, nulla auctoritate quum sint firmata, iis non haerendum puto; is locus, et non alium dat codex Paris. sensum facilem et omnino fluentem habet, quare nihil sollicitandum est. Vide insuper infra c. 56, n. 7. Mox Paris. codex habet *qua per nostram* etc., sed elegantius est *qui*. Lem. — *Qui per nostram ignominiam*, propter eam (vide ad V, 12, n. 6), vel cum ea, ut III, 42, n. 1; XXX, 29, n. 3; al. « Neque *qua* legendum, neque τὰ *qui* ad *populi rom.* referendum, sed arguta illa at Thucydidea brevitate intelligendum, quam in Philol. Thucyd. p. 14 demonstravimus: *contumeliam*, sc. Romanorum, *qui ... commisere*, vel hoc pro quum commiserint, quod commiserant; » Bauer.

» quo tandem animo fertis, qui per nostram ignominiam ludos commisere? An non sensistis triumphatum hodie de vobis esse? vos omnibus, civibus, peregrinis, tot finitimis populis, spectaculo abeuntes fuisse? vestras coniuges, vestros liberos[4] traductos per ora hominum? Quid eos, qui audivere vocem praeconis? quid, qui vos videre abeuntes? quid eos, qui huic ignominioso agmini fuere obvii, existimasse putatis? nisi aliquod[5] profecto nefas esse, quo, si intersimus spectaculo, violaturi simus ludos, piaculumque merituri: ideo nos ab sede piorum, coetu, concilioque abigi. Quid, deinde? illud non succurrit, vivere nos, quod maturarimus proficisci? si hoc profectio, et non fuga est. Et hanc urbem vos non hostium ducitis, ubi si unum diem morati essetis, moriendum omnibus fuit? Bellum vobis indictum est; magno eorum malo qui indixere, si viri estis ». Ita[6] et sua sponte irarum pleni, et incitati, domos inde digressi sunt; instigandoque suos quisque populos effecere, ut omne volscum nomen deficeret.

XXXIX. Imperatores ad id bellum de omnium populorum sententia lecti Attius Tullus, et C. Marcius

4. *Vestros liberos traductos per ora hominum* (ut *per hostium oculos traduci* IX, 6, 2, h. *e.* ante eos), et sic contumelia affectos risuique expositos: unde *traducere*, ut παραδειγματίζειν, simpl. dicitur pro ignominiae ludibrioque exponere, metaphora ducta a victis hostibus, qui ante currum in triumpho (vid. XXXIII, 23), vel a sontibus, qui, antequam afficiuntur suppliciis, ante oculos hominum et per vicos traducuntur, ut sint spectaculo, ludibrio et exemplo, παραδείγματι.

5. *Nisi aliquod nefas esse* putatis praesentiam nostram, qua ludos sacros *violaturi simus, piaculumque merituri*, effecturi, ut hoc nefas piaculari quodam sacrificio expiandum sit. Σαρκαστικῶς: haec dicta, ut mox *ab sede piorum. — Ideo nos abigi... vivere nos* etc., vide ad cap. 34, n. 12.

6. *Ita et sua sponte irarum pleni*, vide ad c. 23, n. 2.

exsul romanus, in quo[1] aliquanto plus spei repositum. Quam spem nequaquam fefellit: ut facile appareret, ducibus validiorem quam exercitu rem romanam esse. Circeios[2] profectus, primum colonos inde romanos expulit; liberamque eam urbem Volscis tradidit. Inde in Latinam[3] viam transversis tramitibus transgressus, Satricum, Longulam, Poluscam, Coriolos, novella[4] haec Romanis oppida ademit. Inde Lavinium recepit: tunc[5] deinceps Corbionem, Vitelliam,

Cap. XXXIX. 1. *In quo aliquanto plus spei repositum*, quam in Attio Tullo; *aliquanto* longe, multo (vide Ernest. ad Suet. Caes. 86), nisi potius medium est inter *paulo* et *multo*, conf. Wolf. ad Suetonium Caes. 10, ubi monet, *aliquantum* per se incertae potestatis esse, ut cognata vocabula *aliquis*, *aliquandiu*, *aliquot* v. c. anni, qui possint esse 10, sed et 40, 60. — *Spem fefellit*, ut σφάλλειν τὰς τῶν πιστευσάντων ἐλπίδας apud Polyb. XI, 2 extr.

2. *Circeios... colonos romanos*, vide I, 56. Quatuor oppida, quorum nomina sequuntur, citra Latinam viam sunt Circeiis proficiscenti.

3. *In Latinam viam*, quae a Roma ad Latium Latinorumque oppida ducit. — *Transversis tramitibus*, ut *t. itineribus* III, 7, et *obliquis tramitibus* V, 16; vel *obliquo monte* VII, 15; XXXVIII, 20; h. e. transversa via per montem. *Colles obliqui*, qui obliquam, non rectam viam habent ducuntque, XXVIII, 33; XXXVIII, 22 pr. Sic et *transversis limitibus*, h. e. viis, XXII, 12; XXXI, 24, 39; XXXII, 13, XLI, 14 al. (quibus *prorsos limites* opponit Festus) quin et *immunitus* (praesidio destitutus) *Appiae viae limes* XXII, 15 extr.

4. *Novella haec oppida*, nuper in ditionem romanam redacta, vel novas has colonias (vide sup. c. 33), ut *novelli Aquileienses* XLI, 5 pr. Gavillii coloni Aquileiae, coloniae nuper (cf. XXXIX, 55) deductae. Non est quod displiceat τὸ *novella*, et cum Bauero atque Gronoviis legatur *Pometiam*, vel Bovillas, vel ex Dionys. *Mugillam* s. *Maegillam*, unde L. Papirius *Mugillanus* dictus. Malim quoque iungere *Romanis ademit*, quam cum Bauero *novella Romanis*, quod dictum putat pro nuper admodum iis capta. — Cod. Paris. dat *Novellam*; ita et sex a Gronovio citati, decem a Drak. Quamvis vero *novella oppida*, non male exponi possent oppida quae nuper a Romanis subacta et imperio adiecta erant, quum tamen codices plerique et meliores conspirent in τὸ *Novellam*, sub ea voce alterius oppidi nomen latere non vana est suspicio; et inde *Romanis* cum *ademit* iungeretur necessarie. Lem.

5. *Tunc deinceps* (vide ad I, 44, n. 6) *Corbionem* et *Vitelliam*, Aequorum oppida; *Lavicos* (al. *Labica* et *Labicum*, unde IV, 41, *via Lavicana*; 15 mill. pass. a Roma) et *Pedum*, Latinorum oppida: sed *Trebiam* Umbrorum vel Sabinorum: unde Cluverius emend. *Toleriam*, et Donatius *Trebam* Aequorum (hodie *Trevi*),

Trebiam. Lavicos, Pedum cepit. Postremum ad Vrbem a Pedo ducit; et ad fossas[6] Cluilias quinque ab Vrbe millia passuum castris positis, populatur inde agrum romanum; custodibus inter populatores missis, qui patriciorum agros intactos servarent; sive infensus plebi magis, sive ut discordia inde inter Patres plebemque oriretur. Quae profecto orta esset; adeo tribuni[7] iam ferocem per se plebem criminando in primores civitatis instigabant; sed externus timor, maximum concordiae vinculum, quamvis suspectos infensosque inter se iungebat animos. Id modo non conveniebat, quod senatus consulesque nusquam alibi spem, quam in armis, ponebant: plebes omnia, quam bellum, malebat. Sp. Nautius[8] iam, et Sex. Furius consules erant: eos recensentes legiones, praesidia per muros aliaque in quibus stationes vigiliasque esse placuerat loca, distribuentes, multitudo ingens pacem poscentium primum seditioso clamore conterruit: deinde vocare senatum, referre de legatis ad C. Marcium mittendis coëgit. Acceperunt relationem Patres, postquam apparuit labare[9] plebis animos; missique de pace ad Marcium oratores atrox responsum retulerunt: « si Volscis ager redderetur,

prope fontes Anienis. — *Ad Vrbem*, Romam, *ducit*, vide ad I, 23, n. 3; Dionysius alio, quam Livius, ordine expeditionem Coriolani recenset, et bis eum ad Vrbem accessisse tradit.

6. *Ad fossas Cluilias quinque* etc., vide I, 23.

7. *Adeo tribuni... instigabant*, tantopere, vel nam; vide ad Praef. n. 15. — *Externus timor*, vide ad I, 57, n. 7.

8. *Sp. Nautius iam et Sex. Furius consules erant.* Duplex par consulum, Q. Sulpicium et Sp. Lartium an. 264, C. Iulium et P. Pinarium an. 265, omittit Livius, quamvis eorum in numerandis annis rationem habuisse videatur lib. III, 30.

9. *Labare plebis animos*, inconstantes fieri, ut XXII, 61; XXXII, 30; XXXVI, 6; XL, 54; XLII, 50. *Labare* proprie deficere, labefactari, minari ruinam, nutare, propemodum *labi*, nondum tamen labi; Gron. ad Praef. Liv. ubi conf. n. 13.

» posse agi de pace: si praeda belli per otium frui » velint, memorem se et civium iniuriae, et hospitum » beneficii, adnisurum, ut appareat exsilio sibi ir- » ritatos, non fractos animos esse ». Iterum deinde iidem missi non recipiuntur in castra. Sacerdotes quoque suis insignibus [10] velatos, isse supplices ad castra hostium, traditum est; nihilo magis quam legatos flexisse animum.

XL. Tum matronae ad Veturiam matrem Coriolani, Volumniamque [1] uxorem frequentes coëunt: id publicum consilium, an muliebris timor fuerit, parum invenio. Pervicere certe, ut et Veturia magno natu mulier, et Volumnia, duos parvos ex Marcio ferens filios, secum in castra hostium irent: et, quam armis viri defendere urbem non possent, mulieres precibus lacrymisque defenderent. Vbi ad castra ventum est, nuntiatumque Coriolano adesse ingens mulierum agmen, in primo, ut qui nec publica maiestate in legatis, nec in sacerdotibus tanta offusa oculis animoque religione motus esset, multo obstinatior adversus lacrymas muliebres erat. Dein familiarium quidam, qui insignem moestitia inter ceteras cognoverat Veturiam, inter nurum nepotesque stantem,

10. *Suis insignibus velatos isse supplices* (vide ad c. 54, n. 6) *ad castra hostium traditum*, *et nihilo* etc., emend. Iac. Gron. « Ita scribendum fuisse, ut facilius flueret oratio, assentior: an scripserit ita Livius, dubitare liceat: immo langueat oratio per illud *et*, sine quo vigeat asyndeto plane Liviano; « Bauer. Conf. ad I, 24, n. 11. Potest etiam *sed* suppleri ante *nihilo magis*.

Cap. XL. 1. *Volumniam* matrem, et Vergiliam uxorem Marcii dictam tradit Plut. Coriol. p. 230. — *Id publicum consilium* etc., auctorem consilii fuisse Valeriam Poplicolae sororem refert Dionys. lib. VIII, p. 511. — *In primo*, primum, ut *in primis* (III, 65), *a primo* et *ex primo*; quae omnia substantive dicuntur pro principio s. initio. Conf. Cort. ad Sallust. Iug. 68; *is primo* conj. Bauer.—*Religione*, sanctitatis specie, *oculis animoque obfusa*, obversante, incussa; *in legatis et sacerdotibus*, iis conspectis et auditis.

Nisi me frustrantur, inquit, *oculi*, *mater tibi*, *coniuxque*, *et liberi adsunt*. Coriolanus prope ut amens, consternatus [2] ab sede sua, quum ferret matri obviae complexum, mulier in iram ex precibus versa, « Sine, priusquam complexum accipio, sciam « inquit » » ad hostem, an ad filium, venerim: captiva materne » in castris tuis sim? In hoc me longa vita et infelix » senecta traxit, ut exsulem te, deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, quae te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo » et minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? » non, quum in conspectu Roma fuit, succurrit, » intra illa moenia domus ac penates mei sunt, mater, coniux, liberique? Ergo ego nisi peperissem, » Roma non oppugnaretur; nisi filium haberem, libera » in libera patria mortua essem. Sed ego nihil [3] iam » pati, nec tibi turpius quam mihi miserius possum: » nec, ut sim miserrima, diu futura sum. De his videris: quos, si pergis, aut immatura [4] mors, aut

2. *Consternatus ab sede sua* etc., brevitas arguta pro consternatus et prosiliens, cum consternatione prosiliens, *quum ferret matri obviae complexum*, obviam iret amplexurus, gestu et consilio amplexaretur; Bauer. Alii post *consternatus* comma ponunt, iunguntque verba sqq. — *Sine* bis positum in MS. Pal. non male. — Operae pretium est conferre inter se tres pulcherrimas orationes, quas tres eloquentissimi historici de hoc eodem argumento scripserunt, tanquam a matre Coriolani habitas: hanc Livii concinnatissimam et tragicum paene spirantem; Dionysii, placidiorem; Plutarchi, ex utroque affectu velut temperatam. Hae postremae duae quendam historiae quasi colorem retinere magis fortasse videbantur: Liviana excelsior esse, et romana matre dignior. Lem. — *In hoc me longa vita... traxit*, violenter me reservavit; protracta, producta est; Doering.

3. *Nihil pati, nec tibi turpius quam mihi miserius*; inversio pro *nec mihi miserius, quam tibi turpius*: nam vult, Coriolani filii magis interesse quam matris, ut abstineat proposito; Bauer. Sed adiicit: *ut* (quamvis) *sim miserrima*. — *De his*, uxore et duobus filiis (quos digito monstrat), *videris*, iis prospicias, illorum nunc curam habeas. Cf. ad XXXV, 6, n. 3, et XLII, 13, n. 9.

4. *Quos mors, aut servitus manet*, exspectat, ut *hostium adventum mansit* XLII, 66, n. 1, et graece *μένει*

» longa servitus manet ». Vxor deinde ac liberi amplexi; fletusque ab omni turba mulierum ortus, et comploratio sui patriaeque, fregere tandem virum: complexus inde suos dimittit: ipse retro ab urbe castra movit. Abductis deinde legionibus ex agro romano, invidia [5] rei oppressum periisse tradunt; alii alio leto: apud Fabium, longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eundem invenio. Refert certe, hanc saepe eum exacta aetate usurpasse vocem, *multo miserius seni exsilium esse.* Non inviderunt laudes suas mulieribus viri romani; adeo sine obtrectatione [6] gloriae alienae vivebatur. Monimento quoque quod esset, templum [7] Fortunae Mu-

et παραμένειν· nam qui alterum exspectat, manet alicubi, donec ille veniat.

5. *Invidia rei oppressum periisse tradunt* Coriolanum; quem sibi ipsum conscivisse mortem dicit Cic. Lael. 12, et in Bruto 10. Sed eum per tumultum esse obtruncatum vel lapidibus obrutum propter invidiam Attii Tulli et Volscorum, qui remanserint domi, et praedae militibus divisae expertes fuerint, tradunt Dionys. VIII, 59; Plut. in Coriol. p. 232, 233, et Appian. de rebus Ital. cap. 5. — Pro *invidia rei*, codex Paris. habet *invidia regis*; de hoc omnes interpretes tacent. Lem. — De *Fabio* vide ad I, 44, n. 5.

6. *Sine obtrectatione gloriae alienae vivebatur*; Cic. Tusc. IV, 8: *Obtrectatio est ea, quam intelligi zelotypiam volo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit.* Post *vivebatur* Cuiacius, Obs. XII, 24, ex plenioribus MSS. haec inserenda putabat: *Tunc enim primum sancitum fuit, ut mulieribus de via cederetur, ut inauribus aureis, ut purpurea veste, ut aureis segmentis, ut novo vittae discrimine uterentur.* Sed ullum eorum vestigium neque ap. Dionys. et Plut., neque in ullo codice repertum est: unde Duk. et Drakenb. suspicantur, illa ex Valer. Max. V, 2, 1, a nasuto quodam concinnata. Vellem tamen Cuiacius dixisset, quibus MSS. sit usus. Valerii certe locus rem dubiam facit. — Haec phrasis *Tunc enim ...... discrimine uterentur* abest a codice Paris., et sicuti postea doct. Rupert. olim doctissimis interpretibus alienigena credebatur. Lem.

7. *Templum Fortunae Muliebri aedificatum* via Latina ad quartum ab Vrbe lapidem, quo loco Coriolanus exoratus fuerat; vide Valer. Max. I, 8, 4; V, 2, 1; Dionys. VIII, 10, 55; Plutarch. in Coriol. p. 231, 232. *Fortunae Virili* templum iam dedicatum erat ab Anco Marcio vel Servio Tullio; vid. Plut. de Fort. Rom. cap. 17, t. II, p. 322; Dionys. IV, 4, et Ovid. Fast. VI, 145 sq.

liebri aedificatum dedicatumque est. Rediere deinde Volsci, adiunctis Aequis, in agrum romanum; sed Aequi Attium Tullum haud ultra tulere ducem. Hinc ex certamine, Volsci Aequine imperatorem coniuncto exercitui darent, seditio, deinde atrox proelium ortum. Ibi fortuna [8] populi romani duos hostium exercitus, haud minus pernicioso quam pertinaci certamine, confecit. Consules T. Sicinius et C. Aquillius. Sicinio Volsci, Aquillio [9] Hernici, nam ii quoque in armis erant, provincia evenit. Eo anno Hernici devicti; cum Volscis aequo Marte discessum est.

XLI. Sp. Cassius deinde et Proculus Virginius consules facti. Cum Hernicis foedus ictum, agri [1] partes duae ademptae: inde dimidium Latinis, dimidium plebi divisurus consul Cassius erat. Adiiciebat huic

8. *Ibi fortuna populi rom.* (vid. ad VI, 30, n. 3) *duos hostium exercitus ....confecit*, delevit, perdidit; proprie penitus interfecit, in pr. bestias vulneratas et gladiatores in muneribus. — *T. Sicinius*, *C. Aquillius*, Τῖτος Σίκκιος, Γάϊος Ἀκύλλιος apud Dionys. l. VIII, p. 531–535, ubi etiam tradit, Sicinium, ingenti victoria de Volscis reportata caesoque Attio Tullo eorum duce, triumphasse.

9. *Aquillio Hernici provincia evenit*, belli cum iis gerendi negotium, ut cap. 54; III, 2; V, 12 al. *Provincia* enim propr. est negotium s. munus publicum administrandum (gall. *département*: unde *classis* ita dicitur XXX, 43 pr. XLIV, 1; et *navalis provincia* XXXVII, 4, n. 2; et *provincia urbana* et *peregrina* de iurisdictione praetorum XXIV, 9; XXV, 3; XXVI, 7; XXXIX, 45), in pr. belli gerendi (cf. ad XXI, 5, 1, unde et *provinciam*, h. e. bellum alicubi gerendum, *conficere* XXVI, 21; XXVII, 5, et ter XL, 28, 35, eodem sensu dicitur, qua *perdomare et pacare provinciam* XXXIX, 29), deinde populus, contra quem, vel regio et fines, intra quos bellum est gerendum, vel denique oppidum, ubi maiora imperatoris castra sunt, pro tota regione locisque vicinis positum, ut *Suessula* et *Syracusae* XXV, 3; *Pisae* XXXIII, 44 (ubi deinde *Etruria circa Pisas* synon. dicitur); *Tarentum* et alis.

Cap. XLI. 1. *Agri capti partes duae ademptae*, tertia tantum Hernicis relicta. — *Adiiciebat*, adiiciendam censebat: conf. ad III, 21, n. 3. — *Ipsos possessores*, qui ipsi possessores erant huius agri publici: conf. Dionysium, VIII, 69 sqq. — *Publica sollicitudo*, de republica, ut *publica indignatio*, de reip. detrimento, III, 48 extr. *publica consilia*, de republica, pro salute eius II, 30, n. 2; *publicus pavor*, de rep. V, 39, n. 3.

muneri agri aliquantum, quem publicum possideri a privatis criminabatur. Id multos quidem Patrum, ipsos possessores, periculo rerum suarum terrebat: sed et publica Patribus sollicitudo inerat, largitione consulem periculosas libertati opes struere. Tum primum[2] lex agraria promulgata est, nunquam deinde usque ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata. Consul alter largitioni resistebat, auctoribus Patribus, nec omni plebe adversante: quae primo[3] coeperat fastidire munus vulgatum a civibus isse in socios: saepe deinde et Virginium consulem in concionibus velut vaticinantem audiebat, *pestilens collegae munus esse. Agros illos servitutem iis, qui ac-*

2. *Tum primum lex agraria promulgata est*, de agro publico, a Patribus conducto, plebi et egenis civibus (qui crebris delectibus incursibusve hostium in agros ad extremam inopiam redigi solebant) dividendo: *nunquam deinde ...... sine maximis motibus rerum agitata*: nam quis aequo animo cederet agris, quos, iusto potissimum titulo, possidebat, vel a maioribus acceptos, vel emptos, aliove modo acquisitos? Tribuni in primis seditiosi leges agrarias ferre solebant, ut plebis gratiam captarent: et novum tandem inventum harum legum genus, agris proscriptorum totarumque civitatum inter veteranos divisis. Vide omnino Heyn. de legg. agrariis pestiferis, in Opusc. Acad. t. IV, p. 350–374.

3. *Quae* plebs *primo coeperat fastidire*, cum fastidio indignari, vel reprehendere (vide Ern. clav. Cic.) eum, Cassium, *munus vulgatum isse*, vulgasse, vel vulgare voluisse (ut *ire perditum* XXXII, 22; *ire ereptum*, *depressum* al.) *a civibus in socios*, ut ere *contagium morbi etiam in alios vulgatum* est apud Curt. IX, 10. Conf. supr. ad cap. 29, n. 5. Cassius enim dimidium agri Latinis, dimidium plebi divisurus erat, quo parum prudenti consilio plebis rom. portio imminuebatur et beneficium eius. Sed dura est formula, *munus vulgare a civibus in socios*; unde praestiterit: *munus vulgatum*, promiscuum, *a civibus in socios isse*, transiisse. Verbum quoque *fastidire* passim quidem absolute ponitur iungiturque infinitivo, v. c. X, 8; Valer. Maxim. II, 6, 8; Plaut. Curc. V, 2, 34 al. At his quoque locis non significare videtur aegre s. moleste ferre, sed fastidiose respuere, vel superbe spernere. Hinc Gron. eiicit τὸ *isse* (pro quo in aliis libris *esse* et *egisse* legitur), et iungit *fastidire munus vulgatum*, collatum, tanquam commune, *a civibus in socios* quoque. Drak. coniicit *sese* pro *esse*. — Paris. codex habet *isse*; et quamvis Creverius laudet huius verbi resecationem, tamen quum plerique libri hoc habeant, et alii *esse* vel *egisse*, recte Rupert. illud servavit. Lem.

ceperint, laturos: regno viam fieri. Quid ita enim assumi socios et nomen latinum? Quid[4] *attinuisse, Hernicis, paulo ante hostibus, capti agri partem tertiam reddi, nisi ut hae gentes pro Coriolano duce Cassium habeant?* Popularis[5] iam esse dissuasor et intercessor legis agrariae coeperat: uterque deinde consul certatim plebi indulgere. Virginius dicere, passurum se assignari agros, dum ne cui, nisi civi romano, assignentur. Cassius, quia in agraria largitione ambitiosus[6] in socios, eoque civibus vilior erat, ut alio munere sibi reconciliaret civium animos, iubere, pro siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. Id vero haud secus, quam praesentem mercedem[7] regni, aspernata plebes: adeo propter suspicionem insitam regni, velut abundarent omnia, munera eius in animis hominum respuebantur. Quem, ubi primum[8] magistratu abiit, damnatum necatumque constat. Sunt, qui patrem[9] auctorem eius supplicii ferant: eum, cognita domi causa, verberasse ac necasse, peculiumque[10] filii Cereri consacravisse: signum inde factum esse, et inscriptum, EX CASSIA FAMILIA DATVM.

4. *Quid attinuisse*, opus fuisse? Cf. Drak. ad III, 36, n. 4.

5. *Popularis iam esse dissuasor et legis ... coeperat*, quippe qui populi salutem respicere videbatur; iniecta callide suspicione regni affectandi.

6. *Ambitiosus in socios*, vid. ad c. 27, n. 5. — *Civibus vilior*, minus gratus.

7. *Praesentem mercedem regni*, v. ad I, 12, n. 6, et II, 36, n. 6. — *Propter suspicionem insitam* (forte *iniectam*, scilic. plebi a Virginio) *regni* a Cassio affectati.

8. *Vbi primum magistratu abiit* Cassius; qui tertium consul fuerat: conf. supr. c. 17 et 33.

9. *Patrem auctorem eius supplicii* (h. e. qui id filio intulerit, vel eum poena affecerit; vid. Drak. qui docet, non opus esse legi *actorem*, h. e. exactorem, exsecutorem) etc. confer Val. Max. V, 8, 2, et Plin. XXXIV, 4 s. 9. — *Verberasse et necasse*, vide ad I, 26, n. 6.

10 *Peculium filii consecravisse Cereri*, totum forte patrimonium. Proprie vero *peculium* dicebantur bona, quae filius patris, et servus domini permissu colligebat. —*Signum*, simulacrum.

Invenio [11] apud quosdam, idque propius fidem est [12], a quaestoribus C. Fabio et L. Valerio diem [13] dictam perduellionis, damnatumque populi iudicio; dirutas publice aedes: ea est area ante Telluris aedem. Ceterum sive illud domesticum, sive publicum fuit iudicium, damnatur Serv. Cornelio, Q. Fabio consulibus.

XLII. Haud diuturna ira populi in Cassium fuit. Dulcedo [1] agrariae legis ipsa per se, dempto auctore, subibat animos: accensaque ea cupiditas est malignitate Patrum; qui, devictis eo anno Volscis Aequisque, militem praeda fraudavere: quidquid captum ex hostibus est, vendidit Fabius consul, ac redegit in pu-

11. *Invenio apud quosdam* etc., sic et apud Dionys. VIII, 78, 79: cui *id propius fidem* (al. *fidei*; sed vide ad I, 25; n. 11) videtur, quia *dirutae publice aedes* Cassii, et bona eius publicata sunt. Neutrum vix vivo patre fieri potuit, quum filius nondum sui iuris esset, et in propria bonorum possessione.

12. *A quaestoribus C. Fabio et L. Valerio*, non primis, sed huius anni. Nam duo iam urbani a regibus creati, et deinde a consulibus, tandem a populo in comitiis curiatis, adiectis ann. Vrb. cond. 334 duobus militaribus, qui consules ad bella sequerentur. (Vide IV, 43). Circa ann. Vrb. 488 additi quatuor alii, qui quaestorias curarent provincias: vid. infr. Epitom. lib. XV. A Sulla creati XX; a Iulio Caesare ad XL; vide supr. ad c. 8, n. 10, et ad Tacit. Annal. XI, 22. Ceterum ante inductas leges annales in petendis honoribus neque aetatis neque graduum ratio habebatur; unde ann. Vrb. cond. 296 quaestor creatus est Quintius, qui iam ter consul fuerat (vide infr. 3, 25, et Tac. l. l.): postea primus honorum gradus fuit quaestura. Quaestores autem his temporibus diem dicere solebant ad populum iis, qui insigne aliquod scelus commiserant. Cf. infr. III, 24 et 25.

13. *Diem dictam* Cassio, eum accusatum esse *perduellionis*, de qua vid. ad I, 26, n. 4. — *Dirutas publice*, iussu populi, auctoritate publica. Cf. ad V, 50, n. 2. — *Ea est area ante Telluris aedem*, quae etiam aedes in eodem dirutae domus loco exstructa est. Cf. Dionys. lib. VIII, p. 546; Cic. p. domo, c. 38; Valerius Maxim. VI, 3, 1.

Cap. XLII. 1. *Dulcedo agrariae legis.* Hoc anno et insequentibus, semper tribuni fraudem Patrum accusabant, postulabantque ut sua ipsi consulta exsequerentur, decemvirosque, sicut polliciti fuerant, dividundis agris eligerent. Sed incassum abierunt omnes eorum conatus. Lem. — *Redegit in publicum*, vid. ad cap. 9, n. 4.

blicum. Invisum erat Fabium nomen plebi propter novissimum consulem: tenuere [2] tamen Patres, ut cum L. Aemilio C. Fabius consul crearetur. Eo infestior facta plebes seditione domestica bellum externum excivit: bello deinde civiles discordiae intermissae; uno animo Patres ac plebes rebellantes Volscos et Aequos, duce Aemilio, prospera pugna vicere. Plus tamen hostium fuga, quam proelium, absumpsit; adeo pertinaciter fusos insequuti sunt equites. Castoris [3] aedes eodem anno idibus quinctilibus dedicata est: vota erat latino bello, Postumio dictatore: filius eius, duumvir [4] ad id ipsum creatus, dedicavit. Sollicitati et eo anno sunt dulcedine agrariae legis animi plebis. Tribuni [5] plebis popularem potestatem lege populari celebrabant. Patres, satis [6] superque gratuiti furoris in multitudine credentes esse, largitiones [7] temeritatisque invitamenta horrebant; acerrimi Patribus duces

2. *Tenuere tamen* (vid. ad I, 3, n. 1) *Patres*, h. e. obtinuere, perfecere, pervicere, ut III, 29; IV, 30; XXIII, 20; XXIV, 19; XXXIX, 3, ubi conf. n. 2.—*Rebellantes Volscos et Aequos*, h. e. bellum redintegrantes, quae propria verbi vis est, et passim obvia, ut et infra cap. extr.

3. *Castoris aedes vota erat latino bello*, vid. supr. cap. 20 extr. — *Idibus quinctil. dedicata*, conf. ad Tac. Ann. II, 83, 10.

4. *Duumvir ad id ipsum creatus dedicavit* aedem, vid. ad I, 55, n. 3, et XXIII, 30, n. 8.

5. *Tribuni pl. popularem potestatem* suam *lege populari*, agraria, populo grata, *celebrabant*, insignem faciebant; nisi malis, commendabant, vel iactabant.

6. *Satis superque gratuiti furoris in multitudine esse*, scilicet plebem satis superque per se s. sponte furere, sine mercede aliqua proposita, qua ad seditionem excitetur: nam *furor* est seditionis. Conf. c. 29 extr. ad c. 34, n. 13, et XXV, 4.

7. *Largitiones temeritatisque invitamenta*, h. e. quae temeritatis invitamenta sunt; ut VII, 15, n. 3, *a fallaci equitum specie agasonibusque*, h. e. *nempe*, vel *id est agasonibus*; IV, 33 pr. *ignibus armata facibusque ardentibus*; XXVI, 31, n. 4, *Carthaginienses victosque*. Ita passim τὸ *que*, quod Gron. delendum putabat, exegeticum esse vel explicandi vim habere, pro *hoc est*, ut *et* III, 1 pr. 46 sl. et *ac* XXXVIII, 49, n. 2, monet Drak. ad h. l. et II, 56; XXXVIII, 49; cf. ad V, 45, n. 3; XXII, 48, n. 2; XXXV, 29, n. 1, et ad Tacit. Ann. I, 33, 7.

ad resistendum consules fuere. Ea igitur pars reipublicae vicit, nec in praesens modo; sed in venientem etiam annum M. Fabium Caesonis fratrem, et magis invisum alterum plebi, accusatione Sp. Cassii, L. Valerium consules [8] dedit. Certatum eo quoque anno cum tribunis est: vana lex, vanique legis auctores, iactando irritum munus, facti. Fabium inde nomen ingens post tres continuos consulatus, unoque velut tenore omnes expertos tribunitiis certaminibus, habitum; itaque, ut bene locatus, mansit in ea familia aliquandiu honos. Bellum inde veiens initum; et Volsci rebellarunt: sed ad bella [9] externa prope supererant vires: abutebanturque iis inter semetipsos certando. Accessere ad aegras iam omnium mentes prodigia caelestia, prope quotidianas in urbe agrisque ostentantia minas: motique ira numinis causam nullam aliam vates canebant, publice privatimque nunc extis, nunc per aves consulti, quam haud rite sacra fieri: qui terrores [10] tamen eo evasere, ut Oppia [11], virgo vestalis, damnata incesti poenas dederit.

8. *Consules dedit* olim suaserat Sigonius; cui adsentiuntur omnes interpretes, et Crevcrius ipse, qui ex editionibus vetustis in contextu recepit *consulem*. Hoc potuit oriri ex scriptura breviata *cons.* hanc habet Cod. Paris. Lem. — *Vana lex* (quae promulgata non potuit perferri) *vanique legis auctores facti* (vid. ad I, 8, n. 3), *iactando irritum munus*, quum gloriarentur, se munus plebi daturos esse, quod perficere non poterant. — Mox *expertos*, exercitos.

9. *Ad bella externa supererant vires*, ne omnibus quidem opus erat. — Mox iunge *numinis moti ira* et *consulti*.

10. *Qui terrores eo evasere*, eum exitum habuere.

11. *Oppia, virgo vestalis*, quae *Pompila* vocatur in Euseb. Chron. p. 167, *Popilia* Oros. II, 8, et *Opimia* Dionys. VIII, 89, 90, qui eam vivam defossam dicit in campo scelerato ad portam Collinam (vid. ad c. 51, n. 2, et VIII, 15, n. 6), duosque corruptores in foro sub furca flagris caesos et necatos: nam has *poenas* et vestalis, pontificum iudicio *incesti* s. incestus (causa vel nomine) *damnata*, et stuprator *dabat*. Cf. VIII, 15; XXII, 57; Dionys. II, 65; Plutarch. Numa, pag. 67, et Quaest. Rom. 95; Lips. de Vesta, c. 13.

XLIII. Q. Fabius inde, et C. Iulius consules facti. Eo anno non segnior discordia domi, et bellum foris atrocius fuit. Ab Aequis arma sumpta. Veientes agrum quoque Romanorum populantes inierunt: quorum bellorum crescente cura, C. Fabius et Sp. Furius consules fiunt. Ortonam [1], latinam urbem, Aequi oppugnabant. Veientes, pleni iam populationum, Romam ipsam se oppugnaturos minabantur. Qui terrores, quum compescere deberent, auxere insuper animos plebis: redibatque non sua sponte plebi mos detrectandi militiam; sed Sp. Licinius [2] tribunus plebis venisse tempus ratus per ultimam necessitatem legis agrariae Patribus iniungendae, susceperat rem militarem impediendam. Ceterum tota invidia tribunitiae potestatis versa in auctorem est, nec in eum consules acrius quam ipsius eius collegae coorti sunt: auxilioque eorum delectum consules habent. Ad duo simul bella exercitus scribitur: ducendus [3] Fabio in Aequos, in Veientes Furio datur. Et in Veientibus quidem nihil dignum memoria gestum est. Fabio

CAP. XLIII. 1. *Ortonam, latinam urbem* (ultra Algidum, non longe a Corbione, de qua conf. III, 30); nam *Ortona* (Ορτων Strab. V, pag. 167) etiam Frentanorum opp. et navale ad mare Hadriaticum. — *Pleni populationum*, iis satiati.

2. *Sp. Licinius tribunus plebis*, Σπόριος Σιχίλιος (in codice Rom. Σικίνιος) ap. Dionys. l. IX, p. 559, unde Sigonius non male emend. *Sp. Icilius*; ex qua gente multi his temporibus tribuni fuere, infestissimi Patribus. Cf. c. 58; III, 44 sq.; IV, 52, et in pr. 54. — *Legis agrariae Patribus iniungendae*, germ. *aufdringen, aufzwingen*; Ern. *Iniungere* est verbum onerum munerumque fungendorum, et hinc XXXII, 3, n. 3, et ap. Plin. Ep. VI, 16, τῷ *suscipere* opponitur; Gron. — Mox *ipsi eius collegae* legendum; quod iam alii monuere.

3. *Ducendus Fabio in Aequos* etc., ita quidam MSS. At plerique et edd. ante Sigon. *Furio in Aequos, in Veientes Fabio datur. Et in Aequis quidem* etc. Huic lectioni favet Dionys. ex quo etiam petita videtur; sed, ea recepta, Livius sibi repugnat. Confer c. 44 extr. et 46 pr. — Cod. Paris. habet *ducendus Fabio in Veientes, in Aequos Spurio datur*, et in *Aequis quidem* etc.

aliquanto plus negotii cum civibus, quam cum hostibus fuit: unus [4] ille vir ipse consul rempublicam [5] sustinuit, quam exercitus odio consulis, quantum in se fuit, prodebat. Nam quum consul, praeter ceteras imperatorias artes, quas parando gerendoque bello edidit plurimas, ita instruxisset aciem, ut, solo equitatu emisso, exercitum hostium funderet, insequi fusos pedes noluit: nec illos, etsi non adhortatio invisi ducis, suum saltem flagitium et publicum in praesentia dedecus, postmodo periculum, si animus hosti redisset, cogere potuit gradum accelerare; aut, si [6] aliud nihil, instare instructos. Iniussu signa referunt, moestique, crederes victos, exsecrantes nunc imperatorem, nunc navatam ab equite operam, redeunt in castra. Nec huic tam pestilenti exemplo remedia [7] ulla ab imperatore quaesita sunt; adeo excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua civem regant, quam qua hostem superent. Consul Romam rediit, non tam belli gloria

4. *Vnus ille vir ipse consul*; verba *ipse consul* ab aliena manu profecta putabant Freinsh. ad Flor. I, 13, 21, et Duk. ad h. l. Contra Drak. monet, vocem *consul* necessariam esse, et sine ea frigere mox τὸ *consulis* omnemque perire oppositionem. Idem et Gron. comparant cap. 61 (*unus e Patribus ipse App. Claudius*); IV, 18 (*ipse rex*), et similia.

5. *Rempublicam sustinuit*, sustentavit, servavit, *quam exercitus prodebat*, quae ut periret efficiebat s. committebat, vel potius, quam sibi quasi creditam destituebat et perfide deserebat; ut *prodere remp.* X, 19, n. 2; *disciplinam* c. 59; *communem causam* XXXIV, 23, n. 3; *urbem* XXII, 50 (ubi τῷ *servare* opponitur); *libertatem* III, 38; *salutem* IX, 14 extr. XXX, 9, n. 6; *publica* XXVI, 36. Hinc et *proditio dignitatis Patrum* III, 69; *prodere praesidium in omnes cruciatus* XXVI, 12, n. 7; *prodere ad inconsultam pugnam legiones* XXII, 44, n. 6, et *prodere commilitones ad caedem* XXIV, 30, ut *ad mortem* ap. Virg. Aen. XII, 42, h. e. desertos morti tradere, periculo mortis exponere. Conf. c. 54; X, 19, et ad Sil. II, 247.

6. *Si aliud nihil* facere vellent, saltem (conf. ad II, 8, n. 9), *instare instructos*, h. e. *stare*, ut ap. Suet. Tib. 72 extr. (vid. sup. ad I, 32, n. 12), nisi legend. *perstare* vel *restare*.

7. *Remedia ulla ab imperatore quaesita sunt*, inventa, vel allata, vel parata, ut VI, 34; VII, 1; XXV, 6; XXXVI, 40.

aucta, quam irritato exacerbatoque in se militum odio: obtinuere tamen Patres, ut in Fabia gente consulatus maneret; M. Fabium consulem creant: Fabio collega Cn. Manlius datur.

XLIV. Et hic annus tribunum auctorem legis agrariae habuit: Ti. Pontificius fuit: is eandem viam, velut [1] processisset Sp. Licinio, ingressus, delectum paulisper impediit. Perturbatis iterum Patribus, Ap. Claudius, «victam [2] tribunitiam potestatem, «dicere,» » priore anno; in praesentia re ipsa, exemplo in » perpetuum: quando inventum sit, suis ipsam vi» ribus dissolvi. Neque enim unquam defuturum, » qui et ex collega victoriam sibi, et gratiam melioris » partis bono publico velit quaesitam. Et plures, si » pluribus opus sit, tribunos ad auxilium consulum » paratos fore; et unum vel adversus omnes satis » esse. Darent modo et consules et primores Patrum » operam, ut, si minus omnes, aliquos tamen ex » tribunis reipublicae ac senatui conciliarent.» Praeceptis Appii moniti Patres, et universi comiter ac benigne tribunos appellare; et consulares, ut [3] cuique privatim aliquid iuris adversus singulos erat, partim gratia, partim auctoritate obtinuere [4], ut tribunitiae potestatis vires salubres vellent reipublicae

Cap. XXIV. 1. *Velut processisset* via, vel res ex sententia successisset, *Sp. Licinio*, de quo v. ad c. 42, 7. 2.

2. *Victam tribunitiam potestatem* etc., vid. ad c. 33, n. 3; *priore anno*, vid. cap. 43 med. *Exemplo*, si hoc exemplum spectetur: *ad exemplum facti* apud Cic. ad Div. IX, 14.

3. *Ut cuique privatim aliquid iuris*, ex necessitudine, vel patronatu profecti.

4. *Obtinuere*, impetravere, perfecere (ut XXII, 31, n. 6 al.) *ut tribunitiae potestatis vires*, potestatem trib. *vellent* tribuni adhibere adversus Pontificium collegam in salutem reipublicae; *obtinere* in cod. Gaërtner. ut praec. *appellare*, quod tamen Drak. prò *appellavere* dictum putabat. Sed passim in tali oratione verbo finito subiungi finitum, docuit iam Duker. ad c. 23. — *Moratorem publici commodi*, v. sup. ad c. 24, n. 5.

esse: quatuorque tribunorum adversus unum moratorem publici commodi auxilio delectum consules habent. Inde ad veiens bellum profecti, quo undique ex Etruria auxilia convenerant, non tam Veientium gratia concitata, quam quod in spem ventum erat discordia intestina dissolvi rem romanam posse: principesque in omnium Etruriae populorum conciliis fremebant, « aeternas opes esse romanas, nisi inter » semet ipsi seditionibus saeviant: id unum [5] venenum, » eam labem civitatibus opulentis repertam, ut magna imperia mortalia essent. Diu [6] sustentatum id » malum, partim Patrum consiliis, partim patientia » plebis, iam ad extrema venisse. Duas civitates ex » una factas: suos cuique parti magistratus, suas » leges esse. Primum in delectibus saevire solitos, » eosdem in bello tamen paruisse ducibus: qualicum» que urbis statu, manente disciplina militari, sisti [7] » potuisse: iam non parendi magistratibus morem in » castra quoque romanum militem sequi. Proximo » bello in ipsa acie, in ipso certamine, consensu » exercitus traditam ultro victoriam [8] victis Aequis:

5. *Id unum* (seditionem) *venenum*, rem perniciosam (cf. c. 52; III, 67, et V, 2 pr.), *eam labem*, perniciem, ruinam, vel eius causam, et malum, quod interitum minetur; ut passim *labes*, *lues*, *pestis* (v. c. XXIII, 48, n. 6; XXXV, 27; XXXVIII, 21, n. 5), *pernicies*, ὄλεθρος, πῆμα; quaevis calamitas, vel omne id, quod noxium est et perniciosum, vel, ut *pestis* X, 28 extr. et XXV, 19, n. 10, mortis genus s. pernicies. *Labes* proprie prima compagis solutio, priusquam ruina fiat; unde *haec prima mali labes*, *hoc initium impendentis ruinae fuit* apud Iustin. XVII, 1; *labes terrae et ruinarum* inf. XLII, 15, n. 5, et Iustin. XXX, 4.

6. *Diu sustentatum*, inhibitum, retardatum, dilatum, *id malum*, seditionem. Sic et *sustinere* pro retinere, coërcere, reprimere, vel morari et differre (v. c. 19; III, 5, 65; V, 39 et 45; X, 28, n. 8 al.); tum et sustinere vel retinere aedificium hominemve a lapsu, ruina, interitu (vide ad XXI, 35, n. 10); et hinc fulcire, adiuvare, ut XXVII, 49, n. 2, vel sustentare, alere, ut XXXIX, 9 extr.

7. *Sisti potuisse*, v. ad c. 29, n. 7, ubi de hoc verbo fusius dicitur.

8. *Victis Aequis* etc., conf. c. 43, et ibi n. 3.

» signa deserta, imperatorem in acie relictum, iniussu » in castra reditum. Profecto, si instetur, suo milite » vinci Romam posse. Nihil aliud opus esse, quam » indici ostendique bellum: cetera sua sponte fata et » deos gesturos ». Ea spes Etruscos armaverat, multis in vicem casibus victos victoresque.

XLV. Consules quoque romani nihil praeterea aliud quam suas vires, sua arma, horrebant: memoria pessimi [1] proximo bello exempli terrebat, ne rem [2] committerent eo, ubi duae simul acies timendae essent. Itaque castris se tenebant, tam ancipiti [3] periculo aversi: diem tempusque forsitan ipsum leniturum iras, sanitatemque animis allaturum. Veiens hostis Etruscique eo magis praepropere [4] agere; lacessere ad pugnam, primo obequitando castris provocandoque; postremo, ut nihil movebant, qua consules ipsos, qua exercitum increpando: *simulationem* [5] *intestinae di-*

CAP. XLV. 1. *Pessimi proximo bello exempli*, cf. c. 43.

2. *Ne rem committerent eo*, in pugnam eiusque eventum. *Duae acies*, civium hostiumque.

3. *Ancipiti*, geminu, *periculo*, quod a civibus hostibusque erat, *aversi*, retenti, alieni a pugna. Cf. ad I, 25, n. 4, et II, 20, n. 1. Ita vero delendum videtur τὸ *tam*, vel leg. *se tenebant primum*.

4. *Praepropere agere*, nimis festinanter et temere: unde *temeritas ac praeproperum*, praeceps, *ingenium* XXII, 41; XXVII, 33. Mox *qua ..... qua*, v. ad c. 35, n. 3.

5. *Simulationem intestinae discordiae timori praetendi*, et *timoris remedium*, praetextum, *inventum*, excogitatum, confictum esse; prop. *inventam* (sed partic. posteriori voci et praedicatu accommodari solet); illam fingi, ut ita timor occultetur: *et consules magis non confidere suis militibus*, eorum virtuti, *quam non credere* eorum fidei, magis dubitare ac desperare de illorum virtute et viribus, quam voluntate, fide et benevolentia. Minus apta videtur explicatio Nannii Misc. V, 20: consules potius non confidere voluntati militum, quos alienos a se putent aversosque, quam de viribus illorum desperare; eos credere, milites suos posse vincere, sed, velle eos vincere, non confidere. Hanc tamen verborum sententiam probant Drak. et Ernest. Sed ille ad ea ex praeced. subintelligit *simulationem*, hoc modo: simulationem intestinae discordiae, et simulationem consules magis non confidere, quam non credere suis militibus, remedium timoris inventum.

scordiae remedium timoris inventum: et consules magis non confidere, quam non credere suis militibus. Novum seditionis genus, silentium otiumque inter armatos: ad haec[6] in novitatem generis originisque, qua falsa, qua vera iacere. Haec, quum sub ipso vallo portisque streperent, haud aegre consules pati: at imperitae multitudinis nunc indignatio, nunc pudor pectora versare, et ab intestinis avertere malis: nolle inultos hostes; nolle[7] successum, non Patribus, non consulibus: externa[8] et domestica odia certare in animis. Tandem superant externa; adeo superbe insolenterque hostis eludebat: frequentes in praetorium conveniunt, poscunt pugnam, postulant ut signum detur. Consules, velut deliberabundi, capita[9] conferunt, diu colloquuntur; pugnare cupiebant; sed retro[10] revocanda et abdenda cupiditas erat, ut adversando

6. *Ad haec*, praeterea (vide ad II, 23, n. 3), *in novitatem generis originisque* Romanorum, *quo falsa, quo vera* (vide ad cap. 35, n. 3) *iacere:* nam *ioci* propr. dicuntur tela vel missilia, et hinc quoque alia, quibus aliquis quasi vulneratur, h. e. laeditur. Similiter XXVIII, 9, n. 1, *carmine iactare in aliquem*, et infra *probra ingerere et iacere.* — Mox *multitudini* in edd. antt. non male: sed *multitudinis* in plurimis MSS. — *Pectora versare*, animos vexare, s. agitare, afficere, impellere, commovere. Cf. ad XXI, 30, n. 2; XXII, 25, n. 15, XXV, 3, n. 13.

7. *Nolle successum Patribus*, ut iis res prospere succedat, *nolle .... non ... non ...* negative dicitur, pro *nolle Patribus, nolle consulibus successum.* Sic saepe, ut apud Graecos, negatio redundat, aut gemina non affirmat, v. c. I, 3, n. 2, et III, 54, n. 2, *haud nihil*; III, 11, *nemo non lingua, non manu promptior*; III, 26, *nihil nec tam inopinatum, nec tam insperatum*; XXVI, 27, n. 7, *Flaccus sibi simultatem cum Campanis negare nullam esse*, ubi *ullam* in edd. ante Drak. Conf. I, 26, 36, 46; IV, 37, 38; XXIV, 8; XXXII, 26 extr. XXXV, 48; XXXIX, 47; Drak. ad III, 26, n. 5, et XLIII, 13 pr. (ubi itaque Gronovius frustra emend. *ullo prodigia*); Cort. ad Sall. Iug. 13, 5; Duk. infr. ad XXI, 22, n. 1; XLIII, 13, n. 1.

8. *Externa et domestica odia*, v. ad cap. 39, n. 7. — *Hostis eludebat*, vide ad I, 36, n. 4.

9. *Capita conferunt*, clanculum deliberabundi.

10. *Retro revocanda*, cohibenda, reprimenda. *Retro* παρέλκει, ut in *retro redire, repetere, remittere, referre, respicere.* Sic et XXXI, 32,

remorandoque incitato semel militi adderent impetum. Redditur responsum, immaturam rem agi, nondum tempus pugnae esse: castris se tenerent. Edicunt inde, ut abstineant pugna: si quis iniussu pugnaverit, ut in hostem [11] animadversuros. Ita dimissis, quo [12] minus consules velle credunt, crescit ardor pugnandi. Accedunt insuper hostes ferocius multo, ut statuisse non pugnare consules cognitum est; quippe [13] impune se insultaturos; non credi militi arma: rem ad ultimum seditionis erupturam, finemque venisse romano imperio. His freti occursant portis, ingerunt probra, aegre abstinent, quin castra oppugnent. Enim vero non ultra contumeliam pati romanus posse; totis castris undique ad consules curritur; non iam sensim, ut ante, per centurionum [14] principes postulant, sed passim omnes clamoribus agunt. Matura res erat;

n. 1; XXXIII, 31, n. 1; *iterum instaurare* XXVII, 37, n. 3; *rursus remitti* XLII, 47, n. 4; *praeter praevehi* s. praetervehi XXIV, 44, n. 7 (nisi del. *praeter*, vel leg. *provectus* seu *pervectus*, scil. ad filium); *utrinque anceps* XXX, 33 extr. *crebro factitare* apud Tacit. Ann. XIV, 52, 4; conf. ad IX, 2, n. 5 et 6; IX, 23, n. 1; XXVI, 39, n. 8.

11. *Vt in hostem animadversuros*, sc. in eum consules.

12. *Quo minus consules* pugnare *velle credunt* dimissi milites, eo magis *crescit ardor pugnandi*, ut *quo minus timoris* ... eo *maiorem metum* XXVI, 20; *quo plures erant*, eo *maior caedes fuit* inf. c. 51, et contra *quo magis* ... eo *breviore spatio* infr. c. 50. Cf. ad I, 25, n. 11; I, 40, n. 1; XXII, 43, n. 2; XXIII, 15, n. 5; XXV, 36, n. 10; XXV, 39, n. 4; XXXI, 31, n. 9.

13. *Quippe impune se insultaturos*, supple *rati*, quod quidem additur in quibusdam MSS. Sed vide ad c. 32, n. 6. — Verbum *rati* non legitur in codice Paris., sed facile, ut alia eiusdem modi, suppleri potest. Lem. —*His* cogitationibus s. sententiis *freti* etc. — *Enim vero*, vide ad I, 51, n. 5.

14. *Per centurionum principes*, qui et vocantur *principes ordinum*, vel *centuriones primorum ordinum*, vel simpl. *primi ordines*, i. e. primi centuriones hastatorum, principum et triariorum cuiusque legionis; Drak. Cf. ad XXX, 4, n. 1, et Lips. de Mil. Rom. II, 8. — *Clamoribus agunt*, vid. ad c. 2, n. 10. — *Tergiversantur tamen*, sc. consules. In MS. Veith. *tergiversatur tamen Fabius. Deinde* etc.

tergiversantur tamen. Fabius deinde, ad crescentem [15] tumultu iam metum seditionis collega concedente, quum silentium classico fecisset: *Ego istos, Cn. Manli, posse vincere scio; velle ne scirem, ipsi fecerunt. Itaque certum atque decretum est, non dare signum, nisi victores se redituros ex hac pugna iurant. Consulem romanum miles semel in acie fefellit;* [16] *deos nunquam fallet.* Centurio erat M. Flavoleius, inter primores pugnae flagitator. *Victor*, inquit, *M. Fabi, revertar ex acie.* Si fallat, Iovem patrem, Gradivumque Martem, aliosque iratos invocat deos. Idem [17] deinceps omnis exercitus in se quisque iurat. Iuratis datur signum, arma capiunt; eunt in pugnam, irarum speique pleni. Nunc iubent Etruscos probra iacere, nunc armatis sibi quisque lingua promptum hostem offerri. Omnium illo die, qua plebis, qua Patrum, eximia virtus fuit. Fabium [18] nomen, Fabia gens maxime enituit: multis civilibus certaminibus infensos plebis animos illa pugna sibi reconciliare statuunt. Instruitur acies: nec veiens hostis etruscaeque legiones detrectant.

XLVI. Prope certa [1] spes erat, non magis secum pugnaturos, quam pugnaverint cum Aequis: maius quoque aliquod, in tam irritatis animis et occasione ancipiti [2], haud desperandum esse facinus. Res aliter

15. *Ad*, ob, *crescentem* (vid. ad I, 7, n. 7) *metum collega concedente*, ut signum detur pugnadi. — *Istos* milites nostros. Δειχτιχῶς dixit.

16. *Deos nunquam fallet*, periurii vindices. — *Si fallat* deos, periurus fit. *Si fallam ... invoco* quidam MSS. — *Iratos deos* ubique in iureiurando sibi aliisque adprecabantur, nisi dictis starent et fidem solverent, vel si quos exsecrarentur; Drak. coll. V, 11 et al.

17. *Idem ... in se*, in suum caput, *quisque iurat*, optantes sibi iram deorum, si fallant.

18. *Fabium nomen, Fabia gens:* verba *Fabia gens* glossatoris manum sapiunt; Schaef.

Cap. XLVI. 1. *Prope certa spes erat* Veientibus et Etruscis ... *quam pugnaverint cum Aequis*, vid. c. 43.

2. *Ancipiti occasione*, ubi duces patriciique expositi essent *ancipiti periculo*, de quo vid. ad c. 45, n. 3.

longe evenit; nam non alio ante bello infestior Romanus, adeo hinc contumeliis hostes, hinc consules mora exacerbaverant, proelium iniit. Vix explicandi ordinis [3] spatium Etruscis fuit, quum pilis inter primam trepidationem abiectis temere magis, quam emissis, pugna [4] iam in manus, iam ad gladios, ubi Mars est atrocissimus, venerat. Inter primores genus Fabium insigne spectaculo exemploque civibus erat: ex his Q. Fabium (tertio hic anno ante consul fuerat), principem in confertos Veientes euntem, ferox viribus et armorum arte Tuscus, incautum inter multas versantem hostium manus, gladio per pectus transfigit: telo extracto, praeceps [5] Fabius in vulnus abiit. Sensit utraque acies unius viri casum, cedebatque inde Romanus: quum M. Fabius consul transiluit iacentis corpus, obiectaque parma, *Hoc iurastis*, inquit, *milites, fugientes vos in castra redituros? adeo ignavissimos hostes magis timetis, quam Iovem Martemque, per quos iurastis? At ego iniuratus aut victor revertar, aut prope te hic, Q. Fabi, dimicans cadam.* Consuli tum C. Fabius prioris anni consul, *Verbisne istis, frater, ut pugnent te impetraturum credis? Dii impetrabunt, per quos iuravere. Et nos, ut decet proceres, ut Fabio nomine est dignum, pugnando potius quam adhortando accendamus militum animos.* Sic in [6] primum infestis hastis provolant duo Fabii, totamque moverunt secum aciem.

3. *Explicandi ordines spatium* recte, opinor, emend. Gron. — *Temere*, caeco casu, unde *temeraria* XXIV, 48, n. 5, quae temere, *forte* fiunt. Conf. ad II, 31, n. 3, et XXI, 5, n. 10.

4. *Pugna iam in* (ad, ut gr. εἰς) *manus venerat* MSS. pro vulgat. *ad manus*; v. intpp. ad h. l. et ad Tacit. Annal. I, 80, 7.

5. *Praeceps Fabius in vulnus abiit*, vide ad I, 58, n. 6.

6. *Sic in primum infestis hastis provolant*, vide ad I, 13, n. 2, et II, 20, n. 3.

XLVII. Proelio ex parte una restituto, nihilo segnius in altero cornu Cn. Manlius[1] consul pugnam ciebat: ubi prope similis fortuna est versata. Nam ut altero in cornu Q. Fabium, sic in hoc ipsum consulem Manlium, iam velut fusos agentem hostes, et impigre milites sequuti sunt, et, ut ille gravi vulnere ictus ex acie cessit, interfectum rati, gradum retulere: cessissentque loco, ni consul alter cum aliquot turmis equitum in eam partem citato equo advectus, vivere clamitans collegam, se victorem fuso altero cornu adesse, rem inclinatam sustinuisset. Manlius quoque ad restituendam aciem se ipse coram offert. Duorum consulum cognita ora accendunt militum animos: simul et vanior[2] iam erat hostium acies, dum, abundante multitudine freti, subtracta subsidia mittunt ad castra oppugnanda. In quae haud magno certamine impetu facto, dum praedae magis quam pugnae memores terunt tempus; triarii romani, qui primam irruptionem sustinere non potuerant, missis ad consules nuntiis quo loco res essent, conglobati ad praetorium redeunt, et sua sponte ipsi proelium renovant: et Manlius consul revectus in castra, ad omnes portas milite opposito, hostibus viam clauserat. Ea desperatio Tuscis rabiem magis quam audaciam accendit: nam quum incursantes, quacumque exitum

Cap. XLVII. 1. *Manlius consul pugnam ciebat*, vid. ad II, 12, n. 2. — *Gravi vulnere ictus*, ut infra *mortifero vulnere ictus*; vide ad XXII, 5, n. 3. — *Citato equo advectus*. Gebh. cod. *adductus*: haec verba saepe permutantur; sed nihil mutandum: Cic. Divin. I, 28, *equo advectus ad fluminis ripam*. Lem.

2. *Simul et vanior iam erat hostium acies*, magnam habebat speciem, parum autem firmitatis, vel magnum implebat spatium, atque ad utrumque latus longe extendebatur, sed minime densa erat; Struth. *Rarior* malebant Periz. et Drak. — *Subsidia*, vide ad c. 20, n. 2. De *triariis* vid. VIII, 8. *Missis ad consules nuntiis* etc., v. ad VIII, 19, n. 10. — *Quo loco res essent*, i. e. quales. Cf. ad II, 17, n. 2; III, 68, n. 1, et Drak. ad h. l.

ostenderet spes, vano aliquoties impetu issent, globus iuvenum unus in ipsum consulem insignem armis invadit. Prima excepta a circumstantibus tela: sustineri deinde vis nequit. Consul mortifero vulnere ictus cadit, fusique circa omnes. Tuscis crescit audacia: Romanos terror per tota castra trepidos agit: et ad extrema ventum foret, ni legati, rapto consulis corpore, patefecissent una porta hostibus viam. Ea erumpunt; consternatoque agmine [3] abeuntes in victorem alterum incidunt consulem; ibi iterum caesi fusique passim: victoria egregia parta, tristis tamen duobus tam claris funeribus. Itaque consul, decernente senatu triumphum, *si exercitus sine imperatore triumphare possit, pro eximia eo bello opera facile passurum,* respondit; *se, familia* [4] *funesta Q. Fabii fratris morte, republica ex parte orba consule altero amisso, publico privatoque deformem luctu lauream non accepturum.* Omni acto triumpho depositus triumphus clarior fuit: adeo spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit! Funera deinde duo deinceps collegae fratrisque ducit [5]: idem in utroque laudator [6],

3. *Consternato agmine*, attonito et quasi mente capto, feroci et furente; unde *sanos etiam consternare animos* VIII, 27, et *consternatio muliebris*, furor seditio XXXIV, 2. Proprie dicitur de terrore subito attonitis, ut XXXVII, 41; XXXVIII, 17; et de terrore et impetu vel furore, quo *ad arma, in fugam* etc., concitamur, ut VII, 42, n. 2, *multitudinem ad arma consternatam esse*, h. e. quae territa metu periculi, arma capiat.

4. *Familia funesta*, vid. ad c. 8, n. 8. — *Depositus triumphus*, oblatus quidem, sed repudiatus. — *In tempore*, tempore opportuno, ἐν καιρῷ, ut VIII, 17; XXII, 25; XXIII, 40; XXV, 30 pr. XXIX, 34; XXXIII, 5, 19. Sic et *tempore* (X, 14, 11) tempestive, opportune, τῷ καιρῷ. Conf. ad Sil. XI, 8, et Drak. inf. ad VIII, 7, n. 5.

5. *Funera...ducit*, ut *funera continuata*, I, 46. Conf. ad I, 21, n. 8.

6. *Idem in utroque* funere *laudator*, in laudes utriusque habuit orationem funebrem; quae inde *laudatio funebris* s. *mortuorum* dicta. Oratio illa in laudem hominis, de republica optime meriti, et illustris funeris, in forum delati, a filio aut propinquo pro rostris habebatur; nonnunquam

quum concedendo illis suas laudes, ipse maximam partem earum ferret: neque immemor eius quod initio [7] consulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis, saucios milites curandos dividit Patribus. Fabiis plurimi dati: (nec alibi maiore cura habiti. Inde populares iam esse Fabii: nec hoc ulla, nisi salubri reipublicae, arte.

XLVIII. Igitur non patrum magis quam plebis studiis C. Fabius cum T. Virginio consul factus, neque bella, neque delectus, neque ullam aliam priorem curam agere, quam ut, iam aliqua ex parte inchoata concordiae spe, primo quoque tempore cum Patribus coalescerent animi plebis. Itaque principio anni censuit, priusquam quisquam agrariae legis auctor tribunus exsisteret, occuparent [1] Patres ipsi suum munus

et ab amico aliquo, et tam diserto, tum claro viro (vid. Polyb. VI, 53; Suet. Tib. VI; Plin. Ep. II, 1), vel, ut apud Graecos (vid. Cic. Leg. II, 26), ab eo, cui senatus id negotium mandaverat. (Quintil. III, 7, 2). In Graecia hi λόγοι ἐπιτάφιοι non nisi in honorem fortissimorum bellatorum, et in Ceramico ad sepulcra eorum haberi solebant. (Vid. Thucydides II, 35 sq.; Diodor. XI, 33; Plato in Menex. p. 275 ed. Bip.) Originem huius moris Soloni tribuit Plutarch. Poplic. 9 et 53, et Graecis Dionys. IV, 40; IX, 54, qui tamen V, 17, eum a Romanis priusquam a Graecis receptum dicit. Institutum autem illud initio praeclarum fuit, et non modo ad bonos cives et merita eorum honoranda, sed etiam aemulationem amoremque patriae excitandum plurimum valuit. (Vide Polyb. VI, 51). Sed utilitas eius imminuta est, ex quo honor ille vulgari indiguisque etiam tribui, et mortui non veris, sed adulatoriis laudibus praedicari coeperunt: quo etiam historia mendosior facta; vid. VIII, 40; XXII, 31, et Cic. Brut. 16; conf. ad Tacit. Ann. III, 5, 4; Rami diss. de sermonibus funebr. Copenh. 1793; Doëriog. de laudationibus funebr. Gothae 1803; Kirchmann. de funer. Rom. II, 18; Periz. anim. hist. c. 6, pag. 207, et Spanhem. de pr. et usu num. X, p. 8. Ceterum Dionys. lib. IX, p. 570, tradit, Fabium duobus mensibus ante annum magistratus exactum, consulatu se abdicasse, quod gravi vulnere ictus munia consularia obire non posset.; Drak.

7. *Quod initio consulatus imbiberat* animo, induxerat in animum, vel firmiter statutum habuerat cum animo ac deliberatum; ut apud Cic. Quint. 6. — *Saucios milites curandos* etc. Conf. ad Tacit. Ann. IV, 63 extr.

Cap. XLVIII. 1. *Occuparent Pa-*

facere: captivum agrum plebi quam maxime aequaliter darent: verum [2] esse habere eos, quorum sanguine ac sudore partus sit. Aspernati Patres sunt: questi quoque quidam, nimia gloria [3] luxuriare et evanescere vividum quondam illud Caesonis ingenium. Nullae deinde urbanae factiones fuere. Vexabantur incursionibus Aequorum Latini: eo cum exercitu Caeso missus, in ipsorum Aequorum agrum depopulandum transit. Aequi se in oppida receperunt, murisque se tenebant: eo nulla pugna [4] memorabilis fuit; at a veiente hoste clades accepta temeritate alterius consulis: actumque de exercitu foret, ni C. Fabius in tempore subsidio venisset. Ex eo tempore neque pax, neque bellum cum Veientibus fuit; res proxime [5] formam latrocinii venerat. Legionibus romanis cedebant[6] in urbem: ubi abductas senserant legiones, agros incursabant; bellum quiete, quietem bello in vicem eludentes. Ita neque omitti tota res, nec perfici poterat; et alia bella [7] aut praesentia instabant, ut ab Aequis Volscisque, non diutius quam recens dolor proximae cladis transiret, quiescentibus: aut

tres ipsi suum munus facere, vid. ad I, 14, n. 3, et I, 54, n. 4.

2. *Verum esse*, h. e. iustum, seu aequum (quod in multis libris legitur ex interpr.), ut III, 40; XXIII, 11; XXXII, 33; XXXV, 8; XXXIX, 27; XL, 16. Cf. Drak. ad h. l.

3. *Nimia gloria luxuriare*, vid. ad c. 21, n. 4; *evanescere vividum ingenium*, vim suam perdere, ut *vis loci*, et *vinum evanescit vetustate* apud Cic. Div. II, 57. Contra *vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque integris sensibus* infr. 6, 22.

4. *Eo nulla pugna memorabilis fuit*, vid. ad I, 11, n. 5. — *In tempore*, vid. ad c. 47, n. 4.

5. *Res proxime* (sc. ad) *formam ... venerat*, ut VI, 42, n. 6, et XXVI, 48, n. 3. Saepe autem *proxime*, *proximus*, *prope* et *propius* cum quarto casu iunguntur; vide Gron. ad VIII, 32; XXI, 22, 40, et Obss. III, 2.

6. *Legionibus romanis cedebant*, accedentibus decedebant, et *cedebant*, recedebant, *in urbem*. — *Eludentes*, declinantes, propr. ictum.

7. *Alia bella praesentia instabant*, vid. ad III, 6, n. 5; V, 15, n. 5, et XXXVI, 10, n. 6.

mox moturos se apparebat Sabinos semper infestos, Etruriamque omnem; sed veiens hostis, assiduus magis quam gravis, contumeliis saepius quam periculo animos agitabat: quod nullo tempore negligi poterat, aut averti alio [8] sinebat. Tum Fabia gens senatum adiit; consul pro gente loquitur: *Assiduo magis quam magno praesidio, ut scitis, Patres conscripti, bellum veiens eget. Vos alia bella curate: Fabios hostes Veientibus date: auctores sumus, tutam ibi maiestatem romani nominis fore: nostrum id nobis velut familiare bellum, privato sumptu gerere in animo est. Respublica et milite illic, et pecunia vacet.* Gratiae ingentes actae: consul e curia egressus comitante Fabiorum agmine, qui in vestibulo curiae senatusconsultum exspectantes steterant, domum rediit. Iussi armati postero die ad limen consulis adesse, domos inde discedunt.

XLIX. Manat tota urbe rumor: Fabios ad caelum laudibus ferunt: « Familiam [1] unam, subisse civitatis » onus: veiens bellum in privatam curam, in privata » arma versum: si sint duae roboris eiusdem in urbe » gentes, deposcant, haec Volscos sibi, illa Aequos; » populo romano tranquillam pacem agente, omnes fi- » nitimos subigi populos posse ». Fabii postero die arma capiunt: quo iussi erant, conveniunt. Consul paludatus egrediens, in vestibulo gentem omnem suam instructo agmine videt: acceptus in medium, signa

8. *Averti alio* Romanos eorumque cogitationes ab eo. Conf. ad VI, 23, n. 4. — *Auctores sumus*, spondemus. — *Familiare bellum*, privatum gentis Fabiae. — *Vacet*, non opus habet.

Cap. XLIX. 1. *Familiam unam*, gentem; unde et mox dicitur: *Si sint duae... gentes*, scil. praeterea,... *deposcant, haec Volscos sibi, illa Aequos*, desumant sibi bello petendos: quod *deposcere* in re gladiatoria proprie dicitur; Ern. Conf. ad XXII, 28, n. 4. — *Paludatus*, indutus paludamento s. chlamyde imperatoris. Cf. ad. I, 26, n. 1.

ferri [2] iubet. Nunquam exercitus, neque minor numero, neque clarior fama et admiratione hominum per urbem incessit. Sex et trecenti milites, omnes [3] patricii, omnes unius gentis, quorum neminem ducem sperneret egregius [4] quibuslibet temporibus senatus, ibant, unius familiae viribus veienti populo pestem minitantes. Sequebatur [5] turba, propria alia

2. *Signa ferri iubet*, ex Vrbe efferri.

3. *Sex et trecenti milites, omnes patricii, omnes unius gentis* etc., quibus ab aliis quatuor vel adeo quinque *cognatorum sodaliumque* vel clientum millia adduntur. Conf. Ovid. Fast. II, 193-242. Hanc de Fabiis narrationem fabulosam esse, iam docuere Dionys. IX, 5, 22, et Perizon. Animadv. Hist. c. 5. Ille monet, minime videri verisimile, a tot Fabiis non nisi unicum filium Romae relictum (vid. infr. cap. 50 extr.); hanc vero opinionem inde forte natam esse, quod praeter eum nullus alius deinde fuerit gloriae laude illustris, aut ad honores pervenerit. Hic contra censet, re vera 306 viros ad illud bellum profectos esse, non autem plures, neque hos ipsos omnes unius gentis, sed longe maximam partem huius gentis clientes (tuue enim temporis, senatu a Tarquinio XXX annis ante caedibus exhausto, non fuisse multo plures trecentis patricios virili aetate), atque ita vere unum Fabiae gentis, vel certe trium consularium fratrum impuberem filium, vel forte etiam totius gentis paulo plures, sed quorum unus tantum ad virilem aetatem pervenerit, Romae relictos (nam omnes Fabios, proximis temporibus in annalibus et fastis memoratos, vere ab hoc uno Marcii filio, Q. Fabio Vibulano, videri ortos, quum deinceps proximi patrem Quintum et avum Marcum, remotiores vero avum Quintum illum habuisse istic legantur, et praeterea, si plures superfuissent tunc ex illa gente, haud dubie et illorum, si non omnibus, vel plerisque, saltem quibusdam etiam aliis horumve posteris proximis summus honor fuisset a populo delatus, propter recentissimam gentis gloriam); dictos antem omnes, qui ad id bellum exierint, vulgo *Fabios*, quia non modo illi duces fuerint at auctores expeditionis, sed et in se suamque gentem proprie receperint illud bellum, ac per se et suae gentis clientelas gesserint. Ceterum minus mirum videri debet, Fabium illum, suae gentis superstitem et impuberem, iam decennio post consulem factum esse; vid. III, 1: leges forte annales tum erant nondum latae, aut Fabius erat dignus qui iis solveretur, ut alii. Conf. ad XXV, 2, n. 4.

4. *Egregius senatus*, egregiis viris constans: nisi leg. *exercitus* pro *senatus*. — Multo magis placeret *exercitus*, quod Tan. Fabro et Doniatio visum; Ovidius, Fast. II, 200, de his Fabiis loquens: *E quis dux fieri quilibet aptus erat*. Lem. — *Temporibus quibuslibet*, omnibus; quocumque ille tempore fuerit, sit et futurus sit.

5. *Sequebatur turba*, *alia cognatorum sodaliumque*, *propria sollicitudine*, *alia publica excitata* etc.

cognatorum sodaliumque, nihil [6] medium, nec spem, nec curam, sed immensa omnia volventium animo; alia publica sollicitudine excitata, favore et admiratione stupens; *ire fortes, ire felices* iubent, *inceptis eventus pares reddere: consulatus inde ac triumphos, omnia praemia ab se, omnes honores sperare.* Praetereuntibus Capitolium arcemque et alia templa, quidquid deorum oculis, quidquid animo occurrit, precantur, ut illud agmen faustum atque felix mittant; sospites brevi in patriam [7] ad parentes restituant. Incassum missae preces: infelici [8] via dextro Iano portae Carmentalis profecti, ad Cremeram flumen perveniunt: is opportunus visus locus communiendo praesidio. L. Aemilius inde, et C. Servilius consules facti. Et donec [9] nihil aliud quam in populationibus res fuit, non ad praesidium modo tutandum Fabii satis erant, sed tota regione qua tuscus ager romano adiacet, sua tuta omnia, infesta [10] hostium, vagantes per utrumque finem, fecere. Intervallum deinde haud magnum populationibus fuit: dum et Veientes, accito ex Etruria exercitu, praesidium Cremerae oppugnant, et romanae legiones ab L. Aemilio consule adductae cominus cum

6. *Nihil medium*, mediocre, exiguum, leve, parvum, ut *nec spem, nec curam mediocrem, sed immensa omnia* XXX, 33, n. 7; *media bella* V, 37, et *gratia* VI, 14 extr.

7. *In patriam ad parentes restituant*, vid. ad cap. 13, n. 4. — *Incassum*, vid. Wakefield. ad Lucret. II, 1164.

8. *Infelici via*, quae ab eventu huius belli ita demum dicta est, ut et *via* ac *porta scelerata*. — *Dextro Iano*, per dextr. Ianum, sc. transitum; nam transitiones perviae Iani nominantur. Cic. Nat. Deor. II, 27. Conf. inf. ad VIII, 15, n. 6; XLI, 27, n. 14; Duk. et Drak.

9. *Donec nihil aliud quam*, tantummodo (vid. ad c. 8, n. 9), in *populationibus res fuit*, expeditio versabatur. — *Satis erant*, sufficiebant.

10. *Infesta*, intuta, *hostium* omnia loca *fecere*. Cf. ad I, 7, n. 7. — *Per utrumque finem*, per utriusque populi fines. Ita passim *finis* in sing. dicitur pro *finibus* s. terminis, v. c. IV, 58; IX, 6; X, 35; XXXIII, 37; XXXV, 27; XXXVIII, 15; XL, 16. Cf. ad Tacit. Ann. XVI, 15, 1.

Etruscis dimicant acie. Quamquam vix dirigendi aciem spatium Veientibus fuit: adeo inter primam trepidationem, dum post signa ordines introëunt, subsidiaque locant, invecta subito ab latere romana [11] equitum ala, non pugnae modo incipiendae, sed consistendi ademit locum. Ita fusi retro ad saxa [12] Rubra, ibi castra habebant, pacem supplices petunt: cuius impetratae, ab insita [13] animis levitate, ante deductum Cremera romanum praesidium, poenituit.

L. Rursus cum Fabiis erat veienti populo sine ullo [1] maioris belli apparatu certamen: nec erant incursiones modo in agros, aut subiti impetus incursantium, sed aliquoties aequo campo collatisque signis certatum; gensque una populi romani saepe ex opulentissima, ut tum res erant, etrusca civitate victoriam tulit. Id primo acerbum indignumque Veientibus visum: inde consilium [2] ex re natum, insidiis ferocem hostem captandi: gaudere etiam, multo successu Fabiis audaciam crescere. Itaque et pecora praedantibus aliquoties, velut casu incidissent, obviam acta: et agrestium fuga vasti relicti agri: et subsidia armatorum ad arcendas populationes missa, saepius simulato quam vero pavore refugerunt. Iamque Fabii adeo contempserant hostem, ut sua invicta arma, neque loco, neque tempore ullo crederent sustineri posse: haec spes [3] provexit, ut ad conspecta procul a Cremera

11. *Romana equitum ala*, vid. ad XXV, 21, n. 4.

12. *Saxa Rubra* oppidulum, non longe a Cremera flumine, et IX mill. a Roma, in via Flaminia.

13. *Ab insita* etc., pro ob insitam etc. — *Ante*, antequam *deductum* esset a *Cremera rom. praesidium*, Fabiorum, ut pace facta Romam redirent.

CAP. L. 1. *Sine ullo maioris belli apparatu*, vid. ad I, 1, n. 6.

2. *Consilium ex re natum*, praesenti rerum conditione suppeditatum.

3. *Haec spes provexit* illos, eo deduxit, vel induxit; ut XL, 14, n. 1, *illo etiam gaudio provehente*, sc. me, h. e. incitante, hilariorem me reddente, vel *provehente*, scilic. lusum,

magno campi intervallo pecora, quamquam rara hostium apparebant arma, decurrerent: et quum improvidi effuso[4] cursu insidias circa ipsum iter locatas superassent, palatique passim vaga, ut fit pavore iniecto, raperent pecora, subito ex insidiis consurgitur; et adversi, et undique hostes erant. Primo clamor circumlatus exterruit; dein tela [5] ab omni parte accidebant; coëuntibusque Etruscis iam continenti agmine armatorum septi, quo magis se hostis inferebat, cogebantur breviore spatio et ipsi orbem [6] colligere: quae res et paucitatem eorum insignem et multitudinem Etruscorum, multiplicatis [7] in arcto ordinibus, faciebat. Tum omissa pugna, quam in omnes partes parem intenderant, in unum locum se omnes inclinant: eo nisi corporibus armisque, rupere [8] cuneo

h. e. augente: quo modo explicare malim, quam *provehente*, scilic. se, conspicuo.

4. *Effuso cursu* (vide ad I, 14, n. 7) *insidias superassent*, praeteriissent. Sic et *superare promontorium* navigando, pro praeternavigare XXV, 27, n. 3; XXX, 39, n. 1; XXXI, 23 pr.

5. *Tela ab omni parte accidebant*, cadebant, v. potius advolabant. Codex Paris. ut multi alii, habet *accedebant*; alterum, quod in duobus tantum legitur, rei et latinitatis natura praeit: Caes. B. G. III, 14: *Ut neque ex inferiore* loco *satis commode tela adiici possent, et missa a Gallis gravius acciderent.* Lem. — *Continenti agmine*, vid. ad I, 29, n. 5. — *Quo magis... breviore*, vid. ad c. 45, n. 12.

6. *Orbem colligere* dicuntur milites, qui ab hostibus undique cincti frontem in omnes faciunt partes et hostibus quaquaversum obvertunt, ut ab omnibus partibus et in omnes pugnent. Sic *in orbem* (facto orbe et in omnes partes) *se tutari et pugnare* IV, 39; XXI, 56, n. 2; XXVIII, 22, 33; *orbem volvere* IV, 28, et XXII, 29, n. 4 (ubi clare dicitur: *qui plures simul terga dederant, conversi in hostem volventesque orbem* etc.); et *turmas volvere* VII, 33, 44; quibus locis alii haec exponunt: glomerare vel convertere aciem hostique terga dare. Similiter fere *errorem volvere* XXVII, 47, n. 8. — *Insignem*, conspicuam, manifestam.

7. *Multiplicatis in arcto* loco (vid. ad V, 38; n. 4) *ordinibus*, brevioribus et hanc ipsam ob causam pluribus hostium ordinibus factis pro angustiis loci, ubi in arctum condensabantur. Contra *explicare ordines* sup. c. 46.

8. *Rupere cuneo viam*, perrupere, cum vi et impetu viam sibi fecere s. iter aperuere; ut rumpere *iter*, *cursum*, *aditus*. *Cuneus* est acies formam trigoni s. literae Δ referens, vel

viam. Duxit via in editum [9] leniter collem: inde primo restitere: mox ut respirandi superior locus spatium dedit, recipiendique a pavore tanto animum, pepulere etiam subeuntes: vincebatque [10] auxilio loci paucitas, ni iugo [11] circummissus veiens in verticem collis evasisset: ita superior rursus hostis factus. Fabii caesi [12] ad unum omnes, praesidiumque expugnatum: trecentos sex perisse satis convenit: unum prope puberem aetate relictum stirpem genti Fabiae, dubiisque rebus populi romani saepe domi bellique vel maximum futurum auxilium.

LI. Quum haec accepta clades esset, iam C. Horatius et T. Menenius consules erant. Menenius adversus Tuscos victoria elatos confestim missus: tum quoque male pugnatum est, et Ianiculum hostes occupavere: obsessaque Vrbs foret, super bellum an-

multitudo peditum, quae iuncta acie primo angustior, deinde latior procedit et adversariorum ordines rumpit, quia a pluribus in unum locum tela mittuntur; Veget. I, 26; III, 19. Conf. infr. XXII, 47.

9. *In editum leniter collem*, paulatim assurgentem, ut *colles placide et leniter acclives* s. *acclivi et declives* XXXVIII, 20, et Caes. Bell. Gall. VI, 19, 29; VII, 19, 83; *lenis clivus* et *lene fastigium* infra VI, 24; XXV, 36; XXIX, 33. Cf. ad XXI, 37, n. 2.

10. *Vincebatque auxilio loci paucitas*, sc. et vicisset utique, vel res effectum habuisset, *ni Veiens... evasisset.* Doctior verborum structura, Tacito frequentissima; vid. ad Tacit. Ann. I, 35, 8, et conf. infra ad IV, 52, n. 4; VI, 21, n. 3; VII, 7, n. 4; XXII, 60, n. 10; XXVIII, 33, n. 2; XXXIV, 29, n. 5; Cort. ad Sallust. Iug. XXVII, 2, et Drak. inf. ad XXXVIII, 2 pr. qui docent, saepe tempus imperf. et indic. et coniunct. modi (ut II, 22, n. 1, et XXX, 42, n. 5) pro plusquamperf. poni; vid. et Ruhnken. ad Vellei. II, 52, et Arntzen. ad Plin. Paneg. 8; *ni evasisset* Bauerus dictum monet pro *sed enim evasit.*

11. *Iugo circummissus*, per iugum montis. Cf. ad XXII, 18, n. 4.

12. *Fabii caesi ad unum omnes ... unum prope puberem* etc., vide ad c. 49, n. 3, et ad Epit. II, n. 3. — *Prope puberem aetate;* non immerito suspicatur Gronovius Livium *prope puberem aetatem* scripsisse, ut I, 35. Lem. — *Dubiisque rebus* etc. vid. ad I, 39, n. 3. Sed forte leg. *dubiis quae rebus... vel maximum fuit et unicum*, vel *fuit nostrum auxilium;* ne haec verba ad *unum* illum spectent.

nona [1] premente, transierant enim Etrusci Tiberim, ni Horatius consul ex Volscis esset revocatus: adeoque id bellum ipsis institit moenibus, ut primo pugnatum ad Spei [2] sit aequo Marte, iterum ad portam Collinam. Ibi quamquam parvo momento superior romana res fuit, meliorem [3] tamen militem, recepto pristino animo, in futura proelia id certamen fecit. A. Virginius et Sp. Servilius consules fiunt. Post acceptam [4] proximam pugnae cladem Veientes abstinuere acie: populationes erant, et velut ab arce Ianiculi passim in romanum agrum impetus [5] dabant: non usquam pecora tuta, non agrestes erant. Capti deinde eadem arte sunt, qua ceperant Fabios: sequuti dedita opera passim ad illecebras propulsa pecora, praecipitavere in insidias: quo [6] plures erant, maior caedes fuit: ex hac clade atrox ira maioris cladis causa atque initium fuit: traiecto enim nocte Tiberi castra Servilii consulis adorti sunt oppugnare: inde fusi magna caede in Ianiculum se aegre recepere. Confestim consul et ipse transit Tiberim, castra sub Ianiculo communit: postero die luce orta, nonnihil et hesterna

CAP. LI. 1. *Annona premente* Vrbem. Cf. ad c. 34, n. 13. Verba *transierant enim E. T.* spectant ad illa: *obsessaque... foret.*

2. *Ad Spei* fanum (vid. ad I, 33, n. 6), forte quod in XIII regione Vrbis erat ad Tiberim; vid. XL, 51. Alia Spei aedes fuit in VIII regione Vrbis extra portam Carmentalem (v. XXIV, 47, et XXV, 7); alia in foro olitorio (vel, quia hoc extra illam portam fuit, eadem) a M. Atilio Calatino, qui consul fuit an. Vrb. cond. 495 et 498, exstructa; vid. XXI, 62; Cic. Legg. II, 11, et Tac. Ann. II, 49. — *Collina porta* in V regione Vrbis ad collem Quirinalem.

3. *Meliorem militem*, fortiorem, *ἀμείνονα, κρείσσονα*, ut VII, 9, et al. Conf. Intp. Hor. Od. I, 15, 28. *Optimi bello* XXXVIII, 15, n. 5.

4. *Post acceptam proximam pugnae cladem*, ut mox *hesterna felicitate pugnae*. Quidam libri habent *proximae*; et Gron. coni. *proxima pugna*. Sed vide ad I, 1, n. 6.

5. *Impetus dabant*, cf. ad I, 25, n. 8. Mox *dedita opera propulsa* iunge. — *Praecipitavere*, sc. se.

6. *Quo plures erant*, *maior* etc., vid. ad c. 45, n. 12.

felicitate pugnae ferox, magis tamen, quod inopia[7] frumenti, quamvis in praecipitia, dum celeriora essent, agebat consilia, temere adverso Ianiculo ad castra hostium aciem erexit, foediusque inde pulsus quam pridie pepulerat, interventu collegae ipse exercitusque eius est servatus: inter duas acies Etrusci, quum in vicem his atque illis terga[8] darent, occidione[9] occisi. Ita oppressum temeritate felici veiens bellum.

LII. Vrbi cum pace laxior[1] etiam annona rediit, et advecto ex Campania frumento, et, postquam timor sibi cuique futurae inopiae abiit, eo quod abditum fuerat, prolato. Ex copia deinde otioque lascivire rursus animi; et pristina mala, postquam foris deerant, domi quaerere: tribuni plebem agitare suo[2] veneno, agraria lege: in resistentes incitare Patres, nec in universos modo, sed in singulos. Q. Considius et T. Genucius, auctores agrariae legis, T. Menenio diem dicunt: invidiae erat amissum Cremerae praesidium, quum haud procul inde stativa consul habuisset: eum oppresserunt[3]. Quum et Patres haud minus

7. *Quod inopia frumenti* eum *agebat in consilia* pugnae, *quamvis*, quantumvis, *praecipitia*, temeraria, periculosa et audacia (vid. ad I, 4, n. 6, et I, 32, n. 13), *dum*, dummodo *celeriora essent*, ut eo citius dira fame liberaretur Vrbs.

8. *Terga darent*, h. l. non fugerent, sed terga obverterent modo huic, modo illi aciei rom. nam *inter duas* erant *acies*. Sic fere *latus* s. *nudum latus dare*. Doër.

9. *Occidione occisi*, penitus, omnes, ut III, 10; IV, 58; IX, 38 et al. *ad internecionem caedi et deleri*; ita *occidione occumbere* Tacit. Annal. XII, 38.

CAP. LII. 1. *Laxior annona rediit*, vide ad c. 34, n. 13.

2. *Suo veneno, agraria lege*, vid. ad c. 44, n. 5. — *Nec modo, sed*, v. ad I, 40, n. 1. — *Mox invidiae erat*, ut deinde *erat crimini*.

3. *Eum oppresserunt*, vid. ad I, 51, n. 1; *eam oppressit* in multis MSS. unde Gron. scite emend. *ea invidia oppressit* Menenium. Vulgo non male post *oppresserunt* minor, et post *exolevisset* maxima distinctio ponitur, et *quum* accipitur pro *quamquam*; nisi ita legendum est: offendit certe nos *quum* ter positum. — *Pro Coriolano*, vid. sup. c. 35.

quam pro Coriolano adnisi essent, et patris[4] Agrippae favor haud dum exolevisset, in mulcta[5] temperarunt tribuni. Quum[6] capitis anquisissent, duo millia aeris damnato mulctam dixerunt: ea[7] in caput vertit. Negant tulisse ignominiam aegritudinemque: inde morbo absumptum esse. Alius deinde reus Sp. Servilius, ut consulatu abiit, C. Nautio et P. Valerio consulibus, initio statim anni ab L. Caedicio et T. Statio tribunis die dicta, non ut Menenius, precibus suis aut Patrum, sed cum multa fiducia innocentiae, gratiaeque tribunitios impetus tulit. Et huic proelium[8] cum Tuscis ad Ianiculum erat crimini: sed fervidi animi vir, ut in publico periculo ante, sic tum in suo, non tribunos modo, sed plebem oratione feroci refutando, exprobrandoque T. Menenii[9] damnationem mortemque,

4. *Patris Agrippae*, de quo vid. c. 32, 33.

5. *In mulcta temperarunt tribuni*, in poena s. puniendo modum s. moderationem adhibuere, ut *in amore temperare* apud Plaut. Epidic. I, 2, 8. Enimvero *mulcta* non, ut *mulctare*, de capitali etiam poena dicitur (minime h. l. propter verba seq. *mulctam dixerunt*), sed de pecuniaria tantum, vel quae eius loco est: nam *mulctare* videtur proprie esse *mulgere* aliquem (ut *emungere*) sc. pecunia, s. pecore, et hinc *damnare*, h. e. *damno* seu iactura afficere, privare; unde *mulcta* est *damnum*, scil. pecuniae s. pecoris etc., vel mulcta pecunia, et hinc poena, sed fere levis tantum, ut XXIV, 16, n. 7, ubi et *nota levior* dicitur. Cf. ad III, 11, n. 3. Dura vero est Strothii interpretatio: eam moderationem adhibuerunt, ut capitis poenam in mulctam mutarent. Hinc Doering. emend. *in ira temperarunt*, vel *in mulctam rem mutarunt*. Forte leg. *simultatem temperarunt*, vel potius *irae multum temperarunt*, ut XXXIII, 3.

6. *Quum capitis anquisissent* (ut *capite* et *pecunia* XXVI, 3) h. e. accusassent, in capitis vocassent iudicium: causa vero *capitis* est res capitalis, in qua caput hominis agitur; vid. ad XXVI, 3, n. 3. *Anquirere* propr. est diligenter quaerere, inquirere, cognitionem habere, v. c. *de perduellione* VI, 20; vid. Otho in Gifan. Obss. L, pag. 32 sq.

7. *Ea* tamen mulcta *in caput* eius *vertit* se, facta ei est causa mortis. Cf. sup. ad cap. 3, n. 2.

8. *Proelium* temerarium *cum Tuscis*, Veientibus, *ad Ianiculum*; vid. cap. 51.

9. *T. Menenii*. . . *cuius patris munere* etc., vid. supr. cap. 32, 33. Mox malim *quibus iam saeviret*, et ad haec verba refero etiam *eas leges*; nisi malis cum Doer. legere *quibus nunc saeviret*, et *eas leges* explicare tam

cuius patris munere restituta quondam plebs, eos ipsos quibus tum saeviret magistratus, eas leges haberet, periculum [10] audacia discussit: iuvit et Virginius collega, testis productus, participando laudes: magis tamen Menenianum, adeo mutaverant [11] animum, profuit iudicium.

LIII. Certamina [1] domi finita. Veiens bellum exortum; quibus Sabini arma coniunxerant. P. Valerius consul, accitis Latinorum Hernicorumque auxiliis, cum exercitu Veios missus, castra sabina, quae pro moenibus sociorum locata erant, confestim aggreditur; tantamque trepidationem iniecit, ut, dum dispersi [2] alii alia manipulatim excurrunt ad arcendam hostium vim, ea porta, cui signa primum intulerat, caperetur: intra vallum deinde caedes magis quam proelium esse: tumultus e castris et in urbem penetrat: tanquam Veiis captis, ita pavidi Veientes ad arma currunt: pars Sabinis eunt subsidio, pars Romanos toto impetu intentos in castra adoriuntur. Paulisper aversi turbatique sunt: deinde et ipsi utroque versis signis resistunt: et eques ab consule immissus Tuscos fundit fugatque: eademque hora duo exercitus, duae potentissimae et maxime finitimae gentes superatae sunt. Dum haec ad Veios geruntur, Volsci Aequique in

exoptatas, quarum favore nunc plebs tantum efficere possit. Cf. ad cap. 29, n. 6.

10. *Periculum discussit*, dispulit, removit. — *Participando*, communicando cum Servilio *laudes*, gloriam relatam ex proelio cum Veientibus, de quo vide cap. 51.

11. *Adeo mutaverant animum* tribuni et plebs, pro mutatus erat eorum animus; ut *dicunt*, *ferunt* etc.

Cap. LIII. 1. *Certamina domi finito*, *veiens* etc., in MS. Veith. et sic uno spiritu legendum coni. Gron. — Codex Paris. dat *Certamina domi finita*, et bene, quia pluraliva voce *certaminum* seditiones designare solet Livius. Lem. — *Quibus*, sc. Veientibus. Conf. ad XXXIII, 24, n. 4.

2. *Dispersi alii alia*, scil. parte s. porta; *dispersi alii*, *alii manipulatim* MS. Veith. — *Intra vallum caedes magis quam proelium esse*, conf. V, 45 pr.

latino agro posuerant castra, populatique fines erant: eos per se ipsi Latini, assumptis Hernicis, sine Romano aut duce, aut auxilio, castris exuerunt: ingenti praeda, praeter suas recuperatas res, potiti sunt. Missus tamen ab Roma consul in Volscos C. Nautius: mos, credo, non placebat, sine romano duce exercituque socios propriis viribus consiliisque bella gerere: nullum genus calamitatis contumeliaeque non editum in Volscos est: nec tamen perpelli potuere, ut acie dimicarent.

LIV. L. Furius inde, et C. Manlius consules. Manlio [1] Veientes provincia evenit: non tamen bellatum: induciae in annos quadraginta petentibus datae, frumentoque stipendioque imperato. Paci externae [2] confestim continuatur discordia domi: agrariae [3] legis tribunitiis stimulis plebs furebat. Consules nihil Menenii damnatione, nihil periculo deterriti Servilii, summa vi resistunt: abeuntes [4] magistratu Cn. Genucius tribunus plebis arripuit. L. Aemilius et Opiter Virginius consulatum ineunt. Vopiscum Iulium pro Virginio in quibusdam annalibus consulem invenio. Hoc anno, quoscumque consules habuit, rei [5] ad populum Furius

CAP. LIV. 1. *Manlio Veientes provincia evenit*, vid. ad cap. 40, n. 8. Sed *A. Manlius*, non *C.* dicebatur. Cf. Dionys. IX, et infr. III, 31, 33.

2. *Paci externae confestim continuatur discordia domi*, illam continuo excepit haec.

3. *Agrariae legis tribunitiis stimulis plebs furebat*, illis concitata est ad seditionem a tribunis. Cf. ad c. 42, n. 6 et 7, et ad VI, 34, n. 5.

4. *Abeuntes magistratu consules Genucius arripuit*, accusavit, ad iudicium populi vocavit (ut III, 58, et *corripere*, de quo vid. ad Tacit. Ann. III, 49, §. 2), et quidem quod agrariae legi repugnassent, et noluissent decemviros creare, qui ex senatusconsulto plebi agros dividerent; vid. Dionys. IX, 38. — *Vopiscum Iulium in quibusdam annalibus* etc., ut in fastis Capit. in tabulis graecis, Dionys. lib. IX, p. 594, et Diod. XI, p. 275. Cf. Pigh. Ann. ad annum 280.

5. *Rei ad populum facti*, apud eum accusati. *Sordidati*, togis sordidis inducti; *sordes* et *squalorem* tam reorum, quam supplicantium lugentiumque, ad miserationem movendam spectare, nota res est. Pro-

et Manlius circumeunt sordidati non plebem magis quam iuniores Patrum; suadent, monent, « honoribus » et administratione reipublicae abstineant; consula- » res vero fasces, praetextam curulemque sellam, » nihil aliud quam pompam funeris putent: claris » insignibus, velut infulis [6], velatos ad mortem de- » stinari. Quod si consulatus tanta dulcedo sit, iam » nunc ita in animum inducant, consulatum captum » et oppressum ab tribunitia potestate esse; consuli, » velut apparitori tribunitio [7], omnia ad nutum im- » periumque tribuni agenda esse. Si se [8] commove- » rit, si respexerit Patres, si aliud quam plebem esse » in republica crediderit; exsilium [9] C. Marcii, Me-

pinqui etiam et amici reorum, quin et magna nonnunquam plebis vel senatus pars, *vestem mutare* solebant, ut II, 61; III, 58; IV, 42; VI, 16, 20; XLIII, 15 al. *Pullo* (sc. vestimento) *amictus Perseus* supplex XLV, 7, n. 4. Conf. Schweigh. ad Appian. Syr. 40.

6. *Infulis* s. velamentis laneis, vitta nivea alligatis, *velari* et cingi solebant cornua victimarum, *ad mortem destinatarum*; vid. Vossius ad Virg. Georg. III, 487. Insignia etiam supplicum mortemque deprecantium sunt laneae *infulae* s. *vittae* et *velamenta* ac *rami oleae* vel lauri. Cf. ad II, 39, n. 10; XXIV, 30, n. 8; XXV, 25; XXIX, 16; XXX, 36; XXXV, 34; XXXVI, 20; XXXVII, 28; XLIV, 19; XLV, 25 pr. Graecis vocantur στέμματα et θαλλοὶ s. κλάδοι ἱκτήριοι et φυλλάδες ἱκτῆρες, qui *rami* XXIV, 30; XXIX, 16; XXX, 36, *porrigi*, et XLV, 25, *iactari* dicuntur: ul ἱκετηρία a laneis infulis, ramum obvolventibus, εἰρεσιώνη. Ramus ille etiam nunc symbolum supplicum et pacis in insulis australibus, ut et apud Romanos olim *sagmina* et *verbenae*. Conf. ad I, 24, n. 6; Ritter. de fetialibus romanis; Ilgen Opusc. tom. I, pag. 135 sq.; *Bottigers griech. Vasengemählde* tom. I, pl. 2, p. 99. 100. Ritus autem hic ἱκετηρίας, ut verba Heyn. ad Virg. Aen. VIII, 128, mea faciam, ductus a vittis seu infulis laneis, obvolventibus ramum oleagineum, cuius usus erat cum in sacris, tum in lustratione et expiatione: adeoque is, qui praeferebat, ἱκέτης, supplex factus, aut crimen expiare se et culpam deprecari velle symbolice et religiose significabat, aut simpl. per sacra et deos se supplicare testatum faciebat: unde omnino foederis, pacis et legationis symbolum est factum.

7. *Apparitori tribunitio*, vid. ad I, 8, n. 2.

8. *Si se commoverit*, si aliquid molitus fuerit.

9. *Exsilium C. Marcii* (v. II, 35), et *Menenii damnationem* (vid. ad II,

» nenii damnationem et mortem, sibi proponat ante » oculos. » His accensi vocibus Patres, consilia [10] inde non publica, sed in privato, seductaque a plurium conscientia, habere: ubi quum id modo constaret, iure an iniuria eripiendos [11] esse reos, atrocissima quaeque maxime placebat sententia: nec auctor quamvis audaci facinori deerat. Igitur iudicii die, quum plebs [12] in foro erecta exspectatione staret, mirari [13] primo quod non descenderet tribunus: deinde quum iam mora suspectior fieret, deterritum a primoribus credere, et desertam ac proditam causam publicam queri. Tandem, qui obversati [14] vestibulo tribuni fuerant, nuntiant domi mortuum esse inventum. Quod ubi in totam concionem pertulit rumor, sicut acies funditur duce occiso, ita dilapsi passim alii alio. Praecipuus pavor tribunos invaserat, quam

52) tanquam poenas sibi quoque timendas.

10. *Consilia* (v. ad I, 54, n. 1) *inde non publica* (MS. Veith. *in publico*) *habere, sed in privato*, vid. ad II, 24, n. 6.

11. *Eripiendos esse reos*, quocumque modo, *iure an iniuria*; immo *aut iniuria*, ut legitur in MS. Veith. — Mox *quamvis*, ut I, 4, ubi v. n. 6. *Auctor*, qui *facinus* hoc exsequeretur.

12. *Plebs erecta*, intenta rei, quae iam ageretur, cum magna *exspectatione*, ut III, 47; XXXIII, 32, n. 3; *erigere aliquem exspectatione* XXXVI, 34, n. 3; *erigere se in spem* III, 1; *erectus in exspectationem* XXI, 20, n. 5. Sic et *suspensus ad exspectationem* XLII, 19, 20, et iunctim *erecti suspensique* I, 25, n. 2.

13. *Mirati primo, quod* (vid. ad XXXIV, 57, n. 3) *non descenderet tribunus*, sc. in forum, quod in parte Vrbis inferiore erat, in valle inter Capitolinum et Palatinum montes; vid. Donat. urb. Rom. II, 16 sq., et Nardinus Rom. vet. V, 2. *Descendere* dicuntur Romani honestiores, quum in forum, curiam, campum (v. c. VII, 18, n. 2; XXIV, 7, n. 8; XXVI, 18, n. 2; XXXIV, 1, n. 5; *in campum* Martium, comitiorum causa) eunt, quod solebant in montibus habitare, qui salubrius habitabantur; ea loca autem in vallibus, inter montes, erant; item in universum, quum in publicum prodeunt: Ernesti clav. Cic. Cf. Drak. ad III, 48 pr.

14. *Obversati vestibulo*, ante vestibulum versati. Conf. ad XXIV, 23, n. 2. — *Acies funditur*, exercitus late se fundit s. dissipat, dispergitur, dilabitur. Cf. ad XLI, 7, n. 3.

nihil auxilii sacratae [15] leges haberent, morte collegae monitos. Nec Patres satis moderate ferre laetitiam: adeoque neminem [16] noxae poenitebat, ut etiam [17] insontes fecisse videri vellent, palamque ferretur, malo domandam tribunitiam potestatem.

LV. Sub hac [1] pessimi exempli victoria delectus edicitur; paventibusque tribunis, sine intercessione ulla, consules rem peragunt. Tum vero irasci plebes tribunorum magis silentio, quam consulum imperio; et dicere, « actum esse de libertate sua: rursus ad » antiqua reditum: cum Genucio una mortuam ac » sepultam tribunitiam potestatem: aliud agendum » ac cogitandum, quomodo resistatur Patribus. Id

15. *Sacratae leges*, vid. ad II, 8, n. 3.

16. *Neminem noxae poenitebat*, pudebat, vel nemini noxa displicebat, ut I, 8 pr. *haud me poenitet sententiae eorum.* Nam *poenitere aliquem* eius rei dicimus, quae ei displicet et quacum non contentus est, aut eius, quae parva est ei quam contemnit, v. c. *poenitere laboris*, *virium*, *virtutis ac fortunae suae* I, 8, n. 8; IV, 58; VIII, 23; IX, 18,34; XXII, 12; XXIII, 3, et aliis locis, ubi etiam *poenitet* simpl. dicitur omisso pronomine, ut XXIII, 12, n. 3; XXVIII, 40, n. 5. Nonnunquam est *fastidire*, et *contemnere* τῷ *poenitere* respondet ut IV, 3.

17. *Ut etiam insontes* caedis *fecisse eam videri vellent.* — *Palamque ferretur*, diceretur, vel indicaretur. Cf. ad IV, 45, n. 5, et IX, 15, n. 3. — *Malo*, scil. facinore et remedio; quoniam alio modo id non liceret.

Cap. LV. 1. *Sub hac victoria*, ea quasi subnixi Patres delectum edicunt; vel statim post illam: nisi tum potius cum Gron. leg. *sub hanc victoriam*, ut VII, 31, n. 3; XXI, 2, n. 1; XXIV, 25, n. 4; XXV, 7 pr. XXVI, 16, n. 1; XXVII, 37 pr. XXIX, 15, n. 3; XXXIII, 37, n. 1; XXXIV, 27, n. 3; XXXV, 31; XXXIX, 21 pr. Sed Livium sine discrimine τῷ *sub* nunc quartum, nunc sextum addidisse casum, et a grammaticis ita potius distingui, ut v. c. *sub adventum* notet paulo ante adventum, instante adventu, *sub adventu* quum iam advenit, post adventum, sed vanam esse hanc distinctionem, et v. c. *sub idem tempus* dici pro *eodem tempore* I, 22; XXXVII, 11, 18; XLII, 17; XLIV, 35; XLV, 25; *sub vocem* et *dicta* pro *post ea* VII, 31; XXXV, 31; *sub lucem*, *sub occasum solis* etc., docet Drak. Sed praepositio *sub* cum sexto casu alibi reperitur: v. c. XLV, 10, *sub adventu Romanorum;* sic et Florus, lib. III, c. 6, *sub ipso hostis recessu.* — *Delectus edicitur*, vid. ad XXI, 63, n. 1, et XXXI, 49, n. 5.

» autem unum consilium esse, ut se ipsa plebs, quando » aliud nihil auxilii habeat, defendat. Quatuor et » viginti lictores [2] apparere consulibus, et eos ipsos » plebis homines: nihil contemptius, neque [3] infir- » mius, si sint qui contemnant: sibi quemque ea » magna atque horrenda facere. » His vocibus alii alios quum incitassent, ad Voleronem Publilium, de plebe hominem, quia, quod [4] ordines duxisset, negaret se militem fieri debere, lictor missus est a consulibus. Volero appellat tribunos. Quum auxilio nemo esset, consules spoliari [5] hominem, et virgas expediri iubent. *Provoco*, inquit, *ad populum*, Volero; *quoniam tribuni civem romanum in conspectu suo virgis caedi malunt, quam ipsi in lecto suo a vobis trucidari.* Quo ferocius clamitabat, eo infestius circumscindere et spoliare lictor. Tum Volero, et praevalens ipse, et adiuvantibus advocatis, repulso lictore, ubi indignantium pro se acerrimus erat clamor, eo se in turbam confertissimam recipit, clamitans: *Provoco, et fidem plebis imploro: adeste cives! adeste commilitones! nihil est, quod exspectetis tribunos, quibus ipsis vestro auxilio opus est.* Concitati homines, veluti ad proelium se expediunt; apparebatque omne discrimen adesse; nihil cuiquam sanctum, non publici fore, non privati iuris. Huic tantae tempestati quum se consules obtulissent, facile experti sunt parum tutam maiestatem sine viribus esse: violatis lictoribus, fascibus fractis, e foro in curiam compelluntur; incerti quatenus Vo-

2. *XXIV lictores apparere consulibus*, ministros esse et apparitores consulum; vid. ad I, 8, n. 2; II, 1, n. 11.

3. *Nihil ... infirmius*, sc. his lictoribus esse.

4. *Quod ordines duxisset*, vid. ad II, 23, n. 4.

5. *Spoliari hominem*, exui, vel nudari corpus a lictoribus, qui vestes *circumscindere* s. undique lacerare solebant; *et virgas expediri*, expromi e fascibus. Conf. VIII, 32.

lero exerceret victoriam. Conticescente deinde tumultu, quum in senatum [6] vocari iussissent, queruntur iniurias suas, vim plebis, Voleronis audaciam. Multis ferociter dictis sententiis, vicere seniores, quibus ira Patrum adversus temeritatem plebis certari non placuit.

LVI. Voleronem[1] amplexa favore plebs, proximis comitiis, tribunum plebi creat in eum annum, qui L. Pinarium, P. Furium consules habuit: contraque omnium opinionem, qui eum vexandis prioris anni consulibus permissurum tribunatum credebant, post publicam causam privato dolore habito, ne verbo quidem violatis consulibus, rogationem tulit ad populum, ut plebeii[2] magistratus tributis comitiis fierent. Haud parva[3] res, sub titulo prima specie mi-

6. *In senatum vocari*, scil. Patres, ut XXIII, 32 pr. XXXVI, 21; et *in concionem vocari*, sc. multitudinem (quae vox praecesserat) XXIV, 27 pr. vel *vocare* et *advocare ad concionem* et *in consilium* IV, 1 extr. XXVI, 48 extr. XLIV, 37, n. 8 et al. In quibusdam libris hoc loco et alibi praepositio *in* omittitur.

Cap. LVI. 1. *Voleronem plebs tribunum pl. creat; contraque omnium opinionem rogationem tulit*, scil. Volero: nam sic passim sententias, in quibus diversum sit subiectum, iungi copula *et* s. *que*, et praeterea a passivo ad activum transiri, vel contra, docet Stroth. Conf. ad III, 38, n. 4; IV, 17, n. 7; XXII, 6, n. 7; XXII, 20, n. 8; XXIII, 8, n. 4; XXIII, 18, n. 4; XXIV, 21 extr. XXIV, 25 extr. XXIX, 32, n. 2; in pr. ad XXV, 35, n. 3, et XXXVII, 20, n. 4. — XXXIII, 36, n. 3; XXXVI, 31, n. 4; XLI, 25. — *Eum permissurum tribunatum*, hoc libere et impotenter usurum *ad vexandos prioris*, superioris, proximi, *anni consules*, frenis quasi huic potestati laxatis. Locutio petita ab iis, qui *permittunt* vel *canem*, h. e. in feras immittunt (vid. Lucret. IV, 685—692, unde ἐπακτῆρες venatores, et ἐπάγειν), vel *equum*, quem laxatis habenis liberoque cursu ruere s. ferri patiuntur et incitant, ut infr. III, 61, 70; VIII, 30; IX, 22; X, 5; XXIX, 2; XXX, 11; XL, 40. Sic et *emittere*; vid. ad X, 5, n. 4, et XXIX, 2 (ubi *emittere*, *permittere* et *emittere* eodem sensu dicuntur); conf. Drak. ad III, 70, n. 9; Gron. Obss. II, 13, et Gruter. ad Martial. X, 12.

2. *Vt plebeii magistratus tributis comitiis fierent*, vid. ad II, 33, n. 3.

3. *Haud parva res*, exigui momenti lex, *sub titulo*, inscriptione vel argumento ... *atroci*, admodum gravi et Patribus valde noxio, ut al. *atrociter ferre*.

nime atroci, ferebatur; sed quae patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi quos vellent tribunos auferret. Huic[4] actioni gratissimae plebi quum summa vi resisterent Patres; nec, quae una vis ad resistendum erat, ut intercederet aliquis ex collegio, auctoritate aut consulum, aut principum adduci posset; res tamen suo ipsa molimine gravis, certaminibus in annum extrahitur. Plebs Voleronem tribunum reficit. Patres ad ultimum dimicationis rati rem venturam, Ap. Claudium, Appii filium, iam inde a paternis[5] certaminibus invisum infestumque plebi, consulem faciunt. Collega ei T. Quintius datur. Principio statim anni, nihil prius quam de lege agebatur: sed ut inventor[6] legis Volero, sic Laetorius, collega eius, auctor cum recentior, tum acrior erat. Ferocem faciebat belli gloria ingens;. quod aetatis[7] eius haud quisquam manu promptior erat. Is, quum Vo-

4. *Huic actioni*, rogationi. Nam *actiones* magistratuum sunt vel rogationes s. leges (*tribunitiae*), vel senatusconsulta, iis referentibus ad senatum facta (*consulares*); necnon orationes, quibus lex aut suadetur aut dissuadetur; ut *senatorum actiones* sententiae in senatu dictae. — *Tribunum reficit*, iterum creat, ut III, 21. Cf. ad IX, 10, n. 5. — *Ad ultimum dimicationis*, ad ultimam dimicationem s. certamen extremum, ut VIII, 29, et *ad inopiae ultimum* X, 11. Sic et *ad extremum periculi* et *spei* XXI, 34; XLIII, 13; *extrema agminis, finium* etc. XXI, 34; XXXV, 3 al. Conf. ad IX, 39, n. 4; et XXII, 6, n. 6.

5. *Inde a paternis certaminibus*, v. supr. c. 27 sq. Verba *Appii filium* a quibusdam libris absunt, et in fastis Capitol. *M. F.* dicitur. Sed conf. III, 15; Dionys. IX, 42, et Duk. Duplicem olim de Claudio, qui Romam commigraverit, opinionem vulgatam fuisse Drak. suspicatur: eum vel *Appii* vel *Marci* praenomen habuisse. — *T. Quintius* Barbatus Capitolinus. De *Quintia* gente vid. I, 30, et III, 12.

6. *Inventor legis*, qui primus eam tulit s. rogavit; *auctor legis* eodem quidem sensu passim dicitur, sed plerumque est legis suasor, adiutor, laudator, qui *auctoritatem* ei praestat hortando et laudando. Sic ad alios refertur, non, ut *inventor*, sine ullo ad alios respectu dicitur. Conf. XXII, 25 extr. Volero autem *auctor* etiam rogationis a se latae fuit, sed Laetorius auctor eius *recentior et acrior*. — *Laetorius* forte is, de quo vid. supra cap. 27.

7. *Aetatis eius haud quisquam*, v. ad II, 29, n. 6. — *Is.... ipse....*

lero nihil praeterquam de lege loqueretur, insectatione abstinens consulum, ipse in accusationem Appii familiaeque superbissimae ac crudelissimae in plebem romanam exorsus, quum a Patribus non consulem, sed carnificem ad vexandam et lacerandam plebem creatum esse contenderet; rudis in militari homine lingua[8] non suppetebat libertati animoque. Itaque deficiente oratione, *Quandoquidem non facile loquor*, inquit, *Quirites, quam, quod loquutus sum, praesto; crastino die adeste. Ego hic aut in conspectu vestro moriar, aut perferam legem.* Occupant[9] tribuni templum postero die: consules nobilitasque ad impediendam legem in concione consistunt. Submoveri Laetorius iubet, praeterquam qui suffragium ineant. Adolescentes nobiles stabant, nihil [10] cedentes viatori: tum ex his prehendi quosdam Laetorius iubet. Consul Appius negare ius esse tribuno in quemquam, nisi in plebeium. Non[11] enim populi, sed plebis eum

exorsus, sc. est. — Mox post *contenderet* punctum forte ponendum.

8. *Rudis lingua*, imperitia dicendi, *non suppetebat*, par erat, respondebat, *libertati animoque*, libertati animi, liberiori ingenio, cuius sensa non diserte expromere poterat. Cf. ad XXIV, 22, n. 1. Mox ante *facile loquor* ed. Mogunt. prima insernit *tam*, quae particula ante *quam* passim omittitur, v. c. XXV, 15, n. 4; XXVI, 18, n. 1; XXVI, 31, n. 1; XXXV, 49; si his locis vulgo recte legitur; de quo tamen dubitare possis. *Magis* ante *quam* solere omitti non *tam*, monet Bauer. ad XXVI, 18. Cf. ad I, 25, n. 11.

9. *Occupant tribuni templum*, vid. ad I, 6, n. 5. — *Submoveri Laetorius iubet* omnes, *praeterquam* praeter eos, *qui suffragium ineant* in comitiis tributis, adeoque patricios. Confer ad III, 14, n. 4; XXII, 3, n. 8, et XXV, 3, n. 14.

10. *Nihil cedentes viatori*, ministro, quo magistratus ad homines arcessendus (in pr. a villa in senatum, ex quo *viatores* dictos monet Cic. de Sen. 16) et prehendendos quoque, ut lictoribus, utebantur (vide quae mox sequuntur, et III, 56), potissimum tribuni pl. sed et alii, v. c. dictator (vid. VI, 15 pr. et XXII, 11), consules (vid. VIII, 18), aediles (vid. XXX, 39), censores (vid. XXXIX, 44), et imperator Samnitium X, 38. Conf. Gell. XII, 3, et XIII, 12.

11. *Non populi*, omnium ordinum, universae civitatis, qua etiam senatus continetur, *sed plebis* etc. Conf. II, 35, et VI, 37. — *Illum ipsum*,

magistratum esse: nec illum ipsum submovere pro imperio posse more maiorum; quia ita dicatur: *Si vobis*[12] *videtur, discedite, Quirites.* Facile[13] et contemptim de iure disserendo perturbare Laetorium poterat. Ardens igitur ira tribunus, viatorem mittit ad consulem; consul lictorem ad tribunum, privatum[14] esse clamitans, sine imperio, sine magistratu; violatusque esset tribunus, ni et concio omnis atrox coorta pro tribuno in consulem esset, et concursus[15] hominum in forum ex tota urbe concitatae multitudinis fieret. Sustinebat tamen Appius pertina-

scilic. populi magistratum, v. c. consulem, hortari tantum posse et monere populum, *more maiorum*, ut discedat, non imperare; *pro imperio*, per imperium, imperioso modo, proprie ita ut partes imperantis agat, ut III, 49, *iam pro imperio Valerius discedere lictores iubebat*, quasi id imperare posset vel penes ipsum esset imperium. Conf. ad II, 7, n. 4. Vulgo *illum ipsum* referunt ad *tribunum*, et inde colligunt, tribunis pl. non fuisse ius *submovendi*. Conf. ad III, 14, n. 4.

12. *Si vobis videtur, discedite, Quirites*, recepta erant verba dimittendae concionis populi; ut senatus dimittendi formula: *nihil vos moramur, Patres conscripti.*

13. *Facile de iure, et contemptim, disserendo perturbare Laetorium poterat.* Sic verba non tam iungenda, quam omnino trasponenda crediderim h. l. ubi quidam τὸ *et* delendum, alii pro eo *tam*, vel *parat* pro *poterat* substituendum, et alii denique *facile* tum ad *poterat*, tum ad *disserendo* referendum putant. Appius facile *Laetorium perturbare poterat disserendo* tam *de iure* magistratuum, cuius is ignarus erat, quam *contemptim*; cum contemptu et eius, qui haec ignoraret, et tribunorum, qui non populi, sed plebis magistratus essent. Sic *contemptim* II, 35 pr. VI, 38; VII, 7.

14. *Tribunum privatum esse, sine magistratu*, invidiose et contemptim dicit Appius respectu auctoritatis Patrum: nam idem paulo ante dixerat, tribunum esse magistratum, sed plebis, non populi. Cf. ad I, 40, n. 5. Sigonius comparat verba Plutarch. in Quaest. Rom. t. II, p. 283. « Cur tribunus pl. non, ut alii magistratus, praetextam gestat? an quia omnino magistratus non est? nam neque lictores habet, neque pro tribunali sedens ius dicit, neque principio anni magistratum init, neque illo se abdicat dictatore dicto, ut diversi muneris ordinisque homo ... et impedimento potius magistratui est eique adversus, quam magistratus; tribuni enim est, resistere magistratus potentiae nimiamque eius licentiam coërcere. »

15. *Concursus hominum in forum ex tota urbe concitatae multitudinis fieret*, verba *concitatae multitudinis* aut tollenda prorsus videntur, aut post seq. *tempestatem* reiicienda; Ern.

cia tantam tempestatem: certatumque haud incruento proelio foret, ni Quintius, consul alter, consularibus negotio dato, ut collegam vi, si aliter non possent, de foro abducerent, ipse nunc plebem saevientem precibus lenisset; nunc orasset tribunos, ut concilium dimitterent. *Darent* [16] *irae spatium: non vim suam illis tempus ademptūrum; sed consilium viribus additurum: et Patres in populi, et consulem in Patrum fore potestate.*

LVII. Aegre sedata ab Quintio plebs; multo aegrius consul alter a Patribus. Dimisso tandem concilio plebis, senatum consules habent: ubi quum timor atque ira in vicem sententias variassent; quo magis, spatio interposito, ab impetu ad consultandum avocabantur, eo plus abhorrebant a certatione animi; adeo ut Quintio gratias agerent, quod eius opera mitigata discordia esset. Ab Appio petitur, *ut tantam* [1] *consularem maiestatem esse vellet, quanta esse in concordi civitate posset. Dum tribuni consulesque ad se quisque omnia trahunt, nihil* [2] *relictum esse virium in medio; distractam laceratamque rempublicam magis quorum* [3] *in manu sit, quam ut incolumis sit, quaeri.* Ap-

16. *Darent irae spatium* etc. Conf. VIII, 32, n. 7.— *In potestate alicuius esse,* alicuius voluntatem auctoritatemque vel iudicium sequi, facere, quae ei placeant, ut XL, 46, n. 6, et contra *in sua potestate esse* VIII, 2, n. 3. Sic et *in auctoritate Patrum esse*, iis obtemperare, senatusconsultis parere, III, 21 pr. IV, 26 med. (ubi etiam paulo post eodem sensu dicitur *consules senatui dicto audientes esse*) XXXII, 7, n. 7; XXXII, 38, n. 2; XLII, 32, n. 4.

Cap. LVII. 1. *Vt tantam consularem maiestatem esse vellet* etc., adeoque non maiorem, quam concordia sineret civium. Paulo ante e duobus MSS. recepi *avocabantur* pro *advocabantur*. — Cod. Paris. et Crev. editio habent *advocabantur*; aliud autem non improbarem si auctoritate et consensu librorum veterum niteretur. Sulpicius ad Ciceronem, IV, Epist. 5: *etiam tu ab hisce rebus animum ad cogitationem avoca.* Lem.

2. *Nihil relictum esse virium in medio*, vid. ad VI, 6, n. 7.

3. *Quorum in manu sit*, quaenam harum partium summam in ea potestatem habeat. Post *remp.* alii colon,

pius contra *testari deos atque homines, rempublicam prodi per metum ac deseri: non consulem senatui, sed senatum consuli deesse: graviores accipi leges, quam in Sacro monte acceptae sint.* Victus tamen Patrum consensu quievit; lex silentio[4] perfertur.

LVIII. Tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt: numero etiam additos tres, perinde[1] ac duo antea fuerint, Piso auctor est: nominat quoque tribunos, C. Sicinium, L. Numitorium, M. Duilium, Sp. Icilium, L. Maecilium. Volscum Aequicumque inter seditionem romanam est bellum coortum: vastaverant agros, ut si qua secessio plebis fieret, ad se receptum haberet. Compositis deinde rebus, castra retro movere. Ap. Claudius in Volscos missus; Quintio Aequi provincia evenit. Eadem in militia saevitia Appii quae domi esse; eo liberior, quod sine tribunitiis vinculis erat. Odisse[2] plebem plus quam paterno odio: se victum ab ea: se unico[3] consule obiecto

alii nullam distinctionem ponunt, ut sit enallage accusat. pro nominat. ut XXXI, 27, n. 2. Cf. ad XL, 20, n. 2.

4. *Lex silentio perfertur.* Duo habent codices, *profertur.* Lem.

Cap. LVIII. 1. *Perinde ac*, quasi, *duo* tantum *antea fuerint*; vid. supr. ad c. 33, n. 3; *addito* pro *additos* in omnibus MSS. et plurimis edd. perperam legi iam monuere Dukerus et Stroth. *additos esse Piso auctor est*, h. e. tradit, ut VIII, 6, n. 1; IX, 37, n. 9; X, 25 al. Quin et dixit Livius: *habeo auctores, Romanos solitos* fuisse etc. IX, 36, n. 4; XXII, 7 pr. et *id quidam auctores sunt* XXIII, 16, n. 7; XXX, 26, n. 4; *qui huius pugnae auctores sunt*, h. e. eam memorant, XXVI, 6, n. 6, ut fere VI, 12, n. 2; *ita pars maior auctores sunt* XXX, 3, n. 4. *Auctor* dicitur is, a quo fama orta est, et qui dicere potest, unde habeat, quae dicit: hinc etiam nuntius (s. nuntians, et index). De *Pisone* vide supra ad I, 55, n. 8. — *C. Sicinium, L. Numitorium* etc. Conf. Diodor. l. II, pag. 278, ex quo etiam *C. Sicinium* substituere Sigon. et Pigh. Ann. ad ann. 283. In MSS. praeter Hawerk. et in edd. antt. *C.* vel *Cn. Siccium*, ut et inf. cap. 61.

2. *Odisse plebem plus quam paterno odio*, magis quam pater eam oderat. De patre v. sup. c. 16, 21-30 et 44.

3. *Se unico consule*, qui solus consulis nomine dignus sit, et unice ad id ob ferociam constantiamque aptus; vid. ad I, 21, n. 3; *obiecto* torrenti tanto instar firmissimi obicis vel aggeris et firmissimae molis; Gronov.

adversus tribunitiam potestatem, perlatam legem esse, quam minore conatu, nequaquam[4] tanta Patrum spe, priores impedierint consules. Haec ira indignatioque ferocem animum ad vexandum saevo imperio exercitum stimulabat: nec ulla[5] vi domari poterat: tantum certamen animis imbiberant! Segniter, otiose, negligenter, contumaciter omnia agere: nec pudor, nec metus coërcebat. Si citius agi vellet agmen, tardius sedulo incedere: si adhortator operis adesset, omnes sua sponte motam[6] remittere industriam: praesenti vultus demittere, tacite praetereuntem exsecrari: ut invictus ille odio plebeio animus interdum moveretur. Omni nequidquam acerbitate[7] prompta, nihil iam cum militibus agere: a centurionibus corruptum exercitum dicere: *tribunos plebei* cavillans interdum, et *Volerones* vocare.

LIX. Nihil eorum Volsci nesciebant, instabantque eo magis, spertantes idem certamen animorum adversus Appium habiturum exercitum romanum, quod adversus[1] Fabium consulem habuisset. Ceterum multo Appio, quam Fabio violentior fuit: non enim vincere tantum noluit, ut Fabianus exercitus, sed vinci voluit. Productus in aciem, turpi fuga petit ca-

4. *Nequaquam tanta Patrum spe*, quippe quibus non consul, Appio similis, praefuerit.

5. *Nec ulla vi domari poterat*, sc. exercitus, quod nomen, quia collectivum est, mox etiam plurali *imbiberant* jungitur; nisi cum aliis iungere malis *poterant*, vel *imbiberat*, vel *domare* exercitum *poterat*, scil. ira Appii. — Placebat Creverio emendatio *poterant* quam habere videntur quatuor ex codicibus quos collegit. At Cod. Paris. habet *poterat* ... *imbiberant*. Lem.

6. *Omnes sua sponte remittere industriam motam*, incitatam adhortatione Appii; *notam* coniicit Cler. art. crit. III, 1, n. 4.

7. *Acerbitate prompta*, adhibita, exercita.— *Volerones*, Voleroni similes, ut *Tarquinii* VI, 40; *Manliana imperia* IV, 29; VIII, 7.

Cap. LIX. 1. *Adversus Fabium consulem*, v. sup. c. 43. — *Multo violentior* et contumacior *fuit Appio*, adversus Appium.

stra, nec ante restitit, quam signa inferentem Volscum munimentis vidit foedamque extremi agminis caedem. Tum expressa vis ad pugnandum, ut victor iam a vallo submoveretur hostis; satis tamen appareret, capi tantum castra militem romanum noluisse: alii gaudere[2] sua clade atque ignominia. Quibus nihil infractus ferox Appii animus, quum insuper saevire vellet, concionemque advocaret, concurrunt ad eum legati tribunique, monentes, ne utique experiri vellet imperium cuius vis omnis in consensu obedientium esset. Negare vulgo milites se ad concionem ituros; passimque exaudiri voces postulantium, ut castra ex volsco agro moveantur. Hostem victorem paulo ante prope in portis ac vallo fuisse; ingentisque mali non suspicionem modo, sed apertam speciem obversari ante oculos. Victus tandem, quandoquidem[3] nihil praeter tempus noxae lucrarentur, remissa concione, iter in insequentem diem pronuntiari quum iussisset, prima luce classico signum profectionis dedit. Quum maxime agmen e castris explicaretur, Volsci, ut eodem signo excitati, novissimos adoriuntur: a quibus perlatus ad primos tumultus eo pavore signaque et ordines turbavit, ut neque imperia exaudiri, neque instrui acies possent: nemo[4] ullius nisi fugae memor. Ita effuso agmine per stragem corporum armorumque evasere, ut prius hostis desisteret sequi, quam romanus fugere. Tandem collectis ex dissipato cursu militibus, consul quum revocando nequidquam suos

2. *Alii gaudere sua clade atque ignominia*; forte legendum *alias* vel *alioquin*.

3. *Quandoquidem nihil praeter tempus*, dilationem, *noxae*, poenae, non eius remissionem, *lucrarentur* milites, quorum contumaciae nunc cederet. *Noxa* et delictum, et poena, quae propter illud infligitur. Cf. ad VIII, 18, n. 3, et X, 19, n. 2. — *A quibus*, scilicet novissimis, *perlatus ad primos tumultus* etc.

4. *Nemo ullius*, scilic. rei, nisi ipsa haec vox excidit.

persequutus esset, in pacato[5] agro castra posuit; advocataque concione, invectus haud falso in proditorem exercitum militaris disciplinae, desertorem signorum, ubi signa, ubi arma essent, singulos rogitans, inermes milites, signo amisso signiferos; ad hoc centuriones[6] duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis[7] caesos securi percussit: cetera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti.

LX. Contra ea[1], in Aequis inter consulem ac militem comitate ac beneficiis certatum est: et natura Quintius erat lenior, et saevitia infelix collegae, quo is magis gauderet ingenio suo, effecerat. Huic tantae concordiae ducis exercitusque non ausi offerre se, Aequi vagari populabundum hostem per agros passi: nec ullo ante bello latius inde actae praedae: omnis militi data est. Addebantur et laudes, quibus haud minus quam praemio gaudent militum animi. Tum duci, tum propter ducem Patribus quoque placatior exercitus rediit; sibi parentem, alteri exercitui dominum datum ab senatu, memorans. Varia fortuna

5. *In pacato agro*, ut *pacata loca* XXIV, 41; *pacatum agmen* etc., quibus *hostilia*, *infesta* et *hostes* opponuntur, X, 32, n. 1; XXIII, 27; XXIV, 20; XXXV, 4; XXXVI, 20; XXXVII, 46; XL, 57. Passim etiam *pacati* dicuntur, qui vel in pace sunt, ut XXVIII, 34; XXXV, 4; XLIII, 17; vel ad pacem petendam compulsi et hinc victi, ut XXXIX, 2, n. 6, et XLII, 8, n. 2.

6. *Duplicarios*, al. *duplares*, milites, quibus ob virtutem duplex dabatur frumentum, non stipendium; *duplicia cibaria* infr. XXIV, 47, n. 7, et apud Varron. L. L. IV, 16; Veget. II, 7; cf. Lips. Mil. Rom. V, 16, et Schel. ad Polyb. c. 7.

7. *Virgis caesos securi percussit... sorte decimus quisque ad supplicium lecti*, vid. ad I, 26, n. 6; I, 59, n. 3, et ad Epit. 2, n. 4.

Cap. LX. 1. *Contra ea* pro simpl. *contra*, et fere *praeterea* et *postea*. Cf. III, 57; XXI, 20; XXXIII, 31; XLI, 24; XLIV, 43. — *Gauderet ingenio suo* miti, ei indulgere et commodis eius frui posset. — *Huic tantae concordiae ducis exercitusque*, tam concordi duci exercituique, *non ausi offerre se Aequi*, obviam ire, occurrere. Conf. ad III, 50, n. 8, et V, 13, n. 8. — *Actae praedae: omnis* etc. Conf. ad XXXIII, 24, n. 4.

belli, atroci discordia domi forisque annum exactum, insignem maxime comitia tributa efficiunt; res maior victoria[2] suscepti certaminis, quam usu: plus enim dignitatis comitiis ipsis detractum est, Patribus ex concilio submovendis, quam virium aut plebi additum est, aut demptum Patribus.

LXI. Turbulentior inde annus[1] excepit, L. Valerio, Tib. Aemilio consulibus, quum propter certamina ordinum de lege agraria, tum propter iudicium Ap. Claudii: cui acerrimo adversario legis, causamque possessorum publici agri, tanquam tertio[2] consuli, sustinenti, M. Duilius, et C. Sicinius diem dixere. Nunquam ante tam invisus plebi reus ad iudicium vocatus populi est; plenus[3] suarum, plenus paternarum irarum. Patres quoque non temere pro ullo aeque adnisi sunt: propugnatorem senatus, maie-

2. *Res maior*, memorabilior et insignior facta *victoria* plebis, *quam usu*, fructu. Multum tamen sic *virium et plebi additum est et demptum Patribus*: nam in comitiis tributis non, ut in centuriatis, vis suffragiorum penes Patres, sed plebem erat, et a tribunis pl. haberi, neque auspiciis impediri poterant. Conf. ad II, 33, n. 3. Plurimum tamen virium plebi additum lege Valeria et Horatia ann. Vrb. cond. 306 lata et repetita ann. Vrb. cond. 416 a Q. Publilio Philone dictat. et ann. Vrb. cond. 466, a Q. Hortensio dict. ut, *quod tributim plebes iussisset, populum* s. Quirites *teneret*, h. e. obbligaret, ut plebiscita non ad solam plebem, sed universam rempublicam pertinerent; vide infr. III, 55 pr. VIII, 12; ad Epit. lib. XI, et Dionys. XI, 45.

Cap. LXI. 1. *Annus excepit*, sequutus est hunc annum continua serie: cf. Drakenb. De *lege agraria* vid. ad II, 41, n. 2.

2. *Tanquam tertio consuli*, tertius consul esset. Res plures Appio crimini datas memorat Dion. IX, 54; qui etiam non eum morbo mortuum esse, sed violentas sibi ipsum intulisse manus refert.

3. *Plenus suarum, plenus paternarum irarum*, qui invidia et ira plebis, non tam in ipsum, quam in patrem (de quo vide sup. cap. 16, 21–30 et 44), concepta, premebatur. Conf. Drak. ad V, 3, n. 4; VI, 28, n. 8; XXX, 34, n. 7, et XL, 2, n. 6, ubi notavit, *iram paternam* esse iram aliorum erga patrem, *iniuriam vestram* iniuriam aliorum erga vos, ab iis vobis illatam, *victoriam suam* victoriam aliorum de se, *odium vestrum* odium aliorum erga vos: conf. Cort. ad Sall. Iug. 14, 17, et Burm. ad Virg. Aen. I, 716 — *Non temere*, non facile.

statisque vindicem suae, ad omnes tribunitios plebeiosque oppositum tumultus, modum dumtaxat in certamine egressum, iratae obiici plebi. Vnus e Patribus, ipse Ap. Claudius, et tribunos, et plebem, et suum iudicium pro nihilo habebat. Illum non minae plebis, non senatus preces perpellere unquam potuere, non modo ut vestem[4] mutaret, aut supplex prensaret homines; sed ne ut ex consueta quidem asperitate orationis, quum ad populum agenda causa esset, aliquid leniret atque submitteret. Idem habitus oris, eadem contumacia in vultu, idem in oratione[5] spiritus erat: adeo ut magna pars plebis Appium non minus reum timeret, quam consulem timuerat. Semel causam dixit, quo semper agere omnia solitus erat, accusatorio spiritu: adeoque constantia sua et tribunos obstupefecit, et plebem, ut diem[6] ipsi sua voluntate prodicerent: trahi deinde rem sinerent. Haud ita multum interim temporis fuit: ante tamen quam prodicta dies veniret,

4. *Vt vestem mutaret*, v. ad c. 54, n. 5.—*Prensare* s. *prehendere* et *prendere homines* vel manus eorum solebant vel rei, veniam et benigna suffragia iudiciumve mite rogantes, vel candidati, magistratum ambientes aliive, aliquid petentes, prehensa manu rogantes (ut I, 47; III, 12, n. 35), vel in via sibi obvium colloquendi causa seducentes, vel laeti et gratias agentes, ut IV, 60 pr. — Mox *submitteret* pro remitteret.

5. *Idem in oratione spiritus*, vocis sonus et contentio, ut mox *accusatorius spiritus*, qualia accusatoris, non rei et trepidi hominis, esse solet.

6. *Diem prodicere* (al. *praedicere*, ut apud Tacit. Annal. II, 6 et 79), vel simpl. dicere, definire, ut III, 58, et XXV, 13, n. 2; vel proferre, prorogare, ampliare, h. e. in alium diem iudicium differre, ut h. l. et III, 57; VI, 20; XXXVIII, 51, 52: confer Duk. et Drak. ad h. l. et III, 57, n. 6. — *Trahi rem*, differendo prorogari, prolatari. Sic et *trahere comitia*, *bellum*, *pugnam*, *certamen* etc. (ut al. *ducere bellum*, *extrahere bellum*, *rem*, *certamen* etc. conf. ad IV, 43, n. 6), vel *rem in serum* XXXII, 35, n. 3; XXXVIII, 30, n. 1; ut *in serum tempus protrahere* ap. Suet. Aug. 17, et *in serum noctis convivium producere* inf. XXXIII, 48, n. 4, et *perducere* XXXVIII, 50, n. 1.

morbo moritur: cuius[7] quum laudationem tribuni plebis impedire conarentur, plebs fraudari solemni honore supremum diem tanti viri noluit; et laudationem tam aequis auribus mortui audivit, quam vivi accusationem audierat; et exsequias frequens celebravit.

LXII. Eodem anno Valerius consul cum exercitu in Aequos profectus, quum hostem ad proelium elicere non posset, castra oppugnare est adortus. Prohibuit foeda tempestas, cum grandine, ac tonitribus caelo deiecta. Admirationem deinde auxit, signo receptui dato, adeo tranquilla serenitas reddita, ut velut numine aliquo defensa castra oppugnare iterum[1] religio fuerit: omnis[2] ira belli ad populationem agri vertit. Alter consul Aemilius in Sabinis bellum gessit; et ibi, quia hostis moenibus se tenebat, vastati agri sunt. Incendiis deinde, non villarum modo, sed etiam vicorum, quibus frequenter habitabatur, Sabini exciti, quum praedatoribus occurrissent, ancipiti[3] proelio digressi, postero die retulere castra in tutiora loca. Id satis consuli visum, cur pro victo relinqueret hostem, integro inde decedens bello.

LXIII. Inter haec bella, manente discordia domi, T. Numicius Priscus, A. Virginius consules facti. Non ultra videbatur latura plebes dilationem agrariae[1] legis, ultimaque vis parabatur, quum Volscos adesse, fumo ex incendiis villarum fugaque agrestium cogni-

7. *Cuius quum laudationem* etc., cf. ad II, 47, n. 6.

Cap. LXII. 1. *Serenitas* caeli ... *religio fuerit*, vide ad II, 5, n. 4.

2. *Omnis ira belli... vertit* se; vide ad II, 3, n. 2. Mox *vicorum*, *quibus*, in quibus, *frequenter habitabatur*, *Sabini exciti*, vide ad c. 16, n. 3.

3. *Ancipiti proelio*, cuius victoria fuerat dubia: cf. ad XXIV, 45, n. 1. — *Integro bello*, nondum confecto.

Cap. LXIII. 1. *Agrariae legis*, de qua v. ad II, 41, n. 2. Mox *matura iam seditio ac prope erumpens*, instar ulceris, egregie dicitur.

tum est: ea res maturam iam seditionem, ac prope erumpentem repressit. Consules coacti extemplo ab senatu ad bellum, educta ex urbe iuventute, tranquilliorem ceteram plebem fecerunt. Et hostes quidem nihil[2] aliud quam perfusis vano timore Romanis, citato agmine abeunt. Numicius Antium adversus Volscos, Virginius contra Aequos profectus: ibi ex insidiis prope magna accepta clade, virtus militum rem prolapsam negligentia consulis restituit. Melius in Volscis imperatum est. Fusi primo proelio hostes, fugaque in urbem Antium, ut tum[3] res erant, opulentissimam acti: quam consul oppugnare non ausus, Cenonem aliud oppidum, nequaquam tam opulentum, ab Antiatibus cepit. Dum Aequi Volscique romanos exercitus tenent, Sabini usque ad portas Vrbis populantes incessere: deinde ipsi paucis post diebus ab duobus exercitibus, utroque per iram consule ingresso in fines, plus cladium, quam intulerant, acceperunt.

LXIV. Extremo[1] anno pacis aliquid fuit, sed, ut semper alias, sollicitae certamine Patrum et plebis. Irata plebs interesse consularibus comitiis noluit: per Patres clientesque Patrum consules creati T. Quintius, Q. Servilius: similem annum priori consules

2. *Nihil aliud quam*, vide ad II, 8, n. 9.

3. *Vt tum res erant*, scil. publicae, *opulentissimam urbem Antium* (hodie *Anzo*), opp. Latii, Volscorum caput, ad mare, sed sine portu, in amoenissima regione (v. Cic. ad Att. 4, 8), ubi templum Fortunae erat celeberrimum. Conf. Ind., Phil. a Turre monimenta veteris Antii Rom. 1700, et Klotz. Lectt. Venus. p. 230. — *Ceno* s. *Cenon* (nunc *Nettuno*) adiacens oppidulum, Antiatibus praebebat portum, navale et forum. Conf. Dionys. IX, p. 612. — Mox *tenent* pro detinent, retinent, morantur, impediunt. Conf. ad III, 29, n. 4; V, 54, n. 1; VII, 25, n. 3; XXII, 19, n. 6; XXIII, 15 et 19; XXIV, 20; XXXII, 9; XXXV, 4a; XLIII, 13.

Cap. LXIV. 1. *Extremo*, exeunte, *anno*, in extrema eius parte, h. e. fine; *pacis ... sollicitae*, turbatae.

habent, seditiosa initia, bello[2] deinde externo tranquilla. Sabini crustuminos campos citato agmine transgressi, quum caedes et incendia circum Anienem flumen fecissent, a porta prope Collina moenibusque pulsi, ingentes tamen praedas hominum pecorumque egere: quos Servilius consul infesto exercitu insequutus, ipsum quidem agmen adipisci aequis locis non potuit; populationem adeo effuse fecit, ut nihil bello intactum relinqueret, multiplicique capta praeda rediret. Et in Volscis respublica[3] egregie gesta, quum ducis, tum militum opera. Primum aequo campo signis collatis pugnatum, ingenti[4] caede utrinque, plurimo sanguine: et Romani, quia paucitas[5] damno sentiendo propior erat, gradum retulissent, ni salubri mendacio consul, fugere hostes ab cornu altero clamitans, concitasset aciem; impetu facto, dum se putant vincere, vicere. Consul, metuens ne nimis instando renovaret certamen, signum receptui dedit. Intercessere pauci dies, velut[6] tacitis induciis

2. *Bello externo tranquilla*, immo *tranquillum*, scilic. annum: nam hanc enallagen generis, quae negligentiam potius vel affectationem, quam elegantiam redolet, librariis deberi malim, quam Livio. Vox quoque *consules* vel in hoc, vel in praec. membro delenda videtur.

3. *Respublica egregie gesta*, h. e. bellum, ut *remp. administrare* et *gerere*, XXIII, 49; XXVII, 6, n. 6; XXVIII, 9, et XXX, 41; *rem rom. gerere* XXIV, 18; XXX, 2, et *remp. capessere* III, 69, pro bellum suscipere gerendum. Nam *respublica* primum dicitur civitas universa; deinde singulae eius partes, quas Cicero, Sext. 46, dicit esse religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritatem, leges, morem maiorum iudicia, iurisdictionem, fidem, provincias, socios, imperii laudem, rem militarem et aerarium; denique (ut III, 71 al.) res vel actio et negotium quodcumque, ad publicam rem vel utilitatem pertinens; unde *remp. deserere* (non amplius curare) XXVI, 12, n. 4. Conf. Drak. ad h. l. Gron. ad VIII, 31, et Ernest. clav. Cic.

4. *Ingenti caede*, multis occisis, *plurimo sanguine*, plurimis vulneratis.

5. *Paucitas damno sentiendo propior erat*, ob paucitatem magis faciliusque damnum s. clades sentiri poterat.

6. *Velut tacitis induciis*, vid. ad II, 18, n. 6.

utrinque quiete sumpta: per quos ingens vis hominum ex omnibus Volscis Aequisque populis in castra venit, haud dubitans, si senserint, Romanos[7] nocte abituros. Itaque tertia[8] fere vigilia ad castra oppugnanda veniunt. Quintius sedato tumultu, quem terror subitus exciverat, quum manere in tentoriis quietum militem iussisset, Hernicorum cohortem in stationem[9] educit; cornicines tubicinesque in equos impositos canere ante vallum iubet, sollicitumque hostem ad lucem tenere: reliquum noctis adeo tranquilla omnia in castris fuere, ut somni quoque Romanis copia esset. Volscos species armatorum peditum, quos et plures esse, et Romanos putabant, fremitus[10] hinnitusque equorum, qui, et insueto sedente equite, et insuper aures agitante sonitu, saeviebant, intentos velut ad impetum hostium tenuit.

LXV. Vbi illuxit, Romanns, integer satiatusque somno productus in aciem, fessum stando et vigiliis Volscum primo impetu perculit. Quamquam cessere

7. *Romanos nocte abituros, si senserint*, tam ingentem eorum vim advenisse.

8. *Tertia vigilia.* Distinguebatur tempus noctis in quatuor vigilias, quarum unaquaeque trium horarum erat. Itaque tertia vigilia a media nocte incipiebat, nona noctis hora finiebatur. Singulis autem vigiliis, signo buccina dato, vigiles mutabantur. Lem.

9. *In stationem educit*, ante portas castrorum disposuit. *Statio* nostrum *Piquet*, *Postirung*, ut VII, 26, 37; XXII, 12; XXV, 39 al. — *Somni copia*, facultas dormiendi.

10. *Fremitus hinnitusque equorum.* Libri quidam *strepitus hinnitusque*; verum recte *fremitus* exhibet cod. Paris. Ita Ovidius, Metam. III, 704, *Vt fremit acer equus, quum bellicus aere canoro Signa dedit tubicen*; Horatius, IV, Od. 14, 23, *frementem Mittere equum medios per ignes.* Alibi tamen *fremitus hominum* et *hinnitus equorum* distinguuntur, ut apud Curtium IV, 12: *nihil aliud quam fremitum hominum, hinnitumque equorum exaudisse nuntiat*; et cap. 13: *fremitus hominum, equorum hinnitus... mentem turbaverant.* Lem. — *Aures agitante sonitu*, ut al. *impellere, pellere, quatere, ferire, pulsare, percutere, verberare aures* et oculos.

magis [1] quam pulsi hostes sunt: quia ab tergo erant clivi, in quos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit. Consul, ubi ad iniquum locum ventum est, sistit aciem: miles aegre teneri, clamare et poscere, ut perculsis instare liceat. Ferocius agunt equites: circumfusi duci vociferantur se ante signa ituros. Dum cunctatur consul, virtute militum fretus, loco parum fidens, conclamant, se ituros: clamoremque res est sequuta. Fixis in terram pilis, quo leviores [2] ardua evaderent, cursu subeunt. Volscus effusis ad primum impetum missilibus telis, saxa obiacentia pedibus ingerit in subeuntes, turbatosque ictibus crebris urget ex superiore loco: sic prope oneratum est sinistrum Romanis cornu, ni referentibus iam gradum consul, increpando simul temeritatem, simul ignaviam, pudore metum [3] excussisset. Restitere primo obstinatis animis: deinde, ut [4] obtinentes locum vires ferebant,

Cap. LXV. 1. *Cessere magis*, ordinibus haud turbatis, *quam pulsi*, dispersi et fugati sunt; *ordines* certe, qui *post principia*, primam aciem (ut III, 22, n. 5; VIII, 10, n. 4, al.), stabant, integri, incolumes et non turbati, ad clivos se tuto recipiebant.

2. *Quo leviores ardua* loca *evaderent*, cf. ad II, 7, n. 7. — *Saxa obacentia pedibus* edidere Andreas et Campanus; Aldus autem *adiacentia* vulgaverat, quem quidam sequuti sunt; sed Rhenanus priorem lectionem perperam loco motam reduxit in primam sedem: cod. Paris. habet *obiacentia*; alii *abiacentia*. Passim librarii verba composita cum praepositionibus *ab* et *ob* inter se commutarunt; sic eodem hoc capite, infra, pro *obstinatis animis* duo habent *abstinatis animis*. Lem.

3. *Metum excussisset pudore*, quod vera esset consulis increpatio. Confer VII, 17.

4. *Deinde, ut* Romani, non amplius recedentes, sed *obtinentes locum*, eo ipso, quod eum obtinebant, *vires ferebant*, accipiebant, resumebant (vid. ad I, 50, n. 7), *audent* etc. Ita Strothius. Coll. I, 4 extr. 15 extr. II, 50 extr. et Theocr. Id. XXII, 113: Ο δ' *αἰεὶ πάσσονα γυῖα ἱπτομένου φορέεσκε πόνου*. Simplicior, opinor, interpretatio est haec: *Restitere primo obstinatis animis: deinde, ut* vel quantum *ferebant*, sinebant, patiebantur, aut permittebant *vires*, *locum* suum *obtinentes*, fortiter et obstinate tenentes, et sic iam paene exhaustae quidem, sed increpatione consulis refectae, *audent ultro gradum inferre*. Vulgo legitur *ut in obtinentes locum*, scilicet superiorem, Volscos, ad quos Romani pro viribus enituntur. Sed sic verba

audent ultro gradum inferre; et clamore renovato, commovent aciem: tum rursus, impetu [5] capto, enituntur, atque exsuperant iniquitatem loci. Iam prope erat, ut in summum clivi iugum evaderent, quum terga hostes dedere: effusoque cursu paene agmine uno fugientes sequentesque castris incidere. In eo pavore castra capiuntur: qui Volscorum effugere potuerunt, Antium petunt. Antium et Romanus exercitus ductus: paucos circumsessum dies deditur, nulla oppugnantium nova vi; sed quod iam inde ab infelici pugna castrisque amissis ceciderant animi.

vires ferebant et reliqua parum apta sunt, et illud *in* abest ab omnibus fere MSS. et editt. ante Sigon.

5. *Impetu capto*, ut VIII, 30; X, 5; et *conatibus captis* III, 5; IX, 4. (Nos dicimus *ansetzen*, *ausholen*; Ern. qui tamen malebat *facto*.) — *Enituntur*, ascendunt, *atque exsuperant iniquitatem loci*. Locus hic prorsus exhibet vim propr. verbi *eniti*, scilic. ascensu aliquo pervadendi; Ern. Cf. ad Tac. Ann. II, 80, 8.—*Vt in summum clivi iugum evaderent*. Gebhardus legendum censuit: *ut summum*... *evaderent*, abiecta praepositione; quam quum constanter retineant codices et libri cusi, adversus eorum consensum vulgata scriptura mutari non debet. Lem.

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARVM
AB VRBE CONDITA
LIBER TERTIVS

BREVIARIVM.

CAP. I; Tribuni iterum agitant legem agrariam, adiutore Ti. Aemilio consule: sed huius collega Q. Fabius concordiam tuetur dato consilio coloniae Antium deducendae. — II, III; Q. Fabius secundum consul vincit Aequos, qui ad Vrbem terrorem pertulerant. Censa civium capita 104, 214, praeter orbos orbasque. — IV; Ecetra et Antium deficiunt ad Aequos. Ab his Sp. Furius Fusus consul pulsus in castris obsidetur: quibus subsidio pro consule T. Quintius mittitur cum latino hernicoque exercitu. — V; Furius, eruptione e castris facta, vulneratur; et frater eius circumventus perit. Castra obsidione liberantur, et fugientes Aequi a Postumio consule, et deinde a Quintio caeduntur. Portenta, feriae, et supplicationes. — VI, VII; Pestilentia Vrbs affligitur. Aequi et Volsci populantur hernicos, romanos tusculanosque agros. Moriuntur consules, multique et nobiles et ignobiles. Supplicationes. — VIII; Ingentes Aequorum Volscorumque strages editae. — IX; C. Terentillus Arsa trib. pl. rogationem fert, ut quinque viri creentur legibus de imperio consulari scribendis. Absentibus consulibus atrociter in eum invehitur Q. Fabius praef. Vrbi. — X; Lucretii consulis triumphus, et Veturii collegae ovatio. Lex Terentilla ab toto relata collegio. Volsci et Aequi rebellant. Tribuni in foro vociferantur. — XI; Patres legem et tribuni delectum impediunt. Caesone Quintio duce saepe foro pelluntur tribuni et plebs. Ei capitis dies dicitur ab A. Virginio: quo tamen ferocia ac temeritas iuvenis magis augetur, quam imminuitur. — XII; Die demum iudicii prensat singulos, et deprecantur pro eo L. Quintius Cincinnatus pater, T. Quintius Capitolinus, aliique necessarii, principes civitatis. — XIII; Reum praeter invidiam premit falsum testimonium M. Volscii Fictoris tribunitii,

qui fratrem suum ab eo necatum dicit. Virginius illum in vincula duci, sed reliqui tribuni vades publicos dari iubent. Caeso in exsilium abit, et pater omnia bona divendere cogitur. — XIV; Tribunis, quoties de lege agunt, cum ingenti clientium exercitu resistunt Patres iuniores, maxime sodales Caesonis. — XV; Exsules servique, duce Ap. Herdonio sabino, nocte Capitolium occupant. — XVI; Multi variique timores. Tribuni vanam hanc belli imaginem esse putant, ad avertendos ab legis Terentillae cura plebis animos, et arma poni iubent. — XVII; P. Valerius Publicola consul increpat tribunos; et vis ultima imminet. — XVIII; Tusculani Romanis auxilium ferunt; et pars civium, auctoritate consulis mota, arma capiunt. Capitolium recuperatur; sed Valerius in pugna cadit. — XIX; In locum eius sufficitur L. Quintius Cincinnatus, qui assiduis concionibus tribunos plebemque non vehementius quam Patres castigat. — XX; Tribuni minantur, se impedituros delectum: sed Quintius eo non opus esse dicit, quum multi in verba Valerii iuraverint. Religio Romanorum. — XXI; Tribuni cedunt; at iidem reficiuntur, quod modo vetitum erat senatusconsulto: hinc et Patres L. Quintium consulem refici cupiunt, qui acerrime in eos invehitur. — XXII; Q. Fabius Vibulanus tertium consul Volscorum castra ad Antium expugnat. — XXIII; Tusculana arx, ab Aequis capta, ope Romanorum recipitur; et hostes, sub iugum missi domumque se recipientes, a Fabio ad unum omnes occiduntur. Tum consules populantur Volscos et Aequos. — XXIV; Tribunitiae actiones. M. Volscio, qui falsus testis in Caes. Quintium exstiterat, dies a quaestoribus dicitur. Lustrum decimum. Capita civium 117,319 censa. — XXV; Aequi bellum denuo inferunt Romanis, duce Gracco Cloelio, et legatos rom. ludibrio habent. — XXVI; Sabini prope ad moenia Vrbis infesta populatione veniunt. Tum plebs nomina dat, reclamantibus tribunis. Castra L. Minucii consulis ab Aequis obsidentur. Hinc L. Quintius Cincinnatus dictator dicitur, et ab opere rustico, cui intentus est, in Vrbem deducitur. — XXVII; Is propere delectum habet, et Algidum proficiscitur. — XXVIII; Circumvallat deinde Aequos, et sub iugum mittit. — XXIX; Praedam omnem suo tantum militi dat, et Minucium iubet legatum esse. Tum dictator triumphat, et iudicium habet de M. Volscio, qui damnatus Lanuvium in exsilium abit. Egregia pugna C. Naucii consulis cum Sa-

binis ad Eretum. Iidem tribnni quintum refecti. Capitolium lustratnm propter lupos in eo visos. — XXX; Decem tribuni plebis creati, bini ex singulis classibus. Aequi et Sabini bellum reparant. — XXXI; Aunona laboratur : lex Icilia fertur de Aventino publicando: T. Romilius et C. Veturius consules praedam ingentem, in Algido partam, vendunt, et damnantur. De legibus convenit, sed earum latores non nisi ex Patribus creari placet. Legati mittuntur Athenas, qui leges Solonis describant, aliarumque Graeciae civitatum instituta iuraque noscant. — XXXII; Fames et pestilentia. Redeunt legati cum atticis legibus. — XXXIII; Decemviri legibus scribendis creantur sine provocatione, et soli e magistratibus. Regimen penes Ap. Claudium, et XII fasces per X dies penes praefectum iuris. Moderatio decemvirornm. — XXXIV; Legum X tabulae proponuntur perferunturque comitiis. Duas adiici placet, ut absolvatur corpus iuris romani — XXXV; Comitia decemviris iterum creandis in trinum nundinum indicta. Eorum habendorum munus iniungitur Ap. Claudio minimo natu et ambitioso, qui semet ipse cum aliis creat. — XXXVI; Decemviri novi idibus maiis ineunt magistratum, et subito omnes cum duodenis fascibus prodeunt. Eorum superbia et tyrannis. — XXXVII; Duae legum tabulae ad decem prioris anni adiiciuntur; sed mentio comitiorum nulla fit. — XXXVIII; Annus III decemvirorum. Sabinorum incursio in agrum rom. et Aequorum in tusculanum. Decemviri in curiam citant Patres, qui, iam diu haud consulti, tantum non omnes in agris sunt et conveniunt frequentes. — XXXIX; Asperae sententiae et vociferationes Patrum, praecipue L. Valerii Potiti et M. Horatii Barbati. — XL; C. Claudii et L. Cornelii Maluginensis orationes, precibus, quam iurgio, similiores. In praesentia omnia praeter bellum omittenda censent. — XLI; Decemviri propositum tenent, et delectum habent silentio Patrum. Ap. Claudio et Sp. Oppio imperium in Vrbe, reliquis decemviris bellum in Sabinis et Aequis mandatur. — XLII; Milites romani, ducibus infensi, ab hostibus vinci se patiuntur. — XLIII; L. Siccius in Sabinis iussu decemvirornm, sed haud inultus, interficitur a militibus. — XLIV; Ap. Claudius Virginiae, L. Virginii filiae, stuprandae libidine capitur, et M. Claudio clienti negotium dat, ut virginem, L. Icilio tribunitio desponsam, asserat in servitutem. Advocati puellae postulant, ut res integra in patris adventum differatur.

—XLV; Decretum Appii. Icilii cum eo disceptatio. — XLVI; Appius iudicium differt in posterum diem, et collegis in castra scribit, ne Virginio commeatum dent. Sed hic eo iam sumpto profectus erat, per velociores nuntios certior factus de periculo filiae. — XLVII; Virginius sordidatus, comitantibus filia, Icilio, matronis, et advocatis, opem Quiritium implorat, et in Appium, vindicias decernentem secundum servitutem, acerrime invehitur. — XLVIII; Decemvir, alienato ad libidinem animo, lictorem mittit, qui submoveat turbam, et viam det Claudio ad prehendendum mancipium. Tum Virginius orat, ut, priusquam filiam abducatur, liceat sibi cum ea et nutrice colloqui. Data venia, seducit filiam ad tabernas Novas, et cultro ibi arrepto lanii pectus eius transfigit. Deinde, via ferro facta ad portam, pergit in castra. Vociferantur Icilius Numitoriusque, puellae sponsus et avunculus; clamitant matronae. — XLIX; Appius arripi iubet Icilium, quem multitudo eiusque duces, Valerius et Horatius, tuentur. Tandem, fracto animo, profugit in vicinam domum, et Oppius senatum vocari iubet. — L; Motus in castris a Virginio excitus. Exercitus Romam proficiscitur, et Aventinum in montem secedit. Mittuntur eo tres legati consulares; et multitudo conclamat, se non aliis, quam L. Valerio et M. Horatio, daturos responsum. — LI; Huic exercitui coniungitur alter in Sabinis, et ab utroque creantur X tribuni militares; ex his vero duo, qui summae praesint rerum, M. Oppius et Sex. Manilius. — LII; M. Duilio suadente, plebs et exercitus in Sacrum montem ex Aventino transeunt. Decemviri, consensu Patrum victi, futuros se in eorum potestate affirmant. — LIII; Valerius Horatiusque cum plebe agunt de conditionibus reditus, et aequas laudant postulationes, sed supplicia decemvirorum deprecantur. — LIV; Decemviri abdicant se magistratu; et plebs reversa, pontifice max. comitia habente, X tribunos plebis (Virginium, Icilium, Numitorium, Duilium, C. Sicinium etc.), creat in pratis Flaminiis, quem postea circum Flaminium appellarunt. — LV; Per interregem consules creantur, L. Valerius Potitus et M. Horatius Barbatus. Ab his latae leges: ut, quod tributim plebes iussisset, populum teneret: ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet: ut, qui tribunis plebis, aedilibus, iudicibus, decemviris nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset: ut senatusconsulta in aedem Cereris ad aediles pl. deferrentur. — LVI; Virginius

diem dicit Appio. Is provocat ad populum et maiorum merita in remp. commemorat. — LVII; Iussu Virginii in carcerem coniicitur. Latinorum Hernicorumque legati gratulatum de concordia Patrum ac plebis Romam veniunt, et coronam auream in Capitolium ferunt parvi ponderis. Delectus edicitur ad bella cum Sabinis, Aequis Volscisque gerenda. Leges XII tabularum in aes incisae in publico proponuntur. — LVIII; C. Claudius supplicium Appii deprecatur; hic vero, spe incisa, ante prodictam diem mortem sibi consciscit. Sp. Oppius accusatus in vinculis moritur. Reliqui decemviri, et M. Claudius, assertor Virginiae, exsilii causa solum vertunt. — LIX; Moderatio M. Duilii trib. pl. — LX, LXI; Aequi Volscique vincuntur a Valerio, — LXII, LXIII; et Sabini ab Horatio. Senatus maligne in unum diem supplicationes decernit. Consules sine auctoritate senatus, populi iussu triumphant. — LXIV; eosdem tribunos pl. refici vetat M. Duilius, qui comitiis praeest, et, tribunis V creatis, totidem collegas ab his cooptari iubet. — LXV; Cooptati duo etiam patricii consularesque. Rogatio a L. Trebonio trib. pl. infesto Patribus, lata, ut, qui plebem rom. tribunos plebi rogaret, is usque eo rogaret, dum decem faceret. Coitiones tribunorum adversus iuniores Patrum oriuntur; et ab his iniuriae fiunt plebi ipsisque tribunis. — LXVI; Dies alicui nobilium dicta, et nova certamina. Hinc Aequi Volscique arma capiunt, et populabundi accedunt ad ipsa Romae moenia. — LXVII, LXVIII; T. Quintii Capitolini quartum consulis oratio ad populum severissima. — LXIX; Ea non modo Patribus, sed et plebi accepta. Delectus habetur. — LXX; Volsci Aequique vincuntur. — LXXI, LXXII; Aricini atque Ardeates, qui de ambiguo agro saepe bello certaverant, iudicem populum romanum capiunt; isque, reclamantibus frustra consulibus Patribusque, agrum sibi adiudicat, quia P. Scaptius, magno natu homo de plebe, dixerat eum fuisse finium Coriolanorum, captisque Coriolis, iure belli publicum populi rom. factum.

Cap. I. Antio capto, Ti. Aemilius et Q. Fabius consules fiunt. Hic erat Fabius Quintus [1], qui unus exstinctae ad Cremeram genti superfuerat. Iam priore [2] consulatu Aemilius dandi agri plebi fuerat auctor: itaque secundo quoque consulatu eius, et agrarii se in spem legis erexerant, et tribuni rem contra consules saepe tentatam, adiutore utique consule, obtineri posse rati, suscipiunt; et consul manebat in sententia sua. Possessores [3] et magna pars Patrum, tribunitiis [4] se iactare actionibus principem civitatis, et largiendo de alieno popularem fieri querentes, totius invidiam rei a tribunis in consulem averterant. Atrox certamen aderat, ni Fabius consilio neutri parti acerbo rem expedisset: T. Quintii ductu et auspicio agri capti priore anno aliquantum [5] a Volscis esse: Antium, propinquam, opportunam, et maritimam urbem, coloniam deduci posse: ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram, civita-

Cap. I. 1. *Fabius Quintus*, praenomine nomini postposito, ut inf. c. 29; IV, 17 pr. (*Cloelium Tullum*); IV, 18, n. 2; VII, 22, n. 4. Sic et cognomen ante nomen ponitur, v. c. *Macer Licinius* IV, 23; VII, 9; *Marcellus Claudius* XXIII, 14, n. 19: cf. II, 32, n. 7; XXVII, 6, n. 9; XXIX, 2, n. 3; XXX, 1, n. 5; Drak. ad h. l. et Schweigh. ad Appian. Hann. 37. De Fabii iuvenis consulatu vide ad II, 49, n. 3.

2. *Iam priore consulatu Aemilius* etc. Cf. II, 61. — De lege agraria vid. ad II, 41, n. 2. *Agrarii* qui potissimum agitabant legem agrariam, et, ut ex ea agros consequerentur, horum divisionem expetebant.

3. *Possessores et magna pars Patrum*, vid. ad II, 42, n. 7.

4. *Tribunitiis actionibus* (vid. ad II, 56, n. 4) *se iactare*, se vexare, vel potius se venditare, iis adiuvandis gratiam plebis laudemque captare. *Iactare se re*, vel *in re aliqua*, significat multum in ea versari, vel quocumque modo ea vexari, vel ei immorari, illam urgere, vel insolentius se efferre et gloriari, vel denique se venditare, ambitiose ostentare studia sua, gratiam famamque captare, et sibi nimis placere. Cf. ad XXXIX, 26, n. 4; XXXIX, 43, n. 1; ad Iuvenal. I, 62; et Ernesti clav. Cic. — *Popularem*, vide ad II, 8, n. 1.

5. *Aliquantum* (vide ad II, 39, n. 1) *esse agri a Volscis capti* etc.

tem in concordia fore. Haec sententia accepta est. Triumviros [6] agro dando creat T. Quintium, A. Virginium, P. Furium: iussi [7] nomina dare, qui agrum accipere vellent. Fecit statim, ut fit, fastidium copia; adeoque pauci nomina dedere, ut ad explendum numerum coloni Volsci adderentur: cetera multitudo poscere Romae agrum malle, quam alibi accipere. Aequi a Q. Fabio, is eo cum exercitu venerat, pacem petiere, irritamque eam ipsi subita incursione in agrum latinum fecere.

II. Q. Servilius, insequenti anno (is enim cum Sp. Postumio consul fuit) in Aequos missus, in latino agro stativa habuit: intra [1] castra quies necessaria morbo implicitum exercitum tenuit. Extractum in tertium annum bellum est, Q. Fabio et T. Quintio

6. *Triumviri agro dando*, al. *coloniae deducendae*, aut *de colonia deducenda*, aut *agrarii*, et simpl. *triumviri*; confer Indicem, et ad IX, 46, n. 9. — Pro *creat* (scil. Fabius; vide ad VII, 16, n. 6) multi MSS. *creant*, forte rectius. Conf. ad II, 18, n. 4. — Codex Paris., item et Sorbonicus dant *creat*; si *creant* legas, intelligendum erit de populo. Lem.

7. *Iussi nomina dare*, v. ad I, 11, n. 3.

Cap. II. 1. *Intra castra* etc. ambo scripti nostri, ut et omnes Gronoviani, et veteres edit. si Campanam excipias, carent praepositione *intra*; itaque legendum putamus: *stativa habuit. Castris quies necessaria... exercitum tenuit*; ut infra cap. 26, *castris se pavidus tenebat*. Lem. — *Extra ordinem ea provincia data*, ut *extra sortem* XXVI, 29, n. 5, hoc est, sine sorte, et sine comparatione: nam vulgo magistratus provincias vel *sortiebantur* s. *in sortem* (propr. nomina earum in sitellam) *coniiciebant* (v. XXVIII, 38; XXX, 1, 27; et ad XXI, 42, n. 2), h. e. sortem de iis ducebant, et hac ducta illas inter se distribuebant atque accipiebant, vel inter se *comparabant*, de iis inter se conveniebant, i. e. vel sorte vel comparatione definiebant, in quam quisque mitteretur: unde et *sors* dicitur pro *provincia*. Conf. ad X, 26, n. 4; XXII, 35, n. 5; et XXXIII, 43. Sic et *comparare inter se*, *ut* vel *uter* etc. VIII, 6, n. 5; XXV, 13, n. 3; XXV, 41, n. 7; XXVI, 8, n. 7; XXXV, 20, n. 2. *Provincia data*, vid. ad II, 40, n. 9. — Mox propr. legendum *antea dederit* censet Dukerus, propter obliquam orationem; sed Livius aliique scriptores, in primis Tacitus, saepe indicativos ponunt in oratione obliqua. Cf. ad XXXIII, 21, n. 6; XXXIV, 41, n. 4; XXXVI, 39, n. 4; XXXVII, 52; XLIII, 1, n. 6; XLV, 29, n. 7; XLV, 32, n. 1; et passim ad Tacit. Ann.

consulibus. Fabio extra ordinem, quia is victor pacem Aequis dederat, ea provincia data: qui, haud dubia spe profectus, famam nominis sui pacaturam Aequos, legatos in concilium gentis missos nuntiare iussit, » Q. Fabium consulem dicere, se ex Aequis pacem » Romam tulisse, ab Roma Aequis bellum afferre, » eadem dextra armata, quam pacatam illis antea » dederat: quorum id perfidia et periurio fiat, deos » nunc testes esse, mox fore ultores. Se tamen, ut- » cumque sit, etiam nunc, poenitere sua sponte » Aequos, quam pati hostilia malle. Si poeniteat, » tutum [2] receptum ad expertam clementiam fore: » sin periurio gaudeant, diis magis iratis, quam ho- » stibus gesturos bellum ». Haec dicta adeo nihil moverunt quemquam, ut legati prope violati sint, exercitusque in Algidum adversus Romanos missus. Quae ubi Romam sunt nuntiata, indignitas rei, magis quam periculum consulem alterum ab urbe excivit. Ita duo consulares exercitus ad hostem accessere, acie instructa, ut confestim dimicarent. Sed quum forte haud multum diei superesset, unus ab statione hostium exclamat: *Ostentare hoc est, Romani, non gerere bellum. In noctem imminentem aciem instruitis. Longiore luce ad id certamen, quod instat, nobis opus est. Crastino die, oriente sole, redite in aciem: erit copia pugnandi, ne timete.* His vocibus irritatus miles in diem posterum in castra reducitur; longam venire noctem ratus, quae moram certamini faceret. Tum quidem corpora cibo somnoque curant: ubi illuxit postero die, prior aliquanto constitit romana acies;

2. *Tutum receptum ad expertam clementiam fore*, vide ad IV, 57, n. 2. — *Indignitas rei*, superba haec et ignominiosa agendi ratio, *consulem alterum ab Urbe excivit*, T. Quintium: nam Fabius iam profectus erat adversus Aequos.

tandem et Aequi processere. Proelium fuit utrimque vehemens; quod et romanus [3] ira odioque pugnabat, et Aequos conscientia contracti culpa periculi, et desperatio futurae sibi postea fidei, ultima audere et experiri cogebat. Non tamen sustinuere aciem romanam Aequi; pulsique quum in fines suos se recepissent, nihilo inclinatioribus ad pacem animis ferox multitudo increpare duces, quod in aciem, qua pugnandi arte romanus excellat, commissa res sit. Aequos populationibus incursionibusque meliores esse, et multas passim manus, quam magnam molem unius exercitus, rectius bella gerere.

III. Relicto itaque castris praesidio, egressi tanto cum tumultu invasere fines romanos, ut ad Vrbem quoque terrorem pertulerint: nec opinata etiam res plus trepidationis fecit, quod nihil minus, quam ne victus, ac prope in castris obsessus hostis, memor populationis esset, timeri poterat; agrestesque, pavidi incidentes portis, non populationem, nec praedonum parvas manus, sed, omnia vano augentes timore, exercitus et legiones adesse hostium, et infesto agmine ruere ad urbem, clamabant. Ab his proximi audita incerta, eoque vaniora, ferre ad alios: cursus clamorque vocantium ad arma haud multum a pavore captae urbis abesse. Forte ab Algido Quintius consul redierat Romam, id remedium timori fuit, tumultuque sedato, victos timeri [1] increpans hostes, praesidia

3. *Romanus ira odioque pugnabat*, h. e. Romani, ut II, 27; VIII, 3 pr. XXIV, 27, et al. Conf. ad Tac. Ann. XII, 58, n. 4. Sic et *Samnis* VII, 33; *Tarquiniensis* IX, 41; *Carthaginiensis* XXIV, 47; XXVIII, 44: ad quae loca cf. Drakenb. — Invitis omnibus libris scriptis, *romanus miles* ediderant anno 1535 Frobenius; anno 1539 Basileenses; anno 1548 Gryph. quem proximo excepit Curio. LEM.

CAP. III. 1. *Victos timeri hostes increpans*, cum increpatione s. indignatione dicens. Cf. I, 51 pr. IV, 32 pr. 50 pr. VI, 37 pr. XXIII, 45, et Tac. Annal. I, 39 extr. ubi Wolf. monet,

portis imposuit. Vocato dein senatu, quum, ex auctoritate [2] Patrum iustitio indicto, profectus ad tutandos fines esset, Q. Servilio praefecto [3] Vrbis relicto, hostem in agris non invenit. Ab altero consule res gesta egregie est: qui, qua venturum hostem sciebat, gravem praeda, eoque impeditiore agmine incedentem aggressus, funestam ei populationem fecit. Pauci hostium evasere ex insidiis: praeda omnis recepta est: sic finem iustitio, quod quatriduum fuit, reditus Quintii consulis in urbem fecit. Census deinde actus, et conditum [4] ab Quintio lustrum: censa civium capita centum quatuor millia et ducenta quatuordecim dicuntur, praeter orbos orbasque. In Aequis nihil deinde memorabile actum: in oppida sua se recepere, uri sua popularique passi. Consul, quum aliquoties per omnem hostium agrum infesto agmine populabundus isset, cum ingenti laude praedaque Romam rediit.

huic verbo ibi esse potestatem quam dicunt praegnantem, ex neutrali propria et activa mixtam: sic et *indignari*, pro cum indignatione loqui, moleste ferre, queri; vid. ad XXXI, 31, n. 8; XXXII, 34, n. 3; XXXIV, 6, n. 1; XL, 11, n. 3.

2. *Ex auctoritate*, sententia s. voluntate *Patrum*, *iustitio*, interstitione seu cessatione iurisdictionis iudiciorumque publicorum (*omnium rerum* XXVI, 26, n. 4), *indicto* sive edicto a consule. Consules ipsi ius dicebant antequam praetores creati essent, adeoque iustitium erat, quoties, et *servabatur*, quamdiu uterque aberat; *remittebatur* autem, altero reverso, postea etiam absenti (praetoribus creatis): indici et remitti solebat absentibus consulibus (cf. X, 21, al.); indici autem in omni fere vel laetitia vel luctu publico (vide Indicem); nonnunquam et sponte sumi, de quo vid. ad IX, 7, n. 5; XXIII, 25, n. 1; et ad Tacit. Annal. II, 82, 5.

3. *Praefectus Vrbis* s. *Vrbi* ante Augusti tempora, rege vel consulibus absentibus, ab his creari solebat, ne Vrbs sine summo magistratu esset, et institutis praetoribus, latinarum duntaxat feriarum causa. Conf. Ind. et ad Tacit. Ann. IV, 36; VI, 11. — *Eoque impeditiore agmine*, vid. ad V, 16, n. 2, et X, 20, n. 7.

4. *Conditum lustrum*, vid. ad I, 44, n. 3. Conf. Dionys. IX, 36. — *Censa civium capita* 104 *millia et* 214, ut in Epit. *Capitum* MS. Leid. 2: enim vero vox *capita* non referenda ad *millia*, sed ad numerum posteriorem inferioremque *ducenta quatuordecim*, ut semper fere ap. Livium; vid. ad XXXIX,

IV. Consules inde A. Postumius Albus, Sp. Furius Fusus. Furios Fusios[1] scripsere quidam; id admoneo, ne quis immutationem virorum ipsorum esse, quae nominum est, putet. Haud dubium erat, quin cum Aequis alter consulum bellum gereret. Itaque Aequi ab Ecetranis[2] Volscis praesidium petiere: quo cupide oblato (adeo civitates hae perpetuo in Romanos odio certavere), bellum summa vi parabatur. Sentiunt Hernici, et praedicunt Romanis, Ecetranum ad Aequos descisse: suspecta et colonia Antium fuit, quod magna vis hominum inde, quum oppidum captum esset, confugisset ad Aequos: isque miles per bellum Aequicum vel acerrimus fuit. Compulsis deinde in oppida Aequis, ea multitudo dilapsa quum Antium redisset, sua sponte iam infidos colonos Romanis abalienavit. Necdum matura re, quum defectionem parari delatum ad senatum esset, datum negotium est consulibus, ut, principibus coloniae Romam excitis, quaererent quidnam rei esset: qui quum haud gravati[3] venissent, introducti a consulibus ad senatum ita responderunt ad interrogata, ut magis suspecti, quam venerant, dimitterentur. Bellum inde haud dubium haberi. Sp. Furius, consulum alter, cui ea provincia evenerat, profectus in Aequos, Hernicorum

7, n. 1. Hoc loco legitur vulgo *capita centum quatuor et viginti millia ducenta quatuordecim*; vide Drak.

Cap. IV. 1. *Furios Fusios scripsere quidam*, h. e. *Furii* postea dicti, qui olim *Fusii* dicebantur. Cf. ad c. 8, n. 1, et Drak. ad hos locos.

2. *Ecetranis Volscis*, et mox *Ecetranum ad Aequos descisse*, vid. ad II, 25, n. 2.

3. *Haud gravati venissent*, haud dubitassent venire. Al. *gravate*, ut XXI, 24; et *gravatim*, ut I, 2. — *Introducti a consulibus ad*, in, *senatum* legati: num hoc officium erat consulum, et, iis absentibus, praetoris urbani, aut censorum; vide Indicem, voc. *Legati*; et Drakenb. ad XXXIX, 33, n. 1, et Schweigh. ad Polyb. VI, 12. 2; XXI, 1, n. 3; XXIII, 11, n. 1; XXIV, 1, n. 8. Neque tamen semper hunc morem obtinuisse, probabile fit ex Livio XXXIX, 33, ubi v. n. 1. — *Cui ea provincia evenerat*, vid. ad II, 40, n. 8.

in agro populabundum hostem invenit; ignarusque multitudinis, quia nusquam universa conspecta fuerat, imparem copiis exercitum temere pugnae commisit; primo concursu pulsus se in castra recepit; neque is finis periculi fuit: namque et proxima nocte et postero die tanta vi castra sunt circumsessa atque oppugnata, ut ne nuntius quidem inde mitti Romam posset. Hernici et male pugnatum, et consulem exercitumque obsideri nuntiaverunt; tantumque terrorem incussere Patribus, ut (quae forma senatusconsulti ultimae semper necessitatis habita est) Postumio alteri consulum negotium daretur, *Videre* [4] *ne quid respublica detrimenti caperet*. Ipsum consulem Romae manere ad conscribendos omnes, qui arma ferre possent, optimum visum est; pro consule [5] T. Quintium subsidio castris cum sociali exercitu mitti; ad eum explendum Latini, Hernicique, et colonia Antium dare Quintio subitarios milites, ita tum repentina auxilia appellabant, iussi.

V. Multi per eos dies motus multique impetus hinc atque illinc facti, quia, superante multitudine, hostes carpere [1] multifariam vires romanas, ut non suf-

4. *Videre* (al. *videret*, ut *daret operam*, vel *curaret*, vel *provideret*), *ne quid respublica detrimenti caperet* aut *acciperet*, formula seu *forma senatusconsulti*, quo alteri consuli, et *videreat* etc., quo utrique consuli respublica, in *ultimam necessitatem* sive extremum discrimen adducta, cum dictatoria fere potestate *commendari* vel *permitti* solebat. Haec potestas postea pluribus data, nec primum Opimio, sed primum adversus cives; idque significare voluisse Plutarchum, Gracch. pag. 843, iam monuere Manutius de Senatu romano, p. 928, et Drakenb. ad h. l.

5. *Pro consule T. Quintium mitti*, ut al. *proconsulem* et *propraetorem* uno verbo, sed rariori, ut infr. XXXVII, 46, et XXXIX, 29. De hoc proconsulatu, cuius prima h. l. fit mentio, vid. ad XXVIII, 38, n. 4. — *Subitarios milites*, *ita tum repentina auxilia appellabant*; vid. ad I, 37, n. 4.

Cap. V. 1. *Carpere multifariam vires*, in multas parvasque partes divellere, distrahere, et ita imminuere,

fecturas ad omnia, aggressi sunt; simul castra oppugnabantur, simul pars exercitus ad populandum agrum romanum missa, urbemque ipsam, si qua fortuna daret,[1] tentandam. L. Valerius ad praesidium urbis relictus: consul Postumius ad arcendas populationes finium missus. Nihil remissum ab ulla parte curae aut laboris: vigiliae in urbe, stationes ante portas, praesidiaque in muris disposita; et, quod necesse erat in tanto tumultu, iustitium[2] per aliquot dies servatum. Interim in castris Furius consul, quum primo quietus obsidionem passus esset, in incautum hostem decumana[3] porta erupit; et, quum persequi posset, metu substitit, ne qua, ex parte altera, in castra vis fieret. Furium legatum, frater idem consulis erat, longius extulit cursus: nec suos ille redeun-

ut infr. c. 61 extr. et XXVI, 38 (quae metaphora petita est aut ab iis, qui lanam *carpunt*, h. e. ducunt, aliamve rem in minores partes divellunt, aut ab animalibus gramen, thyma aliaque minutatim mordicusve arripientibus); vel partem aliquam exercitus, in primis agminis, et extremi, modo hinc, modo illinc crebeis assultibus aggredi et turbare, ut VI, 32; VIII, 38; XXVII, 48; XXXI, 40: unde *carptim lacessere hostem* et *aggredi* XXII, 16, n. 2; XXVIII, 28; XLIV, 41.

2. *Iustitium... servatum*, vide ad c. 3, n. 2.

3. *Decumana porta* castrorum erat maxima, aversa ab hoste (de quo v. loc. class. Taciti, Annal. I, 66; unde *aversa porta* X, 34, n. 4; XXII, 24; XXIV, 17; XXXI, 42, al.), sic dicta a magnitudine vel a *decumis* cohortibus, ad eam locatis; unaquaeque enim legio in decem cohortes dividebatur. Reliquae erant *principales dextra* atque *sinistra* (ubi *principes* tendebant), et *praetoria*, decumanae, orienti hostique obversa, et vicina *praetorio* (s. tentorio ducis) a tergo (cf. ad VI, 42, n. 7), ut decumana *quaestorio* tentorio, unde et haec *quaestoria* vocatur XXXIV, 47, et XL, 27. Praetoria etiam dicitur *extraordinaria*, ab *extraordinariis* sociorum *equitibus*, *cohortibusque* ibi tendentibus, h. e. tertia parte equitatus et quinta peditatus sociorum: qui extraodinarii milites etiam *electi* seu *delecti* (XLII, 58, n. 5) ἐπίλεκτοι, appellabantur, ut *ablecti*, ἀπόλεκτοι · quidam ex iis secreti, custodes et satellites ducis. Conf. ad X, 32, n. 3; XXXIV, 47, n. 1; XL, 27, 31; Polyb. VI, 26; X, 39; Lips. Mil. Rom. II, 7; IV, 8, et V, 5; Stewech. ad Veget. I, 23; Patric. de Re mil. et Schel. ad Hygin. et Polyb. in Graev. Thes. t. X, pag. 945, 1084, 1152, 1164, 1279.

tes, persequendi studio, neque hostium ab tergo incursum vidit; ita exclusus, multis saepe frustra conatibus captis, ut viam sibi ad castra faceret, acriter dimicans [4] cecidit. Et consul, nuntio circumventi fratris conversus ad pugnam, dum se temere magis, quam satis caute, in mediam dimicationem infert, vulnere accepto, aegre ab circumstantibus ereptus, et suorum animos turbavit, et ferociores hostes fecit: qui, caede legati et consulis vulnere accensi, nulla deinde vi [5] sustineri potuere, quum compulsi in castra Romani rursus obsiderentur, nec spe, nec viribus pares; venissetque in periculum summa [6] rerum, ni T. Quintius peregrinis copiis cum latino hernicoque exercitu

4. *Acriter dimicans cecidit* una cum duabus cohortibus, quas secum duxerat: unde inf. *legati et cohortium caedem*. Cf. Dionys.

5. *Nulla vi.... sustineri;* nulla vi hostibus resisti potuit, vel prohiberi quominus Rom. rursus obsiderentur. — *Deinde, quum compulsi* etc., nisi post *potuere* punctum est ponendum, et pro *venissetque* legend. *venisset utique*. Pro *quum* quidam MSS. *quin*: unde Gron. conj. *quin compulsos in castra Romanos rursus obsiderent*. Haec probavit Duk. coll. II, 19, et XXXIII, 36. — Codex Paris. habet lectionem vulgatam *quum*; altera expeditior, et quae multis fortasse placebit, reperitur in Sorbonico: *nulla deinde vi sustineri potuere. Compulsi in castra Romani rursus obsidentur*. Lem.

6. *Summa rerum*, ut fere *summa res* (XXXIII, 45; XXXVI, 34), vel *summa respublica*, vel *summa reipublicae*, universa respublica, vel salus eius (ut IX, 38, n. 7, *in quo tum summa rei bellicae*, salus reipubl. bello tuendae, *ponebatur*), vel res, ab qua haec pendet (ut *summa rei*, id, quo tota res redit et quo continetur; aut *summa totius spei* III, 61, id, in quo totum bellum et eventus eius s. victoria versatur, et omnis spes posita est), vel summum imperium in re publica (ut cap. 6 extr. et XXIII, 17, n. 1), aut militari (ut XXV, 22 pr.), vel, ut h. l., totus exercitus cum castris. Sic et *summa rei* infr. c. 10; VIII, 26; X, 39, est, quod mox, c. 10, *caput* et *vires belli* dicitur, et *summa rerum* XXI, 12 et 29, aut *summa belli* III, 61 extr. et XXIX, 4, bellum universum. Conf. ad I, 38, n. 2; ad Tacit. Ann. II, 45, 6, et Gron. infr. ad XXVI, 10, et XXXVIII, 50. — Mox legendum iam alii monuere *ni T. Quintius cum peregrinis copiis, latino hernicoque exercitu* (ut 5, 19), vel *ni T. Q. perituris*, aut *peraegris*, aut *propere aegris*, aut (in) *tempore aegerrimis copiis*, scil. Romanis, *subvenisset*. Alii verba *peregrinis copiis*, aut *latino hernicoque exercitu* glossema esse putant. Conf. cap. 4 extr.

subvenisset. Is, intentos in castra romana Aequos legatique caput ferociter ostentantes ab tergo adortus, simul ad signum a se procul editum ex castris eruptione facta, magnam vim hostium circumvenit. Minor caedes, fuga effusior Aequorum in agro fuit romano; in quos palatos, praedam agentes, Postumius aliquot locis, quibus opportuna [7] imposuerat praesidia, impetum dedit: ii vagi, dissipato agmine fugientes, in Quintium victorem, cum saucio consule revertentem, incidere. Tum consularis exercitus egregia pugna consulis vulnus, legati et cohortium ultus est caedem: magnae clades ultro citroque illis diebus et illatae et acceptae. Difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnaverint ceciderintve, exacto [8] affirmare numero; audet tamen Antias [9] Valerius concipere summas: Romanos cecidisse in hernico agro quinque millia ac trecentos; ex praedatoribus Aequorum, qui populabundi in finibus romanis vagabantur, ab A. Postumio consule duo millia et quadringentos caesos; ceteram multitudinem, praedam agentem, quae inciderit in Quintium, nequaquam pari defunctam [10] esse caede; interfecta inde quatuor millia, et exsequendo subtiliter numerum, ducentos, ait, et triginta.

7. *Opportuna praesidia*, opportuno loco (sed ita potius dixisset Livius *locis opportunis*, *quibus imposuerat praesidia*) aut tempore in insidiis locata, vel satis idonea ad excipiendum hostem.

8. *Difficile est, ad fidem .... affirmare*, ita, ut affirmationi fides haberi possit; *exacto numero*, accurato.

9. Q. *Valerius Antias*, aequalis Sisennae, C. Licinii Macri (IV, 7), Lucretii et Catulli, vixit Sullae temporibus scripsitque Annales Rom., grande opus, cuius librum LXXV laudat Gell. VII, 9 extr. et LXXIV Priscian. lib. IX. Vrbanius a Livio vituperatur hoc loco, quam aliis, in Ind. citatis. Alius est *L. Valerius Antias* XXIII, 34. — *Romanos quinque millia ac trecentos*: non est quod legas *Romanorum*, multo minus cum Rhen. *quinquies mille*; v. ad XXXV, 20, n. 3, et XXXIX, 7, n. 1.

10. *Pari defunctam caede*, vide ad II, 35, n. 2. — *Exsequi*, exigere, *subtiliter numerum*.

Vt Romam reditum et iustitium [11] remissum est, caelum visum est ardere plurimo igni; portentaque alia aut obversata oculis, aut vanas exterritis ostentavere species. His avertendis terroribus in triduum [12] feriae indictae, per quas omnia delubra pacem deum exposcentium virorum mulierumque turba implebantur. Cohortes inde latinae hernicaeque ab senatu, gratiis ob impigram militiam actis, remissae domos. Antiates mille milites, quia serum auxilium post proelium venerant, prope cum ignominia dimissi.

VI. Comitia inde habita: creati consules L. Aebutius, P. Servilius kalendis [1] sextilibus, ut tunc principium anni agebatur, consulatum ineunt. Grave [2] tempus, et forte annus [3] pestilens erat urbi agrisque, nec hominibus magis, quam pecori; et auxere [4] vim morbi, terrore populationis pecoribus agrestibusque in urbem acceptis. Ea colluvio mixtorum omnis generis animantium, et odore insolito urbanos, et agre-

11. *Iustitium remissum est*, vid. ad cap. 3, n. 1.

12. *In triduum*, ut plerumque, *indictae feriae*, supplicationes ad omnia deorum pulvinaria, quarum tempore ab omnibus negotiis publicis cessabatur; cf. infr. ad cap. 63, n. 2. — *Pacem deum exposcentium*, v. ad I, 16, n. 4.

Cap. VI. 1. *Consules kal. sextilibus* (Augusti), *ut tunc principium anni agebatur, consulatum ineunt*, at postea aliis diebus (v. Ind. voc. *Annus*) et ab an. Vrb. cond. 598 vel 599 constanter kal. ianuariis. Causam mutationis vide apud Dionys. Halic. lib. X, p. 678. Conf. infr. Epit. XLVII, et ad Ovid. Fast. I, 81; III, 147; *anni*, sc. consularis, non civilis.

2. *Grave tempus*, h. e. propter aëris gravitatem valetudini noxiam, insalubre, pestiferum. Cf. cap. 8, et X, 31; XXIII, 34, n. 6; XXV, 26; XXXVII, 23. Hinc *gravitas caeli aquarumque* XXIII, 34, n. 6, pestilentia vel gravis noxiaque vis aëris et aquarum.

3. *Annus pestilens* lue vel febribus epidemicis; vide ad I, 31, n. 4. Sed de re ipsa Dionys. IX, 68, qui eam mirifice exornavit.

4. *Auxere vim morbi*, sc. Romani; vel *morbi auxere vim*, sc. suam, h. e. aucta est vis morbi, *terrore*, ob terrorem etc.; nisi leg. *auxere vim morbi terrores p.* (quod exstat in multis MSS. et edd. ante Rhen. et eodem sensu, quo nostra lectio, doctiusque dictum videri potest) vel e MS. Klock. *auxerat vis morbi*, h. e. aucta erat; vide ad II, 3, n. 2.

stem confertum in arcta tecta, aestu ac vigiliis angebat, ministeriaque in vicem ac contagio ipsa vulgabant [5] morbos. Vix instantes sustinentibus clades, repente legati hernici nuntiant, in agro suo Aequos Volscosque coniunctis copiis castra posuisse: inde exercitu ingenti fines suos depopulari. Praeterquam quod infrequens senatus indicio erat sociis afflictam civitatem pestilentia esse, moestum etiam responsum tulere: *ut per se ipsi Hernici cum Latinis res suas tutarentur. Vrbem romanam subita deum ira morbo populari: si qua eius mali quies veniat, ut anno ante, ut semper alias, sociis opem laturos.* Discessere socii, pro tristi 6
nuntio tristiorem domum referentes; quippe quibus per se sustinendum bellum erat, quod vix romanis fulti viribus sustinuissent. Non diutius se in hernico hostis continuit: pergit [7] inde infestus in agros romanos, etiam sine belli [8] iniuria vastatos. Vbi quum obvius nemo, ne inermis quidem, fieret, perque omnia, non praesidiis modo deserta, sed etiam cultu agresti, transirent, pervenere ad tertium [9] lapidem Gabina via. Mortuus Aebutius erat romanus consul; collega eius Servilius exigua in spe trahebat [10] animam; [11] affecti plerique principum, Patrum maior pars, militaris fere aetas omnis; ut non modo [12] ad

5. *Vulgabant morbos*, vide ad II, 29, n. 5. — *Instantes clades*, urgentes, ut V, 6, n. 5, et locis ibi laudatis. Locutio petita ab hoste, nobis *instante*, nos urgente, premente. Cf. XXXII, 36, n. 2, cum XXXII, 31 extr. XXXV, 15, n. 1; XXXV, 33, n. 5; et in pr. ad XXXVI, 10, n. 6; ad Tacit. II, 55 extr. XV, 55, §. 4; ad Sil. I, 268; VII, 349. — *Infrequens senatus*, vid. ad c. 23, n. 9.

6. *Pro tristi nuntio* Romam allato. — *In hernico* agro s. solo.

7. *Pergit inde infestus in agros*, v. ad I, 6, n. 1, et I, 13, n. 2.

8. *Agros, etiam sine belli iniuria*, damno, vel sine iniusto bello, *vastatos*, sc. peste et agrestium fuga.

9. *Ad tertium lapidem Gabina via*, vide ad II, 11, n. 3.

10. *Trahebat animam*, ducebat spiritum, spirabat, vivebat.

11. *Affecti* morbo *plerique principum* civitatis.

12. *Non modo* non *ad expeditio-*

expeditiones, quas in tanto tumultu res poscebat, sed vix ad quietas stationes viribus sufficerent. Munus vigiliarum senatores, qui per aetatem ac valetudinem poterant, per se ipsi obibant: circuitio [13] ac cura aedilium plebei erat; ad eos summa [14] rerum ac maiestas consularis imperii venerat.

VII. Deserta omnia, sine capite, sine viribus, dii praesides ac fortuna Vrbis tutata est, quae Volscis Aequisque praedonum potius mentem quam hostium dedit; adeo enim nulla spes non potiundi modo, sed ne adeundi quidem romana moenia animos eorum cepit, tectaque procul visa atque imminentes tumuli avertere mentes eorum; ut totis passim castris fremitu orto, *quid in vasto* [1] *ac deserto agro inter tabem pecorum hominumque desides sine praeda tempus tererent, quum integra loca, tusculanum agrum, opimum copiis petere possent?* signa repente convellerent, transversisque itineribus per lavicanos agros in tusculanos [2] colles transirent: eo vis omnis tempestasque

nes etc., vide ad I, 40, n. 1. — In *tanto tumultu*, vid. ad II, 26, n. 1.

13. *Circuitio* per Vrbem, ordinis tuendi causa, aut obitus et lustratio vigiliarum *ac cura* vigiliarum? an omnium rerum, ad salutem reipublicae pertinentium? Illud praestiterit: nam ita saepius in magna Vrbis trepidatione minores magistratus vigilias circumire iussi sunt: cf. XXXII, 26; XXXIX, 14-16. Senatores itaque gregariorum militum, aediles equitum munere funguntur. Sed sic forte del. *ac cura*, saltem *ac*; aut legendum *circuitionis cura aedil.* (aedilibus) *pl. erat*, vel *circuitio nocturna*, ut *vigiliarum nocturnarum cura* XXXIX, 16 extr. Si vocem *cura* illo ampliore sensu propter seqq. acceperis, obscure sententia expressa. Nescio tamen, cur mihi tantopere displiceant verba *ac cura*, quae neminem intpp. offendisse videntur.

14. *Summa rerum*, v. ad c. 5, n. 6.

Cap. VII. 1. *Quid in vasto agro*, vacuo, deserto, ut X, 12, n. 4; *vastam ac desertam bellis urbem* XXIV, 3; et *urbe a defensoribus vasta* XXIII, 30, n. 4, ubi edd. et MSS. fere omnes *vastata* exhibent, et Sigonius conj. *a defensoribus vacua*, ut XLII, 63, et apud Caes. Bel. Gall. II, 12. — *Integra loca*, salubria, non affecta contagione ac *tabe pecorum hominumque*, de qua vid. c. 6. Similiter *integer* opponitur *victo* XXX, 29, n. 4; et *vulnerato* XXXV, 29.

2. *Tusculanos colles*, v. ad Sil. VII,

belli conversa est. Interim Hernici Latinique, pudore etiam, non misericordia solum moti, si nec obstitissent communibus hostibus, infesto agmine romanam urbem petentibus, nec opem ullam obsessis sociis ferrent, coniuncto exercitu Romam pergunt. Vbi quum hostes non invenissent, sequuti famam ac vestigia, obvii fiunt descendentibus ab tusculano in albanam vallem. Ibi haudquaquam aequo proelio pugnatum est, fidesque sua sociis parum felix in praesentia fuit. Haud minor Romae fit morbo strages, quam quanta ferro sociorum facta erat: consul, qui unus supererat, moritur: mortui et alii clari viri, M. Valerius, T. Virginius Rutilus, augures; Serv. Sulpicius, curio[3] maximus: et per ignota capita late evagata est vis morbi: inopsque senatus auxilii humani, ad deos populum ac vota vertit: iussi cum coniugibus ac liberis supplicatum[4] ire, pacemque exposcere deum. Ad id, quod sua quemque mala cogebant, auctoritate publica evocati, omnia delubra implent; stratae passim matres, crinibus[5] templa verrentes, veniam irarum caelestium, finemque pesti exposcunt.

VIII. Inde paulatim, seu pace deum impetrata, seu graviore tempore anni iam circumacto, defuncta morbis corpora salubriora esse incipere: versisque animis iam ad publicam curam, quum aliquot[1] interregna

692. — *Obsessis sociis*, Romanis, non vere, sed ex illorum opinione. Conf. princ. capitis.

3. *Curio maximus*, praefectos XXX curionibus, qui in XXX curiis sacra faciebant. Creabatur ex Patribus comitiis curiatis; v. inf. XXVII, 8.

4. *Supplicatum ire pacemque exposcere deorum* (vide ad I, 16, n. 4), ad *omnia delubra*. Conf. Iod. et ad III, 63, n. 2; V, 13, n. 5. Mox iunge: *ad id evocati*; nisi *ad id, quod* dictum pro praeterquam quod, ut infra cap. 62 pr. XLIV, 37 et alibi. Cf. ad II, 23, n. 3.

5. *Crinibus* passis *templa verrentes*, vid. ad XXVI, 9, n. 4.

Cap. VIII. 1. *Quum aliquot inter-*

exissent, P. Valerius Publicola tertio die, quam interregnum inierat, consules creat L. Lucretium Tricipitinum et T. Veturium Geminum; sive ille Vetusius fuit. Ante diem tertium idus sextiles consulatum ineunt, iam satis valida civitate, ut non solum arcere bellum, sed ultro etiam inferre posset. Igitur nuntiantibus Hernicis, in fines suos transcendisse hostes, impigre promissum auxilium; duo consulares exercitus scripti: Veturius missus in Volscos ad bellum ultro inferendum: Tricipitinus, populationibus arcendis sociorum agro oppositus, non ultra, quam in Hernicos, procedit. Veturius primo proelio hostes fundit fugatque. Lucretium, dum in Hernicis sedet, praedonum agmen fefellit [2], supra montes praenestinos ductum, inde demissum in campos. Vastavere agros praenestinum gabinumque: ex gabino in tusculanos flexere colles. Vrbi quoque Romae ingens praebitus terror, magis in re subita, quam quod ad arcendam vim parum virium esset. Q. Fabius [3] praeerat Vrbi: is armata iuventute, dispositisque praesidiis, tuta omnia ac tranquilla fecit. Itaque hostes, praeda ex proximis

regna exissent, finita essent. *Interreges* (qui magistratus solus cum plebe non communicatus est) comitiorum praecipue habendorum causa, quae non nisi a summo magistratu haberi poterant, temporibus liberae reip. prodebantur vel absentibus consulibus, vel utroque consule, ut nunc, ante exactum consulatus annum mortuo, vel comitiis intercessione tribunorum pl. impeditis (v. VI, 36), vel ob similes causas. Confer Iud. — *Veturium Geminum; sive ille Vetusius fuit*, vid. ad c. 4, n. 1. — *Iam satis valida civitate*, ut X, 33, n. 3, *vixdum validum*, qui vix convaluerat ex morbo, viresque amissas recuperaverat.

2. *Lucretium praedonum agmen fefellit*, graece ἔλαθεν. Sic inf. VIII, 20, *fallit hostis ad Vrbem accedens*, gr. λανθάνει προσιών· XXIII, 19, n. 6, *ne quid falleret* (Poenos) *missum*, h. e. iis insciis mitteretur; et XXV, 23, n. 3, *ne quid falleret tale admissum*, i. e. clam admitteretur, nisi malis, fraudi esset, ut XXV, 9, n. 2, et XXIX, 35, n. 1. Confer ad VI, 15, n. 5; X, 14, n. 5; XXIV, 41, n. 5; XLII, 64, n. 2; XLIV, 29, n. 3; in primis XLI, 2, n. 1.

3. *Q. Fabius praeerat Vrbi*, vid. ad c. 3, n. 2.

locis rapta, appropinquare Vrbi non ausi, quum circumacto agmine redirent, quanto longius ab urbe hostium abscederent, eo solutiore[4] cura, in Lucretium incidunt consulem, iam ante exploratis itineribus[5] suis instructum, et ad certamen intentum. Igitur praeparatis animis, repentino pavore perculsos adorti, aliquanto pauciores multitudinem ingentem fundunt fugantque; et compulsos in cavas[6] valles, quum exitus haud in facili essent, circumveniunt. Ibi volscum nomen prope deletum est: tredecim millia quadringentos septuaginta cecidisse in acie ac fuga, mille ducentos quinquaginta vivos captos, signa viginti septem militaria relata, in quibusdam annalibus invenio; ubi etsi adiectum aliquid numero sit, magna certe caedes fuit. Victor consul, ingenti praeda potitus, eadem in stativa rediit. Tum consules castra coniungunt: et Volsci Aequique afflictas vires suas in unum contulere. Tertia illa pugna eo anno fuit: eadem fortuna victoriam dedit: fusis hostibus, etiam castra capta.

IX. Sic res romana in antiquum statum rediit: secundaeque res belli extemplo urbanos motus excitaverunt. C. Terentillus[1] Arsa tribunus plebis eo anno

4. *Solutiore cura*, liberiore, animo omnis timoris experte. Proprie animus, curis et metu liber, iis *solutus* dicitur. Hinc et *solute ac negligenter* iunguntur XXIII, 37, ut *soluta*, sc. curis, secura VI, 3; VIII, 30; XXV, 39, n. 4, ubi *soluta*, *secura* et *neglecta* iunguntur.

5. *Iam ante exploratis itineribus suis*, opportunis (vid. ad I, 56, n. 10), vel a se faciendis (Duk. delend. putabat τὸ *suis*; Doer. iungit *suis instructum*, cum suis militibus paratum et dispositum ad pugnam): *instructum*, instructa acie, vel militibus suis in acie collocatis incedentem, vel, ut sup. I, 15, *dimicationi ultimae instructum intentumque*. Cf. IX, 37, n. 3, et X, 19, ubi *instruere* simplic. dicitur pro instruere aciem, vel se. Hinc et *instructi* X, 19.

6. *Compulsos in cavas valles* (conf. VII, 34 pr. et XXVIII, 2. pr.), *quum exitus haud in facili*, h. e. non faciles (ut contra *in difficili est moderatio* inf. cap. 65 extr.), *essent*, forte essent: nam *exitus* h. l. est exeundi facultas.

Cap. IX. 1. *C. Terentillus Arsa*, de cuius consulatu cf. Dionys. X, 1 sq.

fuit: is, consulibus absentibus, ratus locum tribunitiis [2] actionibus datum, per aliquot dies Patrum superbiam ad plebem criminatus, maxime in consulare imperium, tanquam nimium, nec tolerabile liberae civitati, invehebatur : « nomine enim tantum minus » invidiosum, re ipsa prope atrocius, quam regium, » esse. Quippe duos pro uno domino acceptos, im» moderata, infinita [3] potestate : qui soluti atque » effrenati ipsi, omnes metus legum omniaque sup» plicia verterent in plebem. Quae ne aeterna illis » licentia sit, legem se promulgaturum, ut quinque » viri creentur legibus de imperio consulari scri» bendis. Quod populus in se ius dederit, eo con» sulem usurum: non ipsos libidinem ac licentiam » suam pro lege habituros ». Qua promulgata lege, quum timerent Patres, ne, absentibus consulibus, iugum acciperent, senatus a praefecto urbis Q. Fabio vocatur: qui adeo atrociter in rogationem latoremque ipsum est invectus, ut nihil, si ambo consules infesti circumstarent tribunum, relictum minarum atque terroris sit: « insidiatum eum, et tempore [4] capto

(ubi etiam *Terentius* dicitur), ut de principiis iuris rom. Tacit. Ann. III, 26 sq. Res ipsa, quam Terentillus hic moliebatur, gravissima erat. Nam omnis iurisdictio, ut antea penes reges, sic nunc penes consules erat, ex arbitrio vel patriis moribus institutisque iura dicentes, non ex legibus, quae et paucae et solis notae Patribus erant, ac saepius negligebantur; quo fiebat, ut ius incertum quasi fluitaret. Nec facile erat huic malo mederi, quum Patribus haec potentia [illegible] grata esset, tribunorum autem rogationes a. actiones non nisi ad summam potestatem regnumque patriciorum manibus eripiendum sibique vindicandum spectarent: hinc motus urbani, a Terentillo excitati.

2. *Tribunitiis actionibus*, vid. ad II, 56, n. 4.

3. *Immoderata*, *infinita* (respectu magnitudinis, non temporis) *potestate*, verba hominis ad invidiam haec exaggerantis. Eadem vero epitheta sine copula *et* iunxit Auctor libri ad Hereon. II, 22, quo velut hiatu vis orationis augetur.

4. *Tempore capto*, opportuno, commoda occasione (ut λαβεῖν καιρὸν) scilic. absentia consulum: sic XXVI, 12, n. 8; XXX, 42, n. 5; XXXIII,

» adortum rempublicam. Si quem similem eius priore » anno, inter morbum bellumque, irati dii tribunum » dedissent, non potuisse[5] sisti. Mortuis duobus con» sulibus, iacente aegra civitate in colluvione omnium » rerum, ad tollendum e republica consulare impe» rium laturum leges fuisse; ducem Volscis Aequis» que ad oppugnandam Vrbem futurum. Quid[6] tan» dem? illi non licere, si quid consules superbe in » aliquem civium aut crudeliter fecerint, diem di» cere? accusare his ipsis iudicibus, quorum in ali» quem saevitum sit? Non illud consulare imperium, » sed tribunitiam potestatem invisam intolerandam» que facere: quam pacatam reconciliatamque Patri» bus de integro in antiqua redigi mala: neque illum » se deprecari, quominus pergat ut coeperit. « Vos, » *inquit Fabius*, ceteri tribuni, oramus, ut primum » omnium cogitetis, potestatem istam ad singulorum » auxilium, non ad perniciem universorum compa» ratam esse; tribunos plebis vos creatos, non hostes » Patribus. Nobis miserum, invidiosum vobis est, » desertam [7] rempublicam invadi: non ius vestrum, » sed invidiam minueritis. Agite cum collega, ut rem » integram in adventum consulum differat. Ne Aequi[8] » quidem ac Volsci, morbo absumptis priore anno » consulibus, crudeli superboque nobis bello insti-

28 pr. et forte XXXV, 19. Vulgo legebatur *tempore apto*; locutionem autem latinam, etsi aliter indicet Glareanus illustravit Gronov. ad XXVI, 12, ubi *capto* habet MS. Puteanus, sed ceteri et editiones ante Gronovium dant *captato*, ut IV, 36, et V, 6.

5. *Non potuisse sisti*; II, 29, n. 7.

6. *Quid tandem?* Vox *tandem* in interrogationibus saepe vim habet vehementius instandi; Drak. Confer ad cap. 68, n. 1. — *Illi non licere*, scilic. tribuno. — *His ipsis iudicibus*, populo. — *Non illud*, scil. quod molitur tribunus: alii legunt *illum*. — Mox *placatam* MS. Flor. pro *pacatam* probb. Gron. et Drak.

7. *Desertam remp.* absentibus consulibus, *invadi* a tribunis.

8. *Ne Aequi quidem ac Volsci* etc., nam in Tusculanos agros transiere, non vero miseratione moti, v. cap. 7.

» tere. » Agunt cum Terentillo tribuni; dilataque in speciem[9] actione, re ipsa sublata, consules extemplo arcessiti.

X. Lucretius cum ingenti praeda, maiore multo gloria rediit; et auget gloriam adveniens, exposita omni in campo Martio praeda, ut suum quisque per triduum[1] cognitum abduceret: reliqua vendita, quibus domini non exstitere. Debebatur omnium consensu consuli triumphus: sed dilata res est, tribuno de lege agente. Id antiquius[2] consuli fuit. Iactata per aliquot dies quum in senatu res, tum ad populum est: cessit ad ultimum maiestati consulis tribunus, et destitit; tum imperatori exercituique honos suus redditus. Triumphavit de Volscis Aequisque: triumphantem sequutae suae legiones: alteri consuli datum, ut[3] ovans sine militibus Vrbem iniret. Anno deinde insequenti

9. *Dilataque in speciem actione* etc. In praesens et in hunc unum puto: nam deinde gravissimis motibus agitatur; Duk.

Cap. X. 1. *Vt suum quisque per triduum cognitum abduceret*: ut *cognoscere* XXIV, 16; XXVI, 30; XXXVIII, 38; vel *noscere* X, 20, 36; et *recognoscere* V, 16, domini dicuntur, quae sua esse probant; Doer. Similiter forsan *agnoscere* XL, 11, n. 4. *Cognita* dominis restitui solebant, at *incognita venire*, ut V, 16; XXXV, 1 extr. et al. Conf. ad XXXVIII, 38, n. 8. — *Reliqua* praeda *vendita*, *quibus* rebus, pro *cui*, quoniam *praeda* est nomen collectivum; Stroth. *reliqua*, sc. praedae, ut *reliqua belli* IX, 16 (pro *reliquiis belli*, ut XXVI, 1); Doer. Immo *reliqua* pro *reliquae res*, ut *suum*. Cf. ad XXXIII, 24, n. 4.

2. *Id antiquius consuli fuit*, vid. ad I, 32, n. 3. — *Iactata res*, tractata, de ea disceptatum, *quum in senatu*, *tum ad*, apud, *populum*, in concione populi. Conf. X, 37, n. 6; X, 46 extr. XXII, 23, n. 6. « Quae hic narrantur, vix potuere fieri, nisi consule ipso in Vrbe et senatu praesente; unde colligi potest, non antiquissimi instituti esse, ut triumphum petituri Vrbem ingredi non possent: sed forte Lucretius legibus a senatu solutus fuit» ; Duk.

3. *Vt ovans Vrbem iniret*: de qua ovatione et quomodo a triumpho differat (quod Livius, tanquam suis lectoribus notissimum, omittit) vid. Dionys. V, 47; VIII, 68; Gell. V, 6; Plutarch. in Marcello pag. 310; Dio LIV, 33; LV, 2; unde intelligitur, ovantes non bovem diis, ut triumphantes, sed *ovem* immolasse, neque curru, sed pedibus, et postea equo Vrbem esse ingressos, et praetexta tantum indutos,

lex Terentilla, ab toto[4] relata collegio, novos aggressa consules est: erant consules P. Volumnius, Serv. Sulpicius. Eo anno caelum ardere visum; terra ingenti concussa motu est: bovem loquutam, cui rei priore anno fides non fuerat, creditum: inter alia prodigia et carnem pluit; quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuisse fertur: quod intercidit, sparsum ita iacuisse per aliquot dies, ut nihil[5] odor mutaret. Libri[6] per duumviros sacrorum aditi: pericula[7] a conventu alienigenarum praedicta, ne qui in loca summa urbis impetus, caedesque inde fierent; inter cetera monitum, ut seditionibus abstineretur. Id factum ad impediendam legem tribuni criminabantur, ingensque aderat certamen. Ecce, ut idem in singulos annos orbis[8] volveretur, Hernici nuntiant,

4. *Lex Terentilla relata*, iterum lata. — De *prodigiis*, quae mox memorantur, vide ad I, 31, n. 1. — *Carnem pluit*, non *carne* (ut X, 31; XXXVII, 3; XL, 19) MSS. et *pluisse*, sc. fertur, prob. Gron. Dicitur etiam *pluit terra* XXXIV, 45; XXXV, 21; et *lapidibus* I, 31; VII, 28; XXI, 62, al.

5. *Vt nihil*, plane non, *odor mutaret* se, mutaretur (vid. ad II, 3, n. 2); nisi malis: ut carnis formam et aspectum neutiquam *odor*, putredo, *mutaret*: nam corpora *mutantur*, quae putrefiunt. Cf. Valer. Max. I, 6, extern. 5. Forte leg. *interciderit*.

6. *Libri* Sibyllini (s. fatales XLII, 2. al.) tres *per duumviros sacrorum*, s. sacris faciundis (quorum loco an. Vrb. cond. 386, *decemviri sacris faciundis* creati sunt ex plebe et patriciis, de quo vide VI, 37, et a Sulla *quindecimviri*) *adiri* s. inspici et consuli ex senatusconsulto solebant difficili reip. tempore, in prim. prodigiis insignibus nuntiatis; et tum caeremoniae, sacrificia aliaque, in iis praescripta, procurari. Cf. XXII, 9, 36 al. Hos libros Tarquinius, sive Priscus, sive Superbus, a Sibylla Cumana emisse, et duumviris illustribus custodiendos tradidisse dicitur; v. Dionys. IV, 62, nam Livius hanc historiam fabulosam silentio praetermisit: quod ob tantam librorum illorum auctoritatem frequentemque in seqq. libris mentionem minime probandum. Saltem non simpl. *libri* h. l. dicendi erant, qui nunc primum memorantur: etsi vulgaris haec loquendi ratio facta. Cf. V, 50; X, 47; XXII, 36; XXV, 12; XXXI, 12; XXXIV, 55.

7. *Pericula a conventu alienigenarum*, sc. metuenda.

8. *Vt idem orbis volveretur*, ut eadem rerum vicissitudo rediret; metaphora sumpta a rotis, quarum orbis eodem semper modo circumagitur; cf. XLII, 42.

Volscos et Aequos, etsi accisae[9] res sint, reficere exercitus; Antii summam[10] rei positam; Ecetrae Antiates colonos palam concilia facere: id caput, eas vires belli esse. Vt haec dicta in senatu sunt, delectus edicitur: consules belli administrationem inter se dispartiri iussi: alteri, ut Volsci, alteri, ut Aequi provincia esset. Tribuni coram in foro personare[11], « fabulam compositam volsci belli, Hernicos ad partes[12] paratos: iam ne virtute quidem premi libertatem populi romani, sed arte eludi. Quia, occidione prope occisos Volscos et Aequos movere sua sponte arma posse, iam fides[13] abierit, novos hostes quaeri: coloniam fidam, propinquam, infamem fieri: bellum innoxiis Antiatibus indici, geri cum plebe romana: quam, oneratam armis, ex urbe praecipiti agmine acturi essent, exsilio et re-

9. *Accisae res*, ut VIII, 11 al. et *copiae* VIII, 11. *Accisae* propr. dicuntur aves, quibus alae sunt resectae, et hinc *res*, opes, vires exhaustae, extenuatae, imminutae, consumptae: hinc et *spes abscisa*, *incisa*, et *praecisa* pro infracta, adempta, sublata (vide ad XXXV, 32, n. 4); *accidere res Vestinorum* VIII, 29, n. 8; *incidere media* apud Cicer. Phil. II, 19. Sic et ἐπιτέμνειν τὰς γνώμας ap. Polyb. V, 58, 3. — *Reficere exercitum*, explere, supplere, imminutum militum numerum restituere; sed VIII, 36, n. 6, *refectus exercitus* dicitur recreatus ex vulneribus, sanatus, vel qui corporis vires recuperavit; ut *refici spes*, *animi* et vires dicuntur pro restitui, renovari, recreari, XXIII, 26; XXXIII, 36; XXXVII, 24.

10. *Summam rei .... caput* et *vires belli*, vide supr. ad cap. 5, n. 6. — *Aequi provincia*, v. ad II, 40, n. 8.

11. *Personare*, clara voce dicere s. iactare. — *Fabulam compositam volsci belli*, vide ad XL, 12, n. 4.

12. *Hernicos ad partes* in fabula agendas *paratos* semper esse, vel subornatos esse auctores falsi rumoris. Locutiones a scena petitae: Hernici autem, socii Rom., iam aliquoties nuntiaverant, hostes venisse in suos fines. Conf. cap. 4, 6 et 8. — *Occidione occisos*, vide ad II, 51, n. 9, ubi hae voces explicantur.

13. *Iam fides* et probabilitas *abierit*, evanuerit, parum probabile videatur, ut *abiit timor* II, 52, et οἴχεσθαι pro perire. Vulgo legitur *id fides abierit* prob. Gron. ad V, 34 med. ut *id* dictum sit, pro *id factum esse*, quem tamen usum loquendi non satis idoneis firmavit exemplis.

» legatione civium ulciscentes tribunos. Sic[14], ne » quid aliud actum putent, victam legem esse; nisi, » dum in integro res sit, dum domi[15], dum togati » sint, caveant ne possessione urbis pellantur, ne iu- » gum accipiant. Si animus sit, non defore auxilium: » consentire omnes tribunos: nullum terrorem[16] ex- » ternum, nullum periculum esse. Cavisse deos pri- » ore anno, ut tuto libertas defendi posset ». Haec » tribuni.

XI. At ex parte altera consules in conspectu eorum, positis sellis, delectum habebant: eo decurrunt tribuni, concionemque secum trahunt: citati pauci, velut rei experiendae causa; et statim vis coorta. Quemcumque lictor iussu consulis prehendisset, tribunus mitti iubebat: neque suum cuique ius modum faciebat, sed virium spe et manu obtinendum erat, quod intenderes. Quemadmodum se tribuni gessissent in prohibendo delectu, sic Patres in lege, quae per omnes comitiales[1] dies ferebatur, impedienda gerebant. Initium erat rixae, quum discedere populum iussissent tribuni, quod Patres se submoveri haud sinebant; nec fere seniores rei intererant; quippe quae non consilio regenda, sed permissa temeritati audaciaeque esset. Multum et consules se[2] abstinebant, ne cui in colluvione rerum

14. *Sic*, hac fraude, *ne quid aliud actum*, egisse et spectasse consules, *putent*. — *Res est in integro*, ut al. *in tuto*, *angusto*, *turbido*, *expedito*, pro *res est integra*.

15. *Dum domi*, *dum togati sint*, v. ad cap. 50, n. 1.

16. *Terrorem externum*, vid. ad II, 39, n. 7.

Cap. XI. 1. *Per omnes comitiales dies*, h. e. quibus comitia habentur vel haberi possunt, quorum 184 in kalendario rom. numerantur, omnes scil. anni dies praeter festos, nefastos et nundinas. Eos non diversos fuisse a *fastis*, ex h. l. et Varr. de Ling. lat. patere monet Stroth. ad XXIV, 7, et XXV, 2. — *Quum discedere populum iussissent tribuni* etc., vide ad II, 56, n. 11 et 12.

2. *Multum et consules se abstinebant*, scil. ab hac re et rixa. — Mox

maiestatem suam contumeliae offerrent. Caeso erat Quintius, ferox iuvenis, qua nobilitate gentis, qua corporis magnitudine et viribus: ad ea munera data a diis, et ipse addiderat multa belli decora, facundiamque in foro; ut nemo, non lingua, non manu promptior in civitate haberetur. Hic, quum in medio Patrum agmine constitisset, eminens inter alios, velut omnes dictaturas consulatusque gerens in voce ac viribus suis, unus impetus tribunitios popularesque procellas sustinebat. Hoc duce, saepe pulsi foro tribuni, fusa ac fugata plebs est: qui obvius fuerat, mulcatus[3] nudatusque abibat: ut satis appareret, si sic agi liceret, victam legem esse. Tum, prope iam perculsis aliis tribunis, A. Virginius, ex collegio unus, Caesoni capitis diem[4] dicit. Atrox in-

nemo non lingua etc., v. ad II, 45, n. 7.

3. *Mulcatus*, pugnis s. virgis s. calcibus percussus, verberatus, male tractatus (ut VIII, 24, 27, 29; IX, 28, 30 extr. ubi conf. Gron. et Drak.) — *Nudatus*, cui vestis vel erepta vel lacerata est in tumultu. Gron. ad Plaut. Stich. III, 1, 19. « Ab ἀμέλγω, inquit, *mulgeo* est: inde *mulceo*, quia mulcendo, fingendo, deducendo, ex uberibus lac elicitur. Hinc *mulctare* et *mulcare* pro *mulcitare*: utrumque proprie ac primum est mulcere nimis, ut doleat; dein distinctum, ut hoc esset tractim tangere verberibus, illud poenae causa ita mulcere, ut emulgeas partem sanguinis viscerum de patrefamilias, h. e. bonorum: unde *mulcta*. Nec Sabinum aut Oscum est hoc, ut Varro et Festus tradunt; nisi illi primi haec omnia ex graeco fonte hauserunt: neque a *multus*, quod a μάλα, μάλιστα descendere puto: sed *multa* et *multare* quidam maluerunt lenioris pronuntiationis ergo. » Cf. Duk. et Drak. ad h. l.

4. *Caesoni capitis diem dicit*, diem certum constituit, quo causam capitis in foro agat. *Caput* vero dicitur hominis status, civitatis ac libertatis ius, ipsaque vita; unde *deminutio* s. *diminutio capitis*, amissio libertatis, vel civitatis, vel familiae (maxima, media et minima); *causa* autem s. res *capitis* s. *capitalis*, in qua caput hominis agitur, quum in iudicium vocatur publicum, quo condemnatus locum in senatu, civitatem, libertatem, aut ipsam adeo vitam amittit, vel in exsilium agitur. Hinc *capitis accusare* et *damnare* aliquem, *capitis causam dicere*, *capitis diem alicui dicere* (conf. ad II, 35, n. 1), et *capite sancire* VII, 16, n. 4, h. e. poena capitis proposita vel constituta. Hinc et *capitalis noxa* (crimen) III, 55; et *capitale* vel ἀρχαϊκῶς *capital*, scilic. crimen s. facinus, XXIV, 37, quod capitis poena

genium accenderat eo facto magis, quam conterruerat: eo acrius obstare legi, agitare plebem, tribunos velut iusto persequi bello. Accusator pati reum[5] ruere, invidiaeque flammam ac materiam criminibus suis suggerere: legem interim, non tam ad spem perferendi, quam ad lacessendam Caesonis temeritatem, ferre. Ibi multa, saepe ab iuventute inconsulte dicta factaque, in unius Caesonis suspectum incidunt ingenium: tamen legi resistebatur. Et A. Virginius identidem plebi: « Ecquid sentitis iam vos, Quirites, » Caesonem simul civem et legem quam cupitis, ha» bere non posse? Quamquam quid ego legem lo» quor? libertati obstat: omnes Tarquinios superbia » exsuperat. Exspectate dum, consul aut dictator fiat, » quem privatum viribus et audacia regnantem[6] vi» detis ». Assentiebantur multi, pulsatos se querentes; et tribunum ad rem peragendam ultro incitabant.

XII. Iam aderat iudicio dies, apparebatque vulgo homines in damnatione Caesonis libertatem agi credere. Tum demum coactus cum multa indignitate prensabat[1] singulos: sequebantur necessarii, principes civitatis. T. Quintius Capitolinus, qui ter consul fuerat, quum multa referret sua familiaeque decora, affirmabat: *neque in Quintia gente, neque in civitate romana tantam indolem tam maturae virtutis unquam exstitisse. Suum primum militem fuisse; se saepe vi-*

luendum et cui haec proposita est. Cf. Ernesti clav. Cic.

5. *Reum ruere*, impotentia animi raptum violentis uti consiliis, vel temere loqui et agere, labi.— *Invidiae flammam ac materiam criminibus suis suggerere* (ut *adiicere* XLIII, 16), eleganter pro invidiam et crimina augere.

6. *Audacia regnantem videtis*, vide ad XXIV, 29, n. 3.

Cap. XII. 1. *Prensabat singulos*, v. ad II, 61, n. 4. — *Multa referret sua familiaeque decora*, confer ad XXI 43, n. 13.

dente, pugnasse in hostem. Sp. Furius, *missum ab Quintio Capitolino sibi eum in dubiis suis rebus venisse subsidio: neminem unum*[2] *esse, cuius magis opera putet rem restitutam.* L. Lucretius consul anni prioris, recenti gloria nitens, suas laudes participare cum Caesone, memorare pugnas, referre egregia facinora, nunc in expeditionibus, nunc in acie: suadere et monere, « iuvenem egregium, instructum naturae » fortunaeque omnibus bonis, maximum momentum[3] » rerum eius civitatis, in quamcumque venisset, » suum, quam alienum mallent civem esse. Quod » offendat in eo, fervorem et audaciam, aetatem » quotidie auferre; quod desideretur, consilium, » id in dies crescere. Senescentibus[4] vitiis, mature» scente virtute, sinerent tantum virum senem in » civitate fieri ». Pater inter hos L. Quintius, cui Cincinnato cognomen erat, non iterando laudes, ne cumularet invidiam, sed veniam errori atque adolescentiae petendo, sibi, qui non dicto, non facto quemquam offendisset, ut condonarent filium, orabat. Sed alii aversabantur preces, aut verecundia, aut

2. *Neminem unum*, non unum, ne unum quidem, nullum omnino, ut IX, 16, n. 11; XXVIII, 35, n. 5; XXXVIII, 50, n. 4; et *nec quisquam unus* al. de quibus v. ad c. 55, n. 13. — Mox Drak. edidit *rem restitutam* pro vulg. *rempublicam restitutam. Publicam* abest a codice Sorbonico; illudque respuisse videtur cod. Paris., namque τὸ *rempublicam* priore scriptura erasa, ab alia manu delineatum est. Enimvero satis est laudis dici *rem*, id est, pugnam, restitutam Caesonis opera. Lem.

3. *Maximum momentum rerum*, v. ad I, 47, n. 7.

4. *Senescentibus vitiis, maturescente virtute*, vide ad I, 22, n. 3. — *Quintius, cui Cincinnato cognomen erat*, quod capillos in *cincinnos*, crines intortos in circulos et calamistratos, flecteret, quod docent Dio Cass. p. 579, et Zonar. VII, 18; a quibus itaque perperam Κιγκινάτος scribitur, vel ob ignorantiam linguae latinae, vel culpa librariorum; Drak. — *Sibi ut condonarent filium*, v. ad II, 35, n. 5.

metu; alii, se suosque mulcatos [5] querentes, atroci [6] responso iudicium suum praeferebant.

XIII. Premebat [1] reum, praeter vulgatam invidiam, crimen unum; quod M. Volscius Fictor, qui ante aliquot annos tribunus plebis fuerat, testis exstiterat, « se haud multo post, quam pestilentia in » urbe fuerat, in iuventutem, grassantem [2] in Su- » bura, incidisse: ibi rixam natam esse, fratremque » suum maiorem natu, necdum ex morbo satis va- » lidum, pugno ictum ab Caesone cecidisse semiani- » mem. Inter [3] manus domum ablatum, mortuumque » inde arbitrari; nec sibi [4] rem exsequi tam atrocem » per consules superiorum annorum licuisse ». Haec Volscio clamitante, adeo concitati homines sunt, ut haud multum abfuerit, quin impetu populi Caeso interiret. Virginius arripi iubet hominem, et in vincula duci: patricii contra vi resistunt. T. Quintius

5. *Se suosque mulcatos*, vide ad c. 11, n. 3.

6. *Atroci responso iudicium suum praeferebant*, atrociter respondentes iudicium s. sententiam suam ante diem iudicii ferebant, vel etiam prae se ferebant, declarabant, indicabant, qualem die iudicii sententiam essent dicturi. Alii malebant ad ipsum iudicium reservare sententiam suam, quam nunc atroci responso declarare. Cf. XXVII, 34; XXXVII, 37 pr. et ad Tac. Ann. II, 53, 8.

Cap. XIII. 1. *Premebat reum crimen unum*, opprimebat, aggravabat, vexabat, ei maxime nocebat. Confer VII, 4, n. 3; XXXIII, 9; XXXIV, 31; XXXIX, 40, et ad IV, 12, n. 3. Sic etiam de reis apud Plin. Ep. II, 11; V, 14, al. — *M. Volscium* hoc anno *tribunum pl.* fuisse, tradit Dionys. X, 7. De falsa eius accusatione, qua moti sunt animi plebis, iam ad absolvendum Caesonem propensae, vide inf. c. 24, 25, et Dionys. X, 28.

2. *Grassantem*, circumvagantem, lascivientem (*grassari* etiam dicuntur, qui in vicis urbis discurrunt, obvios vexant, verberant, spoliant, *grassatores*). — *In Subura* s. *Suburra*, loco secundae regionis Vrbis frequentissimo, et in valle inter Esquilinum et Coelium colles; vide ad Iuvenal. III, 5. Haec erat vetus Suburra: recentior est ad radices montis Esquilini.

3. *Inter manus domum ablatum*, per manus, plurium manibus, ut apud Ciceronem, Verr. V, 11. Conf. Drak. ad h. l. Dukerum ad Florum, III, 21, § 26, et Burmannum ad Phaedrum V, 7, 10.

4. *Rem exsequi*, iudicio persequi, vel ulcisci, punire.

clamitat, *cui rei capitalis dies* [5] *dicta sit, et de quo futurum prope diem iudicium, eum indemnatum indicta causa non debere violari.* Tribunus *supplicium* negat *sumpturum se de indemnato: servaturum tamen in vinculis esse ad iudicii diem; ut, qui hominem necaverit, de eo supplicii sumendi copia populo romano fiat.* Appellati [6] tribuni medio decreto ius auxilii sui expediunt: in vincula coniici vetant: sisti reum, pecuniamque, nisi sistatur, populo promitti, placere pronuntiant. Summam pecuniae quantam aequum esset promitti, veniebat in dubium: id ad senatum reiicitur. Reus, dum consulerentur Patres, retentus [7] in publico est: vades dare placuit: unum vadem tribus millibus aeris obligarunt: quot darentur, permissum tribunis est: decem [8] finierunt: tot vadibus accusator vadatus est reum. Hic primus vades [9] publicos dedit. Dimissus e foro nocte proxima in Tuscos in exsilium abiit. Iudicii die quum excusaretur [10] solum vertisse exsilii causa, nihilominus Virginio comitia habente, collegae appellati dimisere concilium: pecunia a patre exacta crudeliter, ut, divenditis omnibus bonis, aliquamdiu trans Ti-

5. *Rei capitalis dies dicta sit*, v. ad c. 11. n. 4.

6. *Appellati tribuni*, v. ad II, 27, n. 2. — *Medio decreto* (v. ad I, 32, n. 5) *ius auxilii sui expediunt*, ut contra *impedire*. Conf. IV, 55, et IX, 17.

7. *Retentus in publico est* loco, in foro; nam mox dicitur *dimissus e foro*. Conf. ad II, 24, n. 6. — *Tribus millibus aeris*, 1000 imperial.

8. *Decem finierunt*, definierunt (numerum denarium constituere), vel modum hunc statuerunt numero vadium, ut decem darentur; Drak. Cf. ad X, 13, n. 13; Gron. ad Ep. Liv. XXXIV; Burm. ad Quintil. Inst. Or. II, 1.

9. *Hic primus vades publicos dedit*, h. e. in causa capitis, quae maxime ad populum aut remp. spectat, et hinc quoque *publica* vocatur: nisi legendum *publico*. *Vades* fere semper dicti in causis publicis et capitis; *praedes* in re civili et causis privatis seu pecuniae, et in lite vindiciarum; v. Ern. clav. Cic.

10. *Quum excusaretur* (vid. ad VI, 22, n. 3) *solum vertisse*, al. *mutasse*, patriam reliquisse, *exsilii causa*, cf. c. 58; XXI, 63; XLIII, 2.

berim,[11] veluti relegatus, devio quodam tugurio viveret.

XIV. Hoc iudicium, et promulgata lex[1] exercuit civitatem: ab externis armis otium fuit. Quum velut victores tribuni, perculsis Patribus Caesonis exsilio, prope perlatam esse crederent legem, et, quod ad seniores Patrum pertinet, cessissent possessione[2] reipublicae; iuniores, id maxime[3] quod Caesonis sodalium fuit, auxere iras in plebem, non minuerunt animos: sed ibi plurimum profectum est, quod modo quodam temperavere impetus suos. Quum primo post Caesonis exsilium lex coepta ferri est, instructi paratique cum ingenti clientium exercitu sic tribunos, ubi primum submoventes[4] praebuere causam, adorti sunt, ut nemo unus inde praecipuum quidquam gloriae domum invidiaeve ferret; mille pro

11. *Vt trans Tiberim viveret*, in finibus Etruriae; v. Salmas. de modo usor. c. 18, et conf. infr. c. 26. Mox alii rectius forte legunt: *in devio quodam tugurio*, vel *devio quodam in tugurio*, vel *in vili quodam tugurio* ut Dionys. ταπεινή τις καλύβη.—Cod. Paris. videtur habuisse *devio quodam tugurio viveret*; vox nempe *devio* est erasa; liber Sorbonicus *de ullo quodam tugurio viveret*. Sed in hoc multum variare dicuntur MSS. Lem.

Cap. XIV. 1. *Exercuit civitatem*, iis haec fuit occupata.

2. *Cessissent possessione reipublicae*, summo imperio, principatu et reip. administratione, quae tota fere ab eorum arbitrio pendebat. Conf. inf. c. 20 pr.

3. *Iuniores, id maxime quod* etc., pro ii maxime, qui Caesonis sodales fuere. Cf. Perizon. ad Sanctii Minerv. II, 9, 5. — *Auxere iras* suas. — *Ibi*, vide ad II, 35, n. 1.

4. *Submoventes*, hanc turbam a foro per viatores submovere conantes: unde et *tribuni submoverunt populum*, scil. per viatores, vel submoveri iusserunt, inf. XXV, 3, ubi conf. not. 14. Alio sensu lictores plerumque, ut magistratui viam faciant, populum *submovere* dicuntur (vide Indicem), et hinc magistratus *submoto* (populo a lictoribus) *incedere* XXVIII, 27 extr. et ap. Plin. VIII, 46; vide ad XXV, 3, n. 14. Submoveri autem pro imperio non licebat more maiorum, quia dicebatur: *si vobis videtur, discedite, Quirites*; vide II, 56, et ibi not. 11. Hinc lictor XLV, 29, n. 1, *submotor aditus* dicitur. Conf. Hard. ad Plinium, VIII, 46, et Mitscherl. ad Hor. Od. II, 16, 9. — *Nemo unus*, vid. ad cap. 12, n. 2. — *Praecipuum* prae ceteris.

uno Caesones exstitisse, plebes quereretur. Mediis 5
diebus, quibus tribuni de lege non agerent, nihil
eisdem illis placidius aut quietius erat: benigne salutare, alloqui plebis homines, domum invitare, adesse 6
in foro, tribunos ipsos cetera pati sine interpellatione concilia habere: nunquam ulli, neque publice, neque privatim truces esse, nisi quum de lege agi coeptum esset. Alibi popularis iuventus erat: nec cetera modo tribuni tranquillo[7] peregere, sed refecti quoque in insequentem annum: ne voce quidem incommoda, nedum ut ulla vis fieret, paulatim permulcendo tractandoque[8] mansuefecerant plebem. His per totum annum artibus lex elusa est.

XV. Accipiunt[1] civitatem placidiorem consules C. Claudius, Appii filius, et P. Valerius Publicola. Nihil novi novus annus attulerat: legis ferendae aut accipiendae cura civitatem tenebat. Quantum iuniores Patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contra tribuni tendebant, ut plebi suspectos eos criminando facerent. *Coniurationem*[2] *factam, Caesonem Romae*

5. *Mediis diebus*, inter eos, quibus lex s. rogatio illa ferretur, adeoque iis, *quibus tribuni de lege non agerent.*

6. *Adesse*, auxilio esse iis *in foro* negotia habentibus; in pr. in iudiciis, ut solent advocati patronique causarum *adesse reis*, h. e. eos iuvare. Conf. ad VI, 38, n. 4; VIII, 31, et ad Tacit. Annal. XII, 1, 2. Dii quoque *adesse* eo sensu dicuntur, de quo vid. ad I, 12, n. 6; sed *adesse*, scil. in iudicio, die dicta, XXV, 4, n. 4, ut *prodire* ibid. et similiter *prodire ad delectum* et *in delectu* XLIII, 14.

7. *Tranquillo peregere*, sc. caelo, a cuius serenitate ducta est metaphora, sine tempestate, h. e. sine tumultu et interpellatione.

8. *Tractando plebem*, sc. benignius; vel ut ap. Cic. Orat. 28: *eloquentiae est tractare* (commovere, impellere) *animos, et omni modo permovere.*

Cap. XV. 1. *Accipiunt civitatem*, eius imperium. — *Quantum se magis insinuabant, eo acrius* etc. pro *quanto*, ut XXXII, 5; XLIV, 7, n. 4, al. vide Drak. ad V, 10, 5.

2. *Coniurationem factam* etc. arguebant tribuni fictis literis et indice subornato: quod crimen fictum esse, Claudius cos. Patribus pluribusque de plebe iam persuaserat, quum Herdonius Capitolium occuparet; vide Dionys. X, 9 sq.

esse: interficiendorum tribunorum, trucidandae plebis consilia inita. Id negotii datum ab senioribus Patrum, ut iuventus tribunitiam potestatem e republica tolleret; formaque eadem civitatis esset, quae ante Sacrum montem occupatum fuerat. Et ab Volscis et Aequis statum iam ac prope solemne in singulos annos bellum [3] timebatur: propiusque aliud novum malum nec opinato exortum. Exsules servique, ad quatuor millia hominum et quingenti, duce Ap. Herdonio sabino, nocte Capitolium atque[4] arcem occupavere. Confestim in arce facta caedes [5] eorum, qui coniurare et simul capere arma noluerant: alii inter tumultum praecipites pavore in forum devolant: alternae voces, *Ad arma*, et *Hostes in urbe sunt*, audiebantur. Consules et armare plebem, et inermem pati timebant; incerti, quod malum repentinum, externum an intestinum, ab odio plebis, an ab servili fraude, urbem invasisset; sedabant tumultus, sedando interdum movebant: nec enim poterat pavida et consternata multitudo regi imperio. Dant tamen [6] arma, non vulgo; tantum ut incerto hoste praesidium satis fidum ad omnia esset. Solliciti reliquum noctis, incertique, qui homines, quantus numerus hostium esset, in stationibus disponendis ad opportuna [7] omnis urbis loca, egere. Lux deinde aperuit bellum ducemque belli. Servos ad li-

3. *Statum bellum*, anniversarium, quovis anno illatum. — *Ad quatuor millia et quingenti* vid. ad IV, 59, n. 4.

4. *Capitolium atque arcem*, vid. ad I, 55, n. 6.

5. *In arce facta caedes eorum*, civium, ibi habitantium.

6. *Dant tamen arma*, v. ad XLII, 52, n. 6. — *Incerto hoste*, quum adhuc esset incertum, quis hostis esset; ut alii ablativi passim, ubi particip. verbi substantivi omissum est, v. c. XXVI, 39, n. 6, *spe*; XXIII, 49, n. 5, *sexdecim circiter Romanis*; et V, 34 extr. *cognomine*, ὁμωνύμῳ, *Insubribus pago Aeduorum* in Gallia, nisi leg. *Romani* et *cognominem*.

7. *Ad opportuna omnis*, lutius, *urbis* (h. e. omnia, quod etiam vulgo legitur) *loca*; vide ad I, 54, n. 4.

bertatem Ap. Herdonius ex Capitolio vocabat, *se miserrimi cuiusque suscepisse causam, ut exsules iniuria pulsos in patriam reduceret, et servitiis* [8] *grave iugum demeret: id malle populo romano auctore fieri. Si ibi spes non sit, se Volscos, et Aequos, et omnia extrema tentaturum, et concitaturum.*

XVI. Dilucere res magis Patribus atque consulibus: praeterea tamen quae denuntiabantur, ne Veientium, neu Sabinorum id consilium esset, timere; et, quum tantum in urbe hostium esset, mox sabinae etruscaeque legiones ex composito adessent; tum aeterni hostes Volsci et Aequi, non ad populandos, ut ante, fines, sed ad urbem, ut ex parte captam, venirent. Multi et varii timores: inter ceteros eminebat terror servilis [1], ne suus cuique domi hostis esset: cui nec credere, nec non credendo, ne infestior fieret, fidem abrogare, satis erat tutum. Vixque [2] concordia sisti videbatur posse: tantum superantibus aliis ac emer-

8. *Servitiis grave iugum demeret*, h. e. servis, ut II, 10, n. 6; XXVIII, 11, al. Sic et *remigium* XXI, 22; XXVI, 39, 51; *dictatura* VIII, 12, n. 12; *arma* XXII, 34, 45; XXX, 14; XXXV, 35; XLI, 12; *advocatio* III, 47, et similia. Cf. ad IV, 11, n. 1; XXII, 28, n. 1; ad Tac. Ann. II, 13, 9, et Iuvenal. IV, 39 et 81.

Cap. XVI. 1. *Terror servilis*, vide ad I, 57, n. 7.

2. *Vixque concordia sisti videbatur posse: tantum superantibus aliis ac emergentibus malis*; vide ad II, 29, n. 7. Post *posse* minimam, et post *malis* maximam distinct. poni malebat Duk. Tò *ac* ante vocalem h. l. legitur, ut XLI, 24, n. 9; XLII, 12, n. 1, et al. Id vero barbarum esse, et *atque* vel *et* vel *aut* iis locis substituendum, docent Drak. ad X, 36; XLI, 24; intpp. Suet. Caes. 26; Ern. clav. Cic. Ruhnken. ad Muret. tom. I, p. 9, et alii, refragante Schellero in Lex. lat. — Quum raro admodum et fortasse nunquam particulam *ac* reperias apud aureae latinitatis scriptores locatam ante vocalem, videndum an admitti possit scriptura Sorbonici Paris. codicis et quinque aliorum a Drak. citatorum, *ac mergentibus*, nempe civitatem vel rempubl, Lem. — *Nemo tribunos aut plebem timebat* tempore belli externi, quo plerumque furor tribunitius quiescebat, idque et patricii et plebs solum operam dabant, ut hosti resisteretur: at nunc id unice agebant tribuni, ne plebs arma pro salute patriae caperet; Drak. — *Mansuetum id malum*, le-

gentibus malis, nemo tribunos aut plebem timebat: mansuetum id malum, et per aliorum quietem malorum semper exoriens, tumque esse peregrino [3] terrore sopitum videbatur. At id prope unum maxime inclinatis [4] rebus incubuit; tantus enim tribunos furor tenuit, ut non bellum, sed vanam imaginem belli, ad avertendos ab legis cura plebis animos, Capitolium insedisse contenderent: patriciorum [5] hospites clientesque, si perlata lege frustra tumultuatos esse se sentiant, maiore, quam venerint silentio abituros. Concilium inde legi perferendae habere, avocato populo ab armis. Senatum interim consules habent, alio se maiore ab tribunis metu ostendente, quam quem nocturnus hostis intulerat.

XVII. Postquam arma poni, et discedere homines ab stationibus nuntiatum est, P. Valerius, collega senatum retinente, se ex curia proripit: inde in [1] templum ad tribunos venit: « Quid hoc rei est, « inquit, » tribuni? Ap. Herdonii ductu et auspicio rempublicam eversuri estis? Tam felix vobis corrumpendis fuit, qui servitia [2] vestra non commovit auctor? Quum hostes supra caput sint, discedi ab armis, legesque ferri placet? » Inde ad multitudi-

nius, et... *exoriens, tumque esse sopitum videbatur.* Ita bene cohaerent haec verba, nec necesse est legere *tum* pro *tumque*, vel cum Schellero *tum quiesse* vel *quiescere*; etsi hoc arridere possit.

3. *Peregrino terrore*, v. ad I, 57, n. 7.

4. *Inclinatis rebus*, per se iam in summum discrimen adductis, *incubuit*, instar oneris, quod columnae, aut alii rei inclinatae atque fulciendae potius, imponitur, eamque inde magis inclinat, et casum eius promovet; Strothius. Conf. ad IX, 12, n. 2; XXVIII, 1, n. 13 et ad Tac. Ann. IV, 24, 1.

5. *Patriciorum hospites clientesque*, quos Capitolium occupasse dictitabant.

Cap. XVII. 1. *In templum venit*, vide ad I, 6, n. 6.

2. *Servitia* (vide ad cap. 15, n. 7) *vestra non* omnia *commovit auctor*, auctoritate sua, ad libertatem ea vocando, sed tantum servos et exsules 4500, vel potius servos fugitivos. Cf. Oros. II, 12.

nem oratione versa: « Si vos urbis, Quirites, si vestri nulla cura tangit; at vos veremini deos vestros, » ab hostibus captos. Iupiter [3] optimus maximus, » Iuno Regina, et Minerva, alii dii deaeque obsiden- » tur: castra servorum publicos [4] vestros penates » tenent. Haec vobis forma sanae civitatis videtur? » Tantum [5] hostium non solum intra muros est, sed » in arce supra forum curiamque: comitia interim » in foro sunt: senatus in curia est: velut quum » otium superat, senator sententiam dicit: alii Qui- » rites suffragium ineunt. Non, quidquid [6] Patrum » plebisque est, consules, tribunos, deos, hominesque

3. *Iupiter*, *Iuno et Minerva* σύνναοι s. σύνναοι, in templo Capitol. et in cellis diversis colebantur, tanquam dii praesides imperii (quos ex arce Troiana Romam traductos fingunt poëtae; vide Heynii Excursum 9, ad Virg. Aen. II) ut *alii dii deaeque* in arce; vide ad c. 19, n. 11; ad I, 55, n. 6, et confer VI, 16 pr. Dionys. IV, 61, et ad Sil. X, 432 sq. Epitheton *Regina* delendum suspicari possis h. l. et loco sim. VI, 16 pr. nam serius Romam deportata est, et in Aventino templum habuit; vid. infr. V, 21, 22, 31: sed *Iupiter Capitolinus*, *Iuno Regina et Minerva* iunguntur etiam apud Ciceronem pro Domo 57; Valerium Max. V, 10, 2, et in numis lapidibusque. Itaque iam ante Veios captos alia *Iuno Regina* Romae culta videtur.

4. *Publici penates*, dii patrii, a maioribus accepti, et a qualibet urbe, tanquam eius et in pr. templorum tutores, communiter culti; ut *privati penates* dii proprii et tutelares cuiusvis domus et familiae. Cf. XXV, 18, n. 6.

5. *Tantum hostium non solum* etc. Cf. Cic. ad Att. IX, 12.

6. *Non*, nonne, *quidquid Patrum plebisque est, consules, tribunos, deos hominesque*, hoc est omnes omnino, etiamsi res ad deos non magnopere pertineat; Duk. (quem vide ad Flor. II, 6, 43); ad unum omnes, ut *divina humanaque* in universum omnia; Stroth. coll. cap. 19; II, 5; IV, 2; VII, 5 pr. IX, 8, 14, 26; X, 40; XXIX, 18 extr. Conf. Ernesti clavis Ciceroniana ad voc. *divinus*. Sed orator forte vehemens et grandiloquus, mentis abreptus fervore, ipsos quoque deos ad arcem imperii et *augustissimam illam domum Iovis optimi maximi*, vel armis tuendam advocasse videtur, quemadmodum Silius Ital. XII, 608 sq. et 705 sq. fingit, Roma ab Hannibale oppugnata, Iovem ad Capitolium arcemque suam, et alios deos ad septem Vrbis colles, sibi sacros, cum armis, cuilibet propriis, defendendos discurrisse. Eadem quoque postea vidi in mentem venisse Drak. qui tamen haec forsitan nimis poëtica esse putabat, quam ut iis

» omnes armatos opem ferre, in Capitolium currere, » liberare ac pacare augustissimam illam domum Iovis » optimi maximi decuit? Romule pater, tu mentem » tuam, qua quondam arcem[7] ab his iisdem Sabinis » auro captam recepisti, da stirpi tuae. Iube hanc » ingredi viam, quam tu dux, quam tuus ingressus » exercitus est. Primus, en, ego consul, quantum » mortalis deum possum, te ac tua vestigia sequar. » Vltimum orationis fuit, « se arma capere, vocare » omnes Quirites ad arma. Si quis impediat, iam se » consularis imperii, iam tribunitiae potestatis [8] sa- » cratarumque legum oblitum, quisquis ille sit, ubi- » cumque sit, in Capitolio, in foro, pro hoste habi- » turum. Iuberent tribuni, quoniam in Ap. Herdo- » nium vetarent, in P. Valerium consulem sumi » arma: ausurum se in tribunis, quod princeps [9] » familiae suae ausus in regibus esset. » Vim ultimam apparebat futuram, spectaculoque seditionem romanam hostibus fore. Nec lex tamen ferri, nec ire in Capitolium consul potuit: nox certamina coepta oppressit; tribuni cessere [10] nocti, timentes consulum arma. Amotis inde seditionis auctoribus, Patres circumire plebem, inferentesque se in circulos, sermones tempori aptos serere: admonere, « ut viderent, in » quod discrimen rempublicam adducerent. Non » inter Patres ac plebem certamen esse; sed simul

vulgata lectio defendi possit. *Eos pro deos* conj. Conlier et *cives* Gronovius.

7. *Arcem* (vide ad I, 55, n. 6) *ab Sabinis auro captam recepisti*; vide I, 11 sq.

8. *Tribunitiae potestatis sacratarumque legum*; v. ad II, 8, n. 3, et II, 33, n. 3.

9. *Princeps familiae suae*, auctor sui cognominis; Gron. Sed parum apte de patre haec, ut cap. 18 alia (*memorem se maiorum suorum* etc.) loquentem Valerium inducit Livius, magis suae, quam huius aetatis memor.

10. *Tribuni cessere nocti*, ob noctem cessere consulibus Patribusve. Nocturno periculo se subduxere; Ern. Conf. ad cap. 60, n. 5.

» Patres plebemque, arcem urbis, templa deorum, » penates [11] publicos privatosque hostibus dedi. » Dum haec in foro sedandae discordiae causa aguntur, consules interim, ne Sabini, ne veiens hostis moveretur, circa portas murosque discesserant.

XVIII. Eadem nocte et Tusculum de arce [1] capta Capitolioque occupato et alio turbatae urbis statu nuntii veniunt. L. Mamilius Tusculi [2] tum dictator erat. Is, confestim convocato senatu, atque introductis nuntiis, magno [3] opere censet, *ne exspectent, dum ab Roma legati, auxilium petentes, veniant: periculum ipsum discrimenque ac sociales deos fidemque foederum id poscere. Demerendi beneficio tam potentem, tam propinquam civitatem, nunquam parem occasionem daturos deos.* Placet ferri auxilium: iuventus conscribitur: arma dantur. Romam prima luce venientes, procul speciem hostium praebuere: Aequi aut Volsci venire visi sunt. Deinde, ubi vanus terror abiit, accepti in urbem, agmine in forum descendunt: ibi iam P. Valerius, relicto ad portarum praesidia collega, instruebat aciem. Auctoritas viri moverat, affirmantis, *Capitolio recuperato, et urbe pacata, si edoceri [4] se sissent, quae fraus ab tribunis occulta in lege ferretur, memorem [5] se maiorum suorum, memorem cognominis, quod*

11. *Penates publicos privatosque*, vide ad cap. 17, n. 4.

CAP. XVIII. 1. *De arce Capitolioque*, vide ad I, 55, n. 6. — *Turbatae urbis statu* pro *turbato urbis statu*, v. ad I, 1, n. 6; III, 68, n. 1, et XXI, 10, n. 14.

2. *Tusculi dictator erat*, vide ad I, 23, n. 3.

3. *Magno opere censet*, ut *maximo opere*, *summo opere*, *quanto opere*, pro vulg. *magnopere* etc. — *Sociales deos*, vide ad I, 45, n. 3.

4. *Si edoceri se sissent*, al. *sivissent*; sed contractas formas amat Livius.

5. *Memorem se maiorum suorum* etc., vide ad c. 17, n. 9. — *Populi colendi cura*, unde cognomen *Publicolae* seu *Poplicolae* patri et familiae datum; vide II, 8. Sed forte leg. *cognominis*, *quo populi* etc. — Hanc lectionem, quam Gronovius et Creverius receperant, in paucissimis libris reperimus; codd. Paris. habent *quod*; sed certe difficilis sensus est: et Drakenb. qui hoc male, opinor,

populi colendi velut hereditaria cura sibi a maioribus tradita esset, concilium plebis non impediturum. Hunc ducem sequuti, nequidquam reclamantibus tribunis, in clivum Capitolinum erigunt aciem: adiungitur et tusculana legio: certare socii civesque, utri recuperatae arcis suum decus facerent: dux uterque suos adhortatur. Trepidare tum hostes, nec ulli satis rei, praeterquam loco, fidere: trepidantibus inferunt signa Romani sociique. Iam in vestibulum perruperant templi, quum P. Valerius inter primores pugnam ciens interficitur. P. Volumnius consularis vidit cadentem: is, dato negotio suis, ut corpus obtegerent, ipse in locum vicemque consulis provolat. Prae ardore impetuque tantae rei sensus non pervenit ad militem: prius vicit, quam se pugnare sine duce sentiret. Multi exsulum caede sua foedavere templum; multi vivi capti; Herdonius interfectus: ita Capitolium recuperatum. De captivis, ut quisque liber aut servus esset, suae fortunae [6] a quoque sumptum supplicium est. Tusculanis gratiae actae: Capitolium purgatum atque lustratum. In consulis [7] domum plebes quadrantes, ut funere ampliore efferretur, iactasse fertur.

XIX. Pace parta, instare tum tribuni Patribus, *ut P. Valerii fidem* [1] *exsolverent*: instare Claudio, *ut collegae deos manes fraude liberaret; agi de lege sineret.*

revocavit, observat tamen librarios in vocabul. *quo* et *quod* commutandis saepe lapsos fuisse. Mox pro *erigunt.* quidam male *exigunt*: cf. II, 31, et X, 26. Lem.

6. *Suae fortunae*, ei accommodatum, *supplicium sumptum est*: liberi omnes securi sunt percussi, servi in crucem acti. Cf. Dionys. X, 16 et 18.

7. *In consulis domum plebes quadrantes, ut funere ampliore efferretur, iactasse fertur*, v. ad II, 16, n. 5, et XXVI, 11, n. 6.

Cap. XIX. 1. *Fidem exsolverent*, praestarent, promisso (de quo c. 18) satisfacerent, ut XXIV, 16; XXVI, 31; et *exsolvere iusiurandum* XXIV, 18. Quidam scripti *fidem solveret*, sed vulg. melior. Lucanus IX, 98, *Exsolvi tibi, Magne, fidem.*

Consul, *antequam collegam*[2] *sibi subrogasset*, negare, *passurum agi de lege*. Hae[3] tenuere contentiones usque ad comitia consulis subrogandi. Decembri[4] mense, summo Patrum studio, L. Quintius Cincinnatus, pater Caesonis, consul creatur, qui magistratum statim occiperet. Perculsa erat plebes, consulem habitura iratum, potentem favore Patrum, virtute sua, tribus liberis, quorum nemo Caesoni cedebat magnitudine animi, consilium et modum adhibendo, ubi res posceret, priores[5] erant. Is, ut magistratum iniit, assiduis concionibus pro tribunali, non in plebe coërcenda, quam senatu castigando, vehementior fuit: » cuius ordinis languore perpetui[6] iam tribuni plebis, » non ut in republica populi romani, sed ut in per- » dita[7] domo, lingua criminibusque regnarent. Cum

2. *Collegam sibi subrogasset*: nam consules aliosve magistratus in locum eorum, qui vel mortui sunt (conf. II, 7; XXIII, 24 al.), vel magistratu abierunt et abituri sunt (ut XXIII, 24; XXXII, 54, et XXXV, 6), rogat aut creandos curat is, qui comitia habet, et populus *sufficit* et creat.

3. *Hac tenuere contentiones*, vid. ad II, 3, n. 6.

4. *Decembri mense*: nam consules ordinarii his temporibus kalendis sextilibus *magistratum occipere*, h. e. incipere, inire, solebant; vid. supr. ad c. 6, n. 1. — Forte leg. *creatus*.

5. *Priores erant*, Caesonem superabant. — *Pro tribunali*, alibi *de tribunali*, pro *in tribunali*. De *tribunali* v. Ernesti clav. Cic.

6. *Perpetui tribuni*, perpetuo refecti, ut VI, 40, n. 3, et mox *iterum ac tertium tribuni*: quod non proprie capiendum (nam refectio eorum in tertium annum memoratur demum cap. 21, et apud Dionys. X, 19), sed convenienter affectui loquentis; sic et VI, 40, n. 4, *semper tribunos pl. habere* ut *pacis semper auctor* XXX, 42. Ceterum saepe Livius sic verbis suae narrationis iungit verba orationis cuiusdam, quae ab illis quoad ordinem constructionis pendeant, et oratione incipiant obliqua, quae deinde in rectam vertitur; Stroth. Ipsa autem Quintii oratio est praeclara et indignationis plena.

7. *Ut in perdita domo*, corrupta s. pessima, *criminibus regnarent*, h. e. criminationibus, scil. Patrum, ut VI, 14, 15; XXXIV, 62; XXXVIII, 48. De verbo *regnare* vide ad XXIV, 29, n. 3. — Mox *semina discordiarum* de hominibus et auctoribus, ut *tuba belli* apud Cicer. ad Div. VI, 12. Proprie dicitur XXI, 5, n. 1, *sator litis*, et ibid. *certamina serere*, ut al. *semina discordiae* etc. *iacere* s. *spargere*, nota metaphora.

» Caesone filio suo virtutem, constantiam, omnia » inventutis belli domique decora pulsa ex urbe ro- » mana et fugata esse: loquaces, seditiosos, semina » discordiarum, iterum ac tertium tribunos pessimis » artibus regia licentia vivere. A., « inquit, » ille [8] » Virginius, quia in Capitolio non fuit, minus sup- » plicii, quam Ap. Herdonius, meruit? plus hercule » aliquanto, qui vere rem aestimare velit. Herdo- » nius[9], si nihil aliud, hostem se fatendo prope de- » nuntiavit, ut arma caperetis: hic negando bella es- » se, arma vobis ademit, nudosque servis vestris et » exsulibus obiecit. Et vos, C. Claudii pace et P. Va- » lerii mortui loquar, prius in clivum Capitolinum » signa intulistis, quam hos hostes de foro tollere- » tis? Pudet[10] deorum hominumque: quum hostes » in arce, in Capitolio essent, exsulum et servorum » dux, profanatis omnibus, in cella[11] Iovis optimi » maximi habitaret, Tusculi antequam Romae, sum- » pta sunt arma. In dubio fuit, utrum L. Mamilius » tusculanus dux, an P. Valerius et C. Claudius con- » sules romanam arcem liberarent: et qui ante La-

8. *A. Virginius*, vide sup. cap. 11. — *Plus hercule aliquanto* meruisse videbitur ei, *qui*, vel meruit, *qui*, si quis, *vere*, secundum veritatem aequitatemque, *rem aestimare velit*, ut XXX, 22, n. 1; XXX, 23, n. 1; XXXI, 48, n. 3; XXXIV, 27, n. 1.

9. *Herdonius, si nihil aliud*, vide ad II, 8, n. 9. — *Nudosque*, armis privatos, sine armis, inermes ut γυμνὸς s. ψιλὸς ὅπλων, ἄσθητος etc. et passim *nudi armis*, *telis* etc. et *seminudus genere armorum* XXXI, 35, n. 4: confer ad Sil. IV, 313; XVI, 47, et Drak. infr. III, 23, 5, ubi *inermes nudique* iunguntur, et *nudi* sunt sola tunica vestiti, ut γυμνοί nam ita, vel *seminudi* et *cum singulis vestimentis sub iugum mitti* solebant devicti hostes. Confer IX, 6 pr. 15; XLV, 39, et ad X, 35, n. 5.

10. *Pudet* me (nisi leg. *pudeat*, sc. vos) *deorum hominumque*, quae indignantis exclamatio ad verbum polissimum sqq. spectat. — *In arce, in Capitolio*, vide ad I, 55, n. 6.

11. *Cella Iovis*, σηκὸς vel τέμενος, aedicula, delubrum, medius, sanctissimus et undique septus templi locus, in quo simulacrum dei servabatur. Conf. Ind. et sup. ad cap. 17, n. 3.

» tinos, ne pro se quidem ipsis, quum in finibus » hostem haberent, attingere arma passi sumus; » nunc, nisi Latini sua sponte arma sumpsissent, » capti et deleti eramus. Hoc[12] est, tribuni, auxilium » plebi ferre, inermem eam hosti trucidandam obii- » cere? Scilicet, si quis vobis humillimus homo de » vestra plebe (quam partem, velut abruptam a » cetero populo, vestram patriam peculiaremque » rempublicam fecistis); si quis ex his domum suam » obsessam a familia[13] armata nuntiaret, ferendum » auxilium putaretis. Iupiter optimus maximus exsu- » lum atque servorum septus armis, nulla humana » ope dignus erat? et hi postulant, ut sacrosancti[14] » habeantur, quibus ipsi dii neque[15] sacri, neque » sancti sunt? At enim, divinis[16] humanisque obruti » sceleribus, legem vos hoc anno perlaturos dictita- » tis? Tum hercule illo die, quo ego consul sum » creatus, male gesta respublica est, peius multo, » quam quum P. Valerius consul periit, si tuleritis. » Iam primum omnium, « inquit, » Quirites, in » Volscos et Aequos mihi atque collegae legiones » ducere in animo est. Nescio quo fato magis bellantes, » quam pacati, propitios habemus deos: quantum » periculum ab illis populis fuerit, si Capitolium ab » exsulibus obsessum scissent, suspicari de prae- » terito, quam re ipsa experiri, est melius.

12. *Hoc est auxilium plebi ferre* (v. ad II, 33, n. 3) adversus patricios, *inermem eam hosti trucidandam obiicere*, h. e. auxiliumne plebi fertis obiiciendo etc.

13. *A familia armata*, a servis armatis, ut VIII, 15, n. 5 al. Confer infra ad cap. 55, n. 8.

14. *Sacrosancti*, vid. ad II, 8, n. 3, et II, 33 pr.

15. *Neque sacri*, cultu divino digni, *neque sancti*, inviolabiles, nullo modo ac scelere violandi.

16. *Divinis humanisque sceleribus*, vide ad I, 57, n. 7, et III, 17, n. 6. Mireris h. l. aquam haesisse Drak. — *Si tuleritis*, scil. iterum: nisi leg. *pertuleritis*, vel delenda haec verba, adscripta forte in marg. voci *tum*.

XX. Moverat plebem oratio consulis: erecti[1] Patres restitutam credebant rempublicam: consul alter, comes animosior quam auctor, suscepisse[2] collegam priorem actionem tam gravis rei facile passus, in peragendis consularis officii partem ad se vindicabat. Tum tribuni[3] eludentes velut vana dicta, persequi quaerendo, *quonam modo exercitum educturi consules essent, quos delectum habere nemo passurus esset? Nobis vero*, inquit Quintius, *nihil delectu opus est, quum, quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba[4] iuraverint, conventuros se iussu consulis, nec iniussu abituros. Edicimus itaque, omnes, qui in verba iurastis, crastina die armati ad lacum[5] Regillum adsitis.* Cavillari tum tribuni, et populum exsolvere religione velle: *privatum eo tempore Quintium fuisse, quum sacramento adacti sint.* Sed nondum haec, quae nunc tenet saeculum, negligentia[6] deum venerat: nec interpretando sibi

Cap. XX. 1. *Erecti*, animum recipientes, *Patres restitutam credebant remp.*, vid. sup. ad cap. 14, n. 2.

2. *Suscepisse collegam priorem*, primum, prius, *actionem rei... in peragendis*, sc. actionibus *consularis officii partem ad se vindicabat*, h. e. sibi (ut IX, 43, et XLIV, 14), nisi leg. *peragenda*, sc. actione. Gronovius putat *peragenda consularis officii*, sc. negotia, esse ea, quae vulgo a consulibus geruntur, aut ex ant. lectione, *in peragendis consulariis consularem officii partem*, veram esse restituendam *in peragendo censu*, qui tumultu servili interruptus erat (cf. cap. 22 pr.). Sigonius autem coniecerat *in peragendis* (exsequendis) *consiliis* collegae *consularis* etc. Haec Sigonii coniectura non spernenda videtur.

3. *Tum tribuni eludentes*, vide ad I, 36, n. 4. — *Persequi* consules, iis instare, *quaerendo*, vide ad V, 15, n. 7. — *Nobis vero* quoad *nihil delectu opus est*, vel simpl. *non*, vel potius *plane non, neutiquam, nullo modo*, ut III, 44; IV, 9; V, 27; VI, 38, n. 4 al.

4. *In verba* Valerii *iuraverint* etc. vide ad II, 32, n. 1: hinc *consulis*; sed *consulum* malebat Dukerus, collato Dionys. X, 16.

5. *Ad lacum Regillum*, vide ad II, 16, n. 3.

6. *Nondum negligentia* (contemptus, incuria cultus, ut XXII, 9, n. 5, et XLIII, 13) *deum venerat* in consuetudinem. Praeclare diversa temporum indoles notatur, ut passim. Confer IV, 6 extr. V, 40, n. 6,

quisque iusiurandum et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat. Igitur tribuni, ut impediendae rei nulla spes erat, de proferendo [7] exercitu agere; eo magis, quod, *et augures iussos adesse ad Regillum lacum*, fama exierat, *locumque* [8] *inaugurari, ubi auspicato cum populo agi posset, ut quidquid Romae vi tribunitia rogatum esset, id comitiis ibi abrogaretur. Omnes id iussuros, quod consules vellent: neque* [9] *enim provocationem esse longius ab Vrbe mille passuum: et tribunos, si eo adveniant, in alia turba Quiritium subiectos fore consulari imperio.* Terrebant haec: sed ille maximus terror animos agitabat, quod [10] saepius Quintius dictitabat, *Se consulum comitia non habiturum. Non* [11] *ita civitatem aegram esse, ut consuetis remediis sisti possit. Dictatore opus esse reipublicae, ut, qui se moverit ad sollicitandum statum civitatis, sentiat, sine provocatione dictaturam esse.*

XXI. Senatus in Capitolio erat. Eo tribuni cum perturbata plebe veniunt. Multitudo clamore ingenti, nunc consulum, nunc Patrum fidem implorant: nec

46, 6; VII, 2, 25, 40 pr. X, 9, n. 6; X, 40, n. 8; XXVI, 22 extr.

7. *De proferendo exercitu*, de differendo (ut *proferre rem, diem, tempus* etc.) h. e. differenda eius profectione, de retinendo exercitu ac retardando in Vrbe, donec, quae cuperent, a Patribus impetrassent. Confer senatusconsulta cap. 21 pr. memorata. Haec tamen sententia non apte ita expressa, et omnes intpp. lectionem vulg. damnant, putantes aut delendum *exercitu*, aut legendum *de proferenda cum exercitu*; vel *de proferendo exitu*, vel *de proferendo exercitus exitu*, vel *de providendo* (praecavendo) *exercitui*, vel *de perterrendo* aut *perturbando exercitu*, coll. verbis mox seq. et cap. 21 pr.

8. *Locumque inaugurari* etc., vide ad I, 55, n. 3.

9. *Neque provocationem* ad tribunos *esse longius ab Vrbe mille passuum*; confer ad II, 33, n. 3, et ad XXIX, 20, n. 4.

10. *Quod saepius Quintius dictitabat*; e quibusdam libris forte leg. *dicebat* propter additum *saepius*: frequentativis tamen Livius nonnunquam sine vi utitur.

11. *Non ita*, non tam parum. — *Vt consuetis remediis sisti possit*, vide ad II, 29, n. 7.

ante moverunt de sententia consulem, quam tribuni, se in auctoritate [1] Patrum futuros esse, polliciti sunt. Tunc, referente consule de tribunorum et plebis postulatis, senatusconsulta fiunt, *Neque tribuni legem eo anno ferrent, neque consules ab urbe exercitum educerent. In reliquum magistratus continuari, et eosdem tribunos refici, iudicare senatum contra rempublicam esse.* Consules fuere in Patrum potestate, tribuni reclamantibus consulibus refecti. Patres quoque, ne quid cederent [2] plebi et ipsi L., Quintium consulem [3] reficiebant. Nulla toto anno vehementior actio [4] consulis fuit. «Mirer, «inquit», si vana vestra, Patres » conscripti, auctoritas ad plebem est? Vos [5] eleva- » tis eam. Quippe, quia plebs senatusconsultum in » continuandis magistratibus solvit, ipsi quoque so- » lutum vultis, ne temeritati multitudinis cedatis: » tanquam id sit plus posse in civitate, plus levitatis » ac licentiae habere: levius enim vaniusque pro-

Cap. XXI. 1. *In auctoritate Patrum esse*, eam sequi, ei cedere, ut mox *Consules fuere in Patrum potestate*, h. e. senatusconsulto parebant: confer ad II, 56, n. 16. — *In reliquum*, v. ad XXIII, 20, n. 4.

2. *Ne quid cederent plebi*, qua in re, ut passim, in pr. post *si*: vide Drak. ad III, 48, qui saepe ita *quid* eleganter abundare monet. Confer ad Tac. Ann. XIV, 7, n. 4.

3. *L. Quintium consulem reficiebant*, h. e. reficere volebant, seu conabantur: nam ipse refici nolebat, ut e seqq. intelligitur. Est actus pro consilio, s. conatu rei perficiendae, ut *tenebat* IX, 46, n. 17; *decernere* IV, 50, n. 3; XXVII, 20; *intendebant* XXI, 6; *averterent* XXIII, 32, n. 4; *notantibus* XXVII, 25, n. 3; *abrogare* XXXIV, 1 et 6; *restituebat* XXXVII, 53; *retinerent* XXV, 33, (ubi vide Drak.) *diviserant* V, 24; *dare* pro *dare velle*, s. *offerre* IX, 41 pr. XXI, 34, n. 3; XXVIII, 5; XXXI, 19; XXXVII, 53; *revocabat* pro *revocandos censebat* XXVI, 8, n. 3: sic et διδόναι pro offerre apud Diodor. XVIII, 60.

4. *Actio consulis*, vid. ad II, 56, n. 4. — *Ad plebem*, v. ad II, 10, n. 10.

5. *Vos elevatis eam*, levem facitis, minuitis. Sic passim *levare* et *elevare*, cui τὸ *aggravare* opponitur VI, 27, n. 1, et *extollere* IX, 37, n. 4, et XXVIII, 44 extr. Hinc et *elevare indicem indiciumque* XXVI, 27, n. 6, pro minuere fidem eius. Conf. ad IV, 12, n. 3.

» fecto est, sua decreta et consulta tollere, quam » aliorum. Imitamini [6], Patres conscripti, turbam » inconsultam: et, qui exemplo aliis esse debetis, » aliorum exemplo peccetis potius, quam alii ve» stro recte faciant; dum ego ne imiter tribunos, » nec me contra senatusconsultum consulem renun» tiari patiar. Te vero, C. Claudi, adhortor, ut et » ipse populum romanum hac licentia arceas: et » de me hoc tibi persuadeas, me ita accepturum, ut » non honorem meum a te impeditum, sed gloriam » spreti honôris auctam, invidiamque quae ex con» tinuato eo impenderet, levatam putem». Communiter inde edicunt, «ne quis L. Quintium consu» lem faceret. Si quis fecisset, se id suffragium [7] non » observaturos».

XXII. Consules creati Q. [1] Fabius Vibulanus tertium et L. Cornelius Maluginensis. Census actus eo anno. Lustrum [2], propter Capitolium captum, consulem occisum, condi religiosum [3] fuit. Q. Fabio, L. Cornelio consulibus, principio anni statim res turbulentae. Instigabant plebem tribuni. Bellum [4] ingens a Volscis et Aequis Latini atque Hernici nuntiabant:

6. *Imitamini* est imperat., quem subiunctivus saepe sequitur; Duk. — *Dum ne*, dummodo non, *imiter*, ut XXXIII, 24, n. 5: haec forma frequens apud optimos auctores; c. Drak. ad h. l. et XXVIII, 40.

7. *Se id suffragium non observaturos*, non probaturos, nullam eius rationem habituros.

Cap. XXII. 1. *Q. Fabius Vibulanus tertium*, conf. cap. 1 et 2.

2. *Lustrum condi*, vide ad I, 44, n. 3. — *Propter Capitolium captum et consulem occisum*, vid. cap. 15 et 18. Census coeptus anno superiore, sed interruptus erat tumultu servili. Confer cap. 24 extr.

3. *Religiosum fuit*, vid. ad II, 5, n. 4.

4. *Bellum ingens a Volscis et Aequis*, i. e. Volscorum et Aequorum, ut mox *quia nondum ab Aequis venisset exercitus*, nisi potius iungenda *ab Aequis* (missus) *venisset*; vid. ad XXVII, 5, n. 4. — *Ipsam coloniam*, sc. Antium. Conf. II, 64; III, 1 et 4. — *Praeverti*, vide ad II, 24, 3. — *Cornelio, ut Romae* etc. Ambo Paris. codices et multi alii, *Cornelius*; sed ratio docet alterum praestare. Lem.

iam Antii Volscorum legiones esse: et ipsam coloniam ingens metus erat defecturam: aegreque impetratum a tribunis, ut bellum praeverti sinerent. Consules inde partiti provincias: Fabio, ut Antium legiones duceret, datum; Cornelio, ut Romae praesidio esset: ne qua pars hostium, qui Aequis mos erat, ad populandum veniret. Hernici et Latini iussi milites dare ex foedere: duaeque partes sociorum in exercitu, tertia civium fuit. Postquam ad diem praestitutum venerunt socii, consul extra portam Capenam castra locat: inde lustrato exercitu Antium profectus, haud procul oppido stativisque hostium consedit. Vbi quum Volsci, quia nondum ab Aequis venisset exercitus, dimicare non ausi, quemadmodum quieti vallo se tutarentur, pararent; postero die Fabius, non permixtam unam sociorum civiumque, sed trium populorum tres separatim acies circa vallum hostium instruxit. Ipse erat medius cum legionibus romanis: inde signum observare iussit, ut pariter et socii rem inciperent, referrentque pedem, si receptui cecinisset: equites[5] item suae cuique parti post principia collocat. Ita trifariam adortus castra circumvenit: et, quum undique instaret, non sustinentes impetum

5. *Equites suae cuique parti*, in gratiam s. subsidium partia, quae cuique essel sua vel tanquam sua cuique assignata, *post principia*, posl primam aciem, vel primae aciei ordines, *collocat*. Hoc elegantius dictum putabat Doering. quam si *sua* (ut ad *principia* referatur), vel *suos*, aut *suae quemque*, aul *suae quosque*, scil. equites, reponatur anclore I. F. Gron. qui monet, ex sermonis ratione diei *suam rem cuique*, aut *suo quidque domino tribuere*, non *suum quidque* aut *suo cuique*. Conf. I, 52; II, 32; III, 11, 36; XXV, 17, n. 4 (ubi Gron. emend. *unicuique genti assuetis*); XXXI, 34; XXXIII, 46, n. 7; XXXIV, 2; XLV, 20, n. 7; interpp. Virg. Ecl. VII, 54, et Duk. ad h. l. qui praeter alia haec monuit: « Mihi nondum liquet; cur haec tam ἀποτόμως damnanda aint, et cur omnes librarios toties ad hoc corrumpendum conspirasse credere debeamus. Propemodum credo, Latinos dixisse interdum *suusquisque*, et *unusquisque* el *quotusquisque*. »

Volscos vallo deturbat. Transgressus inde munitiones, pavidam turbam inclinatamque in partem unam castris expellit: inde effuse fugientes eques, cui superare vallum haud facile fuerat, quum[6] ad id spectator pugnae adstitisset, libero campo adeptus, parte victoriae fruitur, territos caedendo. Magna et in castris et extra munimenta caedes fugientium fuit; sed praeda maior, quia vix arma secum efferre hostis potuit: deletusque exercitus foret, ni fugientes silvae texissent.

XXIII. Dum ad Antium haec geruntur, interim Aequi, robore iuventutis praemisso, arcem tusculanam improviso nocte capiunt: reliquo exercitu haud procul moenibus Tusculi considunt, ut distenderent[1] hostium copias. Haec celeriter Romam, ab Roma[2] in castra Antium perlata, movent Romanos haud secus, quam si Capitolium captum nuntiaretur; adeo et recens erat Tusculanorum meritum, et similitudo ipsa periculi reposcere datum auxilium videbatur. Fabius omissis omnibus, praedam ex castris raptim Antium convehit. Ibi modico praesidio relicto, citatum agmen Tusculum rapit. Nihil praeter arma, et quod cocti ad manum fuit cibi, ferre militi licuit; commeatum ab Roma consul Cornelius subvehit: aliquot menses Tusculi bellatum: parte exercitus consul castra Aequorum oppugnabat: partem Tusculanis

6. *Quum ad id spectator pugnae adstitisset*, vide ad II, 23, n. 3.

Cap. XXIII. 1. *Distenderent hostium copias*, disiungerent, distraherent in diversas partes; ut *distendere animos* et *curas* pro dividere, distrahere IX, 12; XXVII, 40: hinc etiam arcera XXXIV, 29. Sic et *distinere* IV, 59 pr. V, 20 pr. et VII, 21, n. 3, quod passim a librariis perperam confunditur cum *detinere*, h. e. retinere, ab aliqua re abstrahere.

2. *Ab Roma in castra Antium perlata*, h. e. ad Antium, ut *Veiis* pro *ad Veios* V, 8 et 12; nisi delendum *Antium*, vel certe transpositis verbis legendum *Antium in castra perlata*; Scheller. — *Datum auxilium*: an *latum*? Sed vid. ad XXXVIII, 16, n. 5.

dederat ad arcem recuperandam. Vi[3] nunquam eo subiri potuit: fames postremo inde detraxit hostem. Quo postquam ventum ad extremum est, inermes[4] nudique omnes sub iugum ab Tusculanis missi: hos, ignominiosa fuga domum se recipientes, romanus consul in Algido consequutus, ad unum omnes occidit. Victor ad Columen, id loco nomen est, exercitu relicto castra locat. Et alter consul, postquam moenibus iam romanis, pulso hoste, periculum esse desierat, et ipse ab Roma profectus. Ita bifariam consules ingressi hostium fines, ingenti certamine hinc Volscos[5], hinc Aequos populantur. Eodem[6] anno descisse Antiates, apud plerosque auctores invenio; L. Cornelium consulem id bellum gessisse, oppidumque cepisse, certum affirmare, quia nulla apud vetustiores scriptores eius rei mentio est, non ausim

XXIV. Hoc bello perfecto, tribunitium domi bellum Patres territat. Clamant, *fraude fieri, quod foris teneatur exercitus: frustrationem[1] eam legis tollendae esse: se nihilo minus rem susceptam peracturos.* Obtinuit tamen P. Lucretius praefectus Vrbis, ut actio-

3. *Vi nunquam*, conatu saepius frustra repetito, *eo*, ad arcem, *subiri potuit* a parte exercitus Tusculanis data. Al. *eo subire*, et *eos subigere*. — *Inde*, ab arce; conf. Dionysius, X, 21.

4. *Inermes nudique sub iugum missi*, vide supr. ad cap. 19, n. 9. Mox viri docti emendant, *Victor ad Columen exercitu reliquo*, vel *reducto*, vel *relato*, vel *refecto*, vel, quod ceteris praestat, *recollecto* (nisi malis *collecto*); nam dispersus erat exercitus, persequutus hostem fugientem.

5. *Hinc Volscos*, *hinc Aequos*, vide ad I, 13, n. 2.

6. *Eodem anno descisse Antiates*, et Cornelium consulem in eos, Antio vi capto, severe animadvertisse, tradit Dionysius, X, 22.

Cap. XXIV. 1. *Frustrationem eam legis tollendae esse*, ad legem tollendam spectare s. valere. Conf. inf. cap. 31 extr. 39 extr. IV, 48 extr. V, 3, n. 2; VII, 18, n. 1; XXVII, 9, n. 6; XXXIV, 54, *n.* 4; XXXVIII, 50, n. 4; XXXIX, 16, n. 7; XL, 29, n. 6. — *P. Lucretius*, forte *L.* quia praefecti Vrbis ante hoc tempus consulares fuere; Duk. coll. cap. 3, 5, 8 et 29.

nes tribunitiae in adventum consulum differrentur. Erat et nova exorta causa motus. A. Cornelius et Q. Servilius quaestores[2] M. Volscio, quod falsus haud dubie testis in Caesonem exstitisset, diem dixerant: multis enim[3] emanabat indiciis, neque fratrem Volscii, ex quo semel fuerit aeger, unquam non modo visum in publico, sed ne assurrexisse quidem ex morbo, multorumque tabe mensium mortuum; nec his temporibus, in quae testis crimen coniecisset, Caesonem Romae visum, affirmantibus, qui una[4] meruerant, secum eum tum frequentem[5] ad signa sine ullo commeatu fuisse: ni[6] ita esset, multi privatim

2. *Quaestores M. Volscio . . . diem dixerant*, vide ad II, 41, n. 12. De *Volscio* vide supr. cap. 13.

3. *Multis emanabat indiciis*, palam factum est et manifestum. Cf. Drak. ad h. l. et nos ad L, 54, n. 7. — *In quae testis crimen coniecisset*, quibus illud commissum esse dixisset.

4. *Qui una meruerant* stipendium.

5. *Frequentem ad signa fuisse*, frequenter, ut XXXIX, 53, et ap. Tac. Ann. IV, 55. — *Sine ullo commeatu*, vide ad I, 57, n. 2.

6. *Ni ita esset*, nisi ita se res haberet, et si Volscius hoc negaret (formula, in quam dabatur iudicium, et solemnis in sponsionibus, in quibus sacramento, h. e. certa pecunia deposita vel promissa, quis cum aliquo contendebat) *multi privatim*, per se, *ferebant Volscio iudices*, profitebantur se paratos esse ad causam agendam coram iudicibus, qui rem dirimerent. Lite inter duos orta, qui disceptandae eius brevissimam viam optabat et ad iudicem provocabat, is *iudicem ferre alteri* (III, 57; VIII, 33; IX, 1) dicebatur, et *iudicem dicere* III, 56; nisi quod illud est provocantis, hoc provocati: *ferebat* autem vel ipse nominando virum spectatae moderationis et nemini suspectum, aut iubendo adversarium nominare (*dicere iudicem* III, 56) quem sumerent; Gron. ad III, 56. Confer Ernesti clav. Cic. v. *sponsio*. — Quum actor *ferre iudicem* reo dicitur, intelligendum est ab eo nominatim offerri ac proponi aliquem e iudicibus, apud quem de iure utriusque disceptaretur: qui si probaretur reo, tum iudex convenisse dicebatur. Quum autem in singulas lites iudicem, vel iudices dari oporteret ab eo magistratu, cuius erat iurisdictio, nempe primis temporibus a consule, postea a praetore; actor et reus communiter ab eo postulabant, ut hic qui convenerat sibi iudex daretur. Nonnunquam actor reo dabat, ut ipse *iudicem diceret*, id est eum e iudicibus, quem ipsi videretur, eligeret et a magistratu postularet: sic infra, cap. 56, Virginius Appium compellat his verbis: *Unius tantum criminis ni iudicem dices*. Ceterum in nostro loco Andreas et vetustiores editi habent *iudices*, quod probat Gronovius,

ferebant Volscio iudices. Quum ad iudicium ire non auderet, omnes eae res, in unum congruentes, haud magis dubiam damnationem Volscii, quam Caesonis Volscio teste fuerat, faciebant. In mora tribuni erant, qui comitia quaestores habere de reo, nisi prius habita de lege essent, passuros negabant: ita extracta utraque res in consulum adventum est. Qui ubi triumphantes victore cum exercitu Vrbem inierunt, quia silentium de lege erat, perculsos magna pars credebant tribunos. At illi, etenim extremum anni iam erat, quartum affectantes tribunatum, in comitiorum[7] disceptationem ab lege certamen averterant: et quum consules nihilo minus adversus continuationem tribunatus, quam si lex minuendae suae maiestatis causa promulgata ferretur, tetendissent; victoria certaminis penes tribunos fuit. Eodem anno Aequis pax est petentibus data. Census[8], res priore anno inchoata, perficitur: idque lustrum ab origine urbis decimum conditum. Fuerunt censa civium capita centum septemdecim millia trecenta novemdecim.

quia nempe multi, et alius alium ferebant Volscio iudicem: attamen latinitati non repugnat singulare; et praeterea formula erat *iudicem ferre*, *dicere*, quare hanc formam bene defendit Rhenanus. Monendum autem est τὸ *iudices* ex eo tantum fluxisse, quod Florentina membrana habeat *iudicis*. Omnes alii habent *iudicem*. Immo hic locus aliter in nostris codicibus legitur: codex Paris. *nisi ita esset, multi privatim in multis privatis ferebant Volscio iudicem*; eandem lectionem habet Sorbonicus, nisi quod praepositio *in* absit. Cuius lectionis nullum vestigium in locupletissimo Drak. thesauro reperiri miror. Insuper Brissonius notat in faciendis sponsionibus ac ferendis iudicibus particulam *ni* adhibitam fuisse; quare idem Drakenb. invitis omnibus libris, *nisi* reiecit. Lem. — *In mora tribuni erant*, impedimento erant, impediebant, obstabant, ut XXVI, 3, n. 3; XXX, 44, n. 2; et *moram rei facere* III, 2; XXI, 32; XXVII, 6, n. 4.

7. *In comitiorum disceptationem*, h. e. de comitiis.

8. *Census, res priore anno inchoata, perficitur; idque lustrum ... conditum*, vide ad cap. 22, n. 2. — *Fuerunt censa civium capita* etc., vide ad Epit. III, n. 1, et ad III, 3, n. 4.

Consulum magna domi bellique eo anno, gloria fuit: quod et foris pacem peperere, et domi, etsi non concors, minus tamen quam alias infesta civitas fuit.

XXV. L. Minucius inde et C. Nautius consules facti duas[1] residuas anni prioris causas exceperunt. Eodem modo consules legem, tribuni iudicium de Volscio impediebant: sed in quaestoribus novis maior vis, maior auctoritas erat: cum M.[2] Valerio, Valerii filio, Volesi nepote, quaestor[3] erat T. Quintius Capitolinus, qui ter consul fuerat. Is, quoniam neque Quintiae familiae Caeso, neque reipublicae maximus iuvenum restitui posset, falsum testem, qui dicendae causae innoxio potestatem ademisset, iusto ac pio bello persequebatur. Quum Virginius[4] maxime et tribuni de lege agerent, duum mensium spatium consulibus datum est ad inspiciendam legem; ut, quum edocuissent populum, quid fraudis occultae ferretur, sinerent deinde suffragium inire: hoc intervalli da-

CAP. XXV. 1. *Duas residuas causas*, scil. *legem* Terentiam (vid. supr. cap. 9) et *iudicium de Volscio*, vid. cap. 13, 24 et 29.

2. *M. Valerio*, qui biennio post consul fuit (vide cap. 31), *Valerii filio*, eius, qui dictator fuit an. Vrb. cond. 260 (vide II, 30, 31). Sed forte leg. *M' Valerii filio*, vel potius *M' F.* Confer stemma Valeriorum apud Drak. ad h. l.

3. *Quaestor erat Quintius, qui ter* etc. vide ad II, 41, n. 12.

4. *Virginius maxime et tribuni* ceteri, ut (quod iam monuere Gron. et Drak.) *Syphace et captivis* XXX, 12, extr. *consulum Papiriique praecipuum id decus* IX, 15, n. 6 (ubi tamen τὸ *praecipuum* ad solum spectat *Papirium*); *Quintius legatique* XXXV, 34, 37; *Popillius et legatio* XLV, 13, n. 1; *Bitis cum obsidibus* XLV, 42, n. 2; *T. Quintius et Romani* XXXVIII, 31, n. 2; Ζεῦ καὶ θεοὶ et al. Cf. ad XXXI, 18, n. 1; XXXV, 44, n. 1; Drak. ad h. l. Schel. ad Hygin. de castramet. pag. 1052 et intpp. Rutil. Numat. 1,300. Virginius quidem ipse tribunus erat, sed praecipuus quoque turbarum auctor (vid. supra cap. 11—13), unde tanquam princeps tribunorum seorsum nominatur. — *Ad inspiciendam legem*, solertius examinandam. Cf. ad VI, 27, n. 4, et XXVI, 35, n. 3. — *Quid fraudis occultae ferretur*, lege lata intenderetur. *Ferre fraudem* etiam pro *afferre* s. *inferre* dicitur XXIV, 38, n. 5, et apud Cicer. ad Attic. VII, 25.

tum res tranquillas in Vrbe fecit. Nec diuturnam quietem Aequi dederunt: qui, rupto foedere, quod ictum erat priore anno cum Romanis, imperium ad Gracchum Cloelium deferunt: is tum longe princeps in Aequis erat. Graccho duce in lavicanum agrum, inde in tusculanum, hostili populatione veniunt, plenique praedae in Algido castra locant. In ea castra Q. Fabius, P. Volumnius, A. Postumius legati ab Roma, venerunt questum iniurias, et ex foedere res[5] repetitum. Eos Aequorum imperator, *quae mandata habeant ab senatu romano, ad quercum* iubet *dicere: se alia interim acturum.* Quercus ingens arbor praetorio imminebat, cuius umbra opaca sedes erat. Tum ex legatis unus abiens, *et haec*, inquit, *sacrata*[6] *quercus, et quidquid deorum est, audiant foedus a vobis ruptum: nostrisque et nunc*[7] *querelis adsint, et mox armis; quum deorum hominumque simul violata iura exsequemur.* Romam ut rediere legati, senatus iussit, alterum consulem contra Gracchum in Algidum exercitum ducere: alteri populationem finium Aequorum provinciam dedit. Tribuni suo more impedire delectum: et forsitan ad ultimum impedissent; sed novus subito additus terror est.

XXVI. Vis Sabinorum ingens prope ad moenia Vrbis infesta populatione venit: foedati agri, terror iniectus Vrbi est. Tum plebs benigne[1] arma cepit:

5. *Res repetitum*, vid. ad I, 22, n. 5.

6. *Sacrata quercus*, sacra Iovi, vel venerandae quasi antiquitatis et magnitudinis.

7. *Nostrisque et nunc querelis adsint*, eas benigne audiant, *et mox armis*, ea iuvent. Confer supra ad c. 14, n. 6.

Cap. XXVI. 1. *Benigne arma cepit*, sponte, libenter ac propenso animo. Sic et *benigne polliceri operam* VI, 6, n. 5; vel prolixe, liberaliter. Conf. ad III, 63, n. 2. — *Ad Eretum* in Sabinis propinquum Nomento et ad Tiberim (hodie *Monte Rotondo*), XVIII mill. pass. a Rom. in via Salaria. — Mox verba *comparati ad*

reclamantibus frustra tribunis, magni duo exercitus scripti: alterum Nautius contra Sabinos duxit; castrisque ad Eretum positis, per expeditiones parvas, plerumque nocturnis incursionibus, tantam vastitatem in sabino agro reddidit, ut comparati ad eam prope intacti bello fines romani viderentur. Minucio neque fortuna, nec vis animi eadem in gerendo negotio fuit: nam, quum haud procul ab hoste castra posuisset, nulla magnopere clade accepta, castris se pavidus tenebat. Quod ubi senserant hostes, crevit ex metu alieno[2], ut fit, audacia: et nocte adorti castra, postquam parum vis aperta profecerat, munitiones[3] postero die circumdant: quae priusquam undique vallo obiecto clauderent exitus, quinque equites, inter stationes hostium emissi, Romam pertulere, consulem exercitumque obsideri. Nihil[4] nec tam inopinatum, nec tam insperatum accidere potuit. Itaque tantus pavor, tanta trepidatio fuit, quanta, si urbem, non castra hostes obsiderent. Nautium consulem arcessunt: in quo quum parum praesidii videretur, dictatoremque dici placeret, qui rem perculsam restitueret, L. Quintius Cincinnatus consensu omnium dicitur. Operae[5] pretium est audire, qui omnia prae divitiis humana spernunt, neque honori

eam paulo durius dicta pro si finium rom. vastitas comparetur cum vastitate sabini agri. Forte leg. *ad eum*, scil. agrum sabinum. Cf. tamen inf. ad V, 23, n. 4.

2. *Ex metu alieno*, alterius partis, Romanorum.

3. *Munitiones circumdant* castris rom. ea cingunt fossa, vallo, et exercitu: περιεστάφρευσί τε καὶ περιεχαράκου. Dionys. lib. X, pag. 650.

4. *Nihil nec tam inopinatum* etc., vid. ad II, 45, n. 7. — *Insperatum*, vide ad I, 5, n. 8.

5. *Operae pretium est audire* haec, vel narrationem sequentem eos, *qui omnia* etc., vel, quae simplicior ratio est, *audire* eos, *qui omnia* etc., ut scil. eorum iudicia comparentur cum hac narratione, unde perversitas illorum intelligetur. Cf. Iuvenal. VI, 474 sq. Quis vero est, quem non mirifice afficiat narratio haec, et comparatio diversorum temporum, hominum, iudiciorumque?

magno locum, neque virtuti putant esse, nisi ubi effuse affluant opes. Spes unica imperii populi romani L. Quintius[6] trans Tiberim, contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt, quatuor iugerum colebat agrum, quae prata Quintia vocantur. Ibi ab legatis, seu fossam fodiens palae innisus, seu quum araret; operi certe, id quod constat, agresti intentus; salute data in vicem redditaque, rogatus *ut*, *quod bene verteret ipsi reique publicae*, *togatus mandata senatus audiret*, admiratus, rogitansque, *santin' salva*[7] *essent omnia?* togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam iubet. Qua simul, absterso pulvere ac sudore, velatus processit, dictatorem eum legati gratulantes consalutant; in Vrbem vocant; qui terror sit in exercitu, exponunt. Navis Quintio publice parata fuit, transvectumque tres obviam egressi filii excipiunt; inde alii propinqui atque amici; tum Patrum maior pars. Ea frequentia stipatus, antecedentibus lictoribus, deductus est domum: et plebis concursus ingens fuit: sed ea nequaquam tam laeta Quintium vidit; et imperii[8] nimium, et virum in

6. *L. Quintius trans Tiberim* etc. Conf. cap. 13 extr. — *Vbi nunc navalia sunt*, h. e. locus, ubi naves vel aedificantur, vel reficiuntur, vel, hieme potissimum adventante, in litus subducebantur machinis suppositis. — *Pala* instrumentum rusticorum, quo terram fodiunt.

7. *Satin' salva essent omnia*, vide ad I, 58, n. 3. — *Qua simul*, simul ac *velatus processit* etc.

8. *Imperii nimium*, ut *nimius animi* (animo, aut nimio animo, h. e. nimis ferox et superbus) VI, 11; *sermonis nimius* apud Tacit. Hist. III, 75; *confusus atque incertus animi* I, 7, *stupens animi* VI, 36, n. 3; *territus animi* VII, 34 pr. *animi aeger* s. *praestans* s. *egregius*, et al. Malim tamen exponere: nimium s. nimis magnum imperium. Nam alioqoin Livius dixisset: *virum et imperii nimium*, *et in ipso* etc. — *Vehementiorem*, qualem iam cognoverant eum in consulatu: conf. c. 19, 20, 21. Forte cum Christio leg. *virum ipso imperio vehementiorem*, h. e. suopte ingenio graviorem tetrioremque, quam vel imperium dictaturae esset; Drak. — Idem iam viderant nostri Donatius et Creverius; hic locum ita exponit: Plebs rebatur Quintium esse et ni-

ipso imperio vehementiorem rata. Et illa quidem nocte nihil[9] praeterquam vigilatum est in Vrbe.

XXVII. Postero die dictator, quum ante lucem in forum venisset, magistrum equitum dicit L. Tarquitium[1] patriciae gentis, sed qui quum stipendia pedibus propter paupertatem fecisset, bello tamen primus longe romanae iuventutis habitus esset. Cum magistro equitum in concionem venit; iustitium[2] edicit; claudi tabernas[3] tota urbe iubet; vetat quemquam privatae quidquam rei agere: tum, quicumque aetate militari essent, armati, cum cibariis in dies quinque coctis vallisque[4] duodenis, ante solis occasum Martio in campo adessent: quibus aetas ad militandum gravior esset, vicino militi, dum is arma pararet, vallumque peteret, cibaria coquere iussit.

mium imperii, id est, nimium imperioso magistratu, dictatura nempe, metuendum; *et virum imperio ipso vehementiorem*, id est, eum cuius vehementius et imperiosius esset, quam ipsius dictaturae ingenium; supra enim II, 30, dictaturam Livius vocavit *imperium suo ingenio vehemens*. Lem.

9. *Nihil praeterquam vigilatum est*, vide ad II, 8, n. 9.

Cap. XXVII. 1. *L. Tarquitium*. Libri omnes habent *Tarquinium*; sed vide Drak. et alios. — *Stipendia pedibus*, in pedestri exercitu, *propter paupertatem fecisset*, quia non habebat censum equestrem, adeoque non a censoribus in ordinem equestrem lectus equoque publico donatus erat. Militia autem eqoestris honoratior erat.

2. *Iustitium edicit*, vid. supr. cap. 3, n. 2.

3. *Claudi tabernas tota Vrbe iubet*, quod fiebat vel edicto consulum dictatorisve in luctu et periculo (de quo vid. ad II, 26, n. 1), vel iussu seditiosorum tribunorum, qui ita opifices avocabant ab opera, ut eos in concionem confluentes concitarent. *Tabernae* autem sunt aedificia vilia, in pr. circa forum, ubi *tabernarii*, opifices aliique de infima plebe homines, vel faciebant, vel venales exponebant merces, vel artes exercebant: unde *tabernae unguentariae*, *cauponiae*, *librariae*, *tonsoriae*, *medicae*, *argentariae*, *sutrinae*, *lanienae* (III, 48); literariae, in quibus ludi literarum erant (III, 44); *novae ac veteres* argentariae in foro: conf. Ind. et ad XXVI, 27, n. 2; Harduin. ad Plin. XXXV, s. 8 et 37.

4. *Vallis duodenis*; qui *valli* sunt pali acuti, vel ramosi stipites, aggeri castrorum infigendi. Plerumque terni tantum, aut quaterni ferebantur; vide Lips. Mil. Rom. V, 11, et infra ad XXV, 36, n. 3; XXXIII, 5 et 6 pr. Epit. LVII, n. 2.

Sic iuventus discurrit ad vallum petendum: sumpsere, unde cuique proximum fuit: prohibitus nemo est; impigreque omnes ad edictum dictatoris praesto fuere; inde composito agmine, non itineri magis [5] apti, quam proelio, si res ita tulisset. Legiones ipse dictator, magister equitum suos equites ducit; in utroque agmine, quas tempus ipsum poscebat, adhortationes erant: *adderent gradum, maturato opus esse, ut nocte ad hostem pervenire*[6] *possent: consulem exercitumque romanum obsideri; tertium diem iam clausos esse: quid quaeque nox aut dies ferat, incertum esse: puncto saepe temporis maximarum rerum momenta verti. Accelera signifer, sequere miles*, inter se quoque,

5. *Non itineri magis apti*, sc. fuere; et tum post *tulisset* maior distinctio ponenda. Malim certe lectionem vulg. *apto* revocare, quam voc. *apti*, vel ad *dictatorem* et *magistrum equitum*, vel ad *agmine* referre, quod nomen quidem collectivum est, sed non eiusdem casus. — Duo codices Paris. habent *apti;* et post *tulisset* interpungunt, et bene: quare maiorem distinctionem, quam in contextu recipere Ruperti non fuerat ausus, nostro periculo restituimus, et post *praesto fuere* minorem. Gron. et Creverius qui *apti* ad dictatorem et magistrum equitum falso referunt, in fine periodi voluerunt legi *ducunt* pro *ducit:* quamvis eorum ratio foret accepta, nihil mutandum esset, namque lib. XLIV, cap. 17 etiam Livius dicit: *Praetores, Cn. Boebius urbanam, L. Anicius peregrinam, et si quo senatus censuisset, Cn. Octavius classem, P. Fonteius Hispaniam, M. Aebutius Siciliam, C. Papirius Sardiniam est sortitus*. Lem.

6. *Pervenire possent:* optimi plerique, teste Gronovio, et Cod. Paris* ambo habent *posset*, indicio esse scribendum *perveniri*, quod ex suo vet. libro notavit Muretus. In altero autem Cod. ita legitur; litera quidem *i* ultima est a secunda manu, sed prioris scripturae vestigio cum aliis eiusdem codicis locis collato, dubium est *pervenire* antea fuisse scriptum. Lem. —*Puncto saepe temporis maximarum rerum momenta* (vide ad I, 47, n. 7) *verti*, quo sensu XXVII, 9, et XXXII, 17, dicitur *ex parvis rebus saepe magnarum momenta pendent* (conf. II, 7, n. 11; IX, 1; XXI, 4; XXII, 12, n. 9; XXIV, 19, n. 5; XXXVIII, 11; XXXIX, 29; ad Tacit. Ann. IV, 32, §. 4,) et passim *verti re* vel *in re* et *in eo* (forte et simpl. *verti* XXXIX, 48, n. 3), pro inesse, consistere, contineri, niti, ab eo pendere, quaeri (v. g. I, 30; IV, 31; VIII, 27; XXXII, 15; XXXVII, 7), vel esse, ut *in summo discrimine res vertitur* VI, 36, n. 3, et XXVI, 5, n. 7. — *Signa constituunt*, vide ad XXVII, 16, n. 4.

gratificantes ducibus, clamabant. Media nocte in Algidum perveniunt: et, ut sensere se iam prope hostes esse, signa constituunt.

XXVIII. Ibi dictator, quantum nocte prospici poterat, equo circumvectus, contemplatusque qui tractus [1] castrorum, quaeque forma esset, tribunis militum imperavit, ut sarcinas in unum [2] coniici iubeant; militem cum armis valloque redire in ordines suos: facta, quae imperavit. Tum, quo fuerant ordine in via, exercitum omnem longo agmine circumdat hostium castris, et, ubi signum datum sit, clamorem omnes tollere iubet; clamore sublato, ante se quemque ducere fossam, et iacere vallum. Edito imperio, signum sequutum est: iussa miles exsequitur: clamor hostes circumsonat, superat inde castra hostium, et in castra consulis venit: alibi pavorem, alibi gaudium ingens facit. Romani *civilem esse clamorem, atque auxilium adesse*, inter se gratulantes, ultro ex stationibus ac vigiliis territant hostem. Consul differendum negat: *illo clamore non adventum modo significari, sed rem ab suis coeptam; mirumque esse, ni iam exteriore parte castra hostium oppugnentur: itaque arma suos capere, et se subsequi* iubet. Nocte initum proelium est a legionibus: dictatori clamore significant, ab ea quoque parte rem [3]

CAP. XXVIII. 1. *Tractus castrorum*, extensio, longitudo, spatium.

2. *Sarcinas in unum coniici*, scilic. locum. Mox *quo fuerant ordine*, quia *exercitus* est nomen collectivum.

3. *Rem in discrimine esse*, pugna eiusque eventu dirimi, pugnam dubii eventus committi: conf. ad VI, 17, n. 1. — Hic locus aliter legitur in codice Sorbonico; *Nocte initum praelium est: legionibus dictatoris clamore significant ab ea quoque parte rem in discrimine esse*; hoc est, initum proelium a legionibus consulis; hae legiones dictatoris legionibus clamore nuntiant a sua quoque parte rem in discrimine esse. Eandem lectionem, quam in sua editione receperat Crevierius, habet quoque cod. Paris., nisi quod pro *clamore* legatur *clamores*; sed litera *s* a posteriori manu est. LEM.

in discrimine esse. Iam se ad prohibenda [4] circumdari opera Aequi parabant, quum, ab interiore hoste proelio coepto, ne per media sua castra fieret eruptio, a munientibus ad pugnantes introrsum versi, vacuam [5] noctem operi dedere: pugnatumque cum consule ad lucem est. Luce prima iam circumvallati ab dictatore erant, et vix adversus unum exercitum pugnam sustinebant. Tum a Quintiano exercitu, qui confestim a perfecto opere ad arma rediit, invaditur vallum; hic instabat nova pugna: illa [6] nihil remiserat prior. Tum, ancipiti malo urgente, a proelio ad preces versi, hinc dictatorem, hinc consulem orare, ne in occidione victoriam ponerent, ut inermes se inde abire sinerent. Ab consule ad dictatorem, ire iussis, ignominiam infensus addidit. Gracchum Cloelium ducem principesque alios vinctos ad se adduci iubet; oppido Corbione decedi; *sanguinis se Aequorum non egere: licere abire: sed, ut exprimatur tandem confessio subactam domitamque esse gentem, sub* [7] *iugum abituros.* Tribus hastis iugum fit, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata. Sub hoc iugo dictator Aequos misit.

4. *Ad prohibenda circumdari opera*, h. e. ad prohibendum, ne, seu quominus circumdarentur opera; nisi leg. *prohibendum:* conf. ad VI, 24, n. 4.

5. *Vacuam*, imperturbatam, *noctem operi* dictatoris perficiendo (ut mox *a perfecto opere*) *dedere*, non amplius impediebant circumvallationem.

6. *Illa prior* (nisi leg. *illic*) *nihil remiserat*, vide ad II, 34, n. 7. — *Infensus addidit*, sc. dictator (confer ad cap. 38, n. 4); nisi leg. *Ab consule ad dictatorem ire iussi: is ignominiam infensus addidit.*

7. *Sub iugum abire* inermem et discinctum (vide ad cap. 19, n. 9) vel *sub iugum* s. *iugo mitti* s. *traduci* (ut IX, 6 pr.) et *emitti* (ut IX, 6 extr. et mox cap. 29 pr.) summae ignominiae et servitutis signum. *Iuga* armentis imposita prisco aevo formam literae II, postea lit. A habebant. Hinc dictum illud *iugum*, cuius figura h. l. describitur: conf. Zonar. VII, 17, et Festus. — *Sub iugo misit*, ut contra *sub terram ediderunt pugnam* XXXVIII, 7, n. 7: sed Duk. τὸ *iugo* ex ant. scriptura *iugum* pro *iugum* ortum putabat. Cf. Drak. ad h. l. et Cort. ad Sallust. Iug. c. 38, §. 9.

XXIX. Castris[1] hostium receptis, plenis omnium rerum, nudos enim emiserat, praedam omnem suo tantum militi dedit: consularem exercitum ipsumque consulem increpans, *Carebis*, inquit, *praedae parte, miles, ex eo hoste, cui prope praedae fuisti: et tu, L. Minuci, donec consularem animum incipias habere, legatus his legionibus praeeris.* Ita se Minucius abdicat consulatu, iussusque ad exercitum manet. Sed adeo tum imperio meliori animus mansuete obediens erat, ut beneficii magis, quam ignominiae hic exercitus[2] memor, et coronam auream dictatori libram pondo decreverit, et proficiscentem eum patronum salutaverit. Romae a Q. Fabio praefecto urbis senatus habitus triumphantem Quintium, quo veniebat agmine, urbem ingredi iussit: ducti ante currum hostium duces: militaria signa praelata: sequutus exercitus praeda onustus. Epulae instructae dicuntur fuisse ante omnium domos: epulantesque cum carmine triumphali et solemnibus iocis, comissantium[3] modo, currum sequuti sunt. Eo die L. Ma-

Cap. XXIX. 1. *Castris hostium receptis*, ut XXIII, 41, n. 1; XXXIX, 23 extr. XLII, 54; XLIV, 32 al. — *Carebis, inquit, praedae parte.... et tu, L. Minuci, ... legatus his legionibus praeeris*: quales poenas irrogabat disciplina romana. Conf. X, 4, n. 2; XXIV, 16; XXVII, 13; Frontin. Strat. IV, 1; Valer. Maxim. II, 7, et Lips. Mil. Rom. V, 18. Hinc sibi militibusque ignominiam deprecatur Minucius infr. XXII, 30.

2. *Hic* (Minucii) *exercitus memor et coronam auream libram pondo* a. pondere, scilicet habentem, ut IV, 20; XXVI, 36, 47. Alii legunt *librae pondo:* sed vide Gron. de pecun. vet. I, 6, et Schelleri Lex. Lat.

3. *Comissantium modo:* nam *comissari*, κωμάζειν, est, vel post nocturnum convivium et in pr. compotationem, per urbis vicos cum taedis et symphonia vagari, ad puellarum amatarum aedes ire, ante illarum fores excubare cum cantu, easque, nisi sponte aperirentur, vi effringere; vel amicorum domos adire, diei festi agendi, aut coenae continuandae hilariorisque potissimum compotationis causa, ut XL, 7, n. 3, *quin comissatum ad fratrem imus?* et graece κωμάζειν πρός seu εἴς τινα. Confer Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 1, 11, et Drak. infr. ad XL, 7. — De *carmine triumphali et solemnibus iocis*, cf. IV, 20 (ubi vide not. 1); V, 49

milio[4] tusculano, approbantibus cunctis, civitas data est. Confestim se dictator magistratu abdicasset, ni[5] comitia M. Volscii falsi testis tenuissent: ea ne impedirent tribuni, dictatoris obstitit metus. Volscius damnatus Lanuvium in exsilium abiit. Quintius sexto decimo die dictatura, in sex menses accepta, se abdicavit. Per eos dies consul Nautius ad Eretum cum Sabinis egregie pugnat: ad vastatos agros ea quoque clades accessit Sabinis. Minucio Fabius[6] Quintus successor in Algidum missus. Extremo anno agitatum de lege ab tribunis est: sed, quia duo exercitus aberant, ne quid ferretur ad populum, Patres tenuere; plebes vicit, ut quintum eosdem tribunos crearent. Lupos visos in Capitolio ferunt a canibus fugatos; ob id prodigium lustratum Capitolium esse. Haec eo anno gesta.

XXX. Sequuntur consules Q. Minucius, C. Horatius Pulvillus: cuius initio anni quum foris otium esset, domi seditiones iidem tribuni, eadem lex faciebat: ulteriusque ventum foret, adeo exarserant animis, ni, velut dedita opera, nocturno impetu Aequorum Corbione amissum praesidium nuntiatum esset. Senatum consules vocant: iubentur subitarium[1] scribere exercitum, atque in Algidum ducere. Inde

extr. VII, 10; XXVIII, 9; XXXIX, 7.

4. *L. Mamilio tusculano*, de quo vid. supr. cap. 18.

5. *Ni comitia M. Volscii* (vid. cap. 13, 24 et 25) *falsi testis* causa habenda, ut iudicaretur, eum *tenuissent*, retinuissent, movissent ut in magistratu maneret. Conf. ad II, 63, n. 3. — *Dictatura, in sex menses accepta:* quo spatio definita erat dictatura, nisi prorogaretur ob summum reip. discrimen (ut VI, 1), ne diuturnitate potestatis in tyrannidem verteretur. Cf. ad IX, 34, n. 9, et XXII, 31, n. 5; sed semestre imperium non nisi dictatori rei gerendae causa creato dari solebat. Cf. XXIII, 23 pr.

6. *Fabius Quintus successor* etc. v. supr. ad cap. 1, n. 1, et ad XXVIII, 38, n. 4. — *De lege* Terentia. Confer cap. 9 sq. — *Patres tenuere*, vid. ad II, 42, n. 2.

CAP. XXX. 1. *Subitarium exercitum*, vide ad I, 37, n. 4.

posito legis certamine, nova de delectu contentio orta: vincebaturque consulare imperium tribunitio auxilio, quum alius additur terror: sabinum exercitum praedatum descendisse in agros romanos, inde ad Vrbem venire. Is [2] metus perpulit, ut scribi militem tribuni sinerent; non sine pactione tamen, ut, quoniam ipsi quinquennium elusi essent, parvumque id plebi praesidium foret, decem deinde tribuni plebis crearentur. Expressit hoc necessitas Patribus: id modo excepere, ne postea eosdem tribunos iuberent. Tribunitia comitia (ne id quoque post bellum, ut cetera, vanum esset) extemplo habita. Tricesimo [3] sexto anno a primis tribunis plebis, decem creati sunt, bini ex singulis classibus: itaque cautum est, ut postea crearentur. Delectu deinde habito, Minucius, contra Sabinos profectus, non invenit hostem. Horatius, quum iam Aequi, Corbione interfecto praesidio, Ortonam, etiam cepissent, in Algido pugnat: multos mortales occidit: fugat hostem non ex Algido modo, sed a [4] Corbione Ortanaque. Corbionem etiam diruit propter proditum praesidium.

XXXI. Deinde M. Valerius, Sp. Virginius consules facti. Domi forisque otium fuit: annona [1] propter

2. *Is metus perpulit;* al. *perculit* perperam. — *Iuberent* plebs, comitiis crearent, ut passim *iubere magistratus* et *legem*: at *rogare* de eo qui comitiis praeest.

3. *Tricesimo sexto anno a primis tribunis plebis, decem creati sunt, bini ex singulis classibus*, vide ad II, 33, n. 3; IX, 20, n. 7, ibique Drakenb. et Dodwell. de cyclis X, 96. — *Itaque*, et ita (vide ad I, 4, n. 10), *cautum est, ut* etc. pro *atque cautum est* (lege sancitum, constitutum), *ut ita* etc.

4. *A Corbione Ortonaque*, vide ad II, 43, n. 1.

Cap. XXXI. 1. *Annona*, eius caritate (vide ad II, 34, n. 10), *laboratum est propter aquarum intemperiem*, pluviae defectum, nimiam siccitatem, vel potius aquarum inundationem, earum et pluviae nimiam effusionem. *Intemperies* est intemperata s. immoderata conditio, v. c. *caeli* V, 13; VIII, 18; XXII, 2, s. tempestatis nimis vel calidae vel frigidae. *Laborare* autem et *laborari* proprie dicuntur, quae grave aliquod onus vix to-

aquarum intemperiem laboratum est. De [2] Aventino publicando lata lex est. Tribuni plebis iidem refecti sequente anno, T. Romilio, C. Veturio consulibus,

lerant, eoque labefactantur, premuntur, vexantur, affliguntur, vel multum inde laboris, difficultatis, curarum et molestiae percipiunt. Cf. ad Praef. n. 7. Hinc *premi et laborare* iunguntur XXII, 6 pr. Simili metaphora, ab animalibus, quorum cervices iugo premuntur, desumpta, *bellum ingens in cervicibus* Romanorum esse dicitur XXII, 33, n. 5; et *cervicibus* Poenorum *praepotentem finitimum regem imponere* XLII, 50, n. 3 (unde *malum a cervicibus vestris depellere* et *cervicibus sustinere rem* ap. Cic. Catil. III; Verr. V, 42 al.); sed *in cervicibus esse* hostis vel hosti pro prope adesse, XLIV, 39; et *in cervicibus habere hostem* XXVII, 26, n. 4, ut *hostes* nobis *supra caput sunt* III, 17 pr.

2. *De Aventino publicando*, publici iuris faciendo, usui plebis permittendo, s. in usus publicos redigendo, confiscando (ut XXXI, 13, n. 2), nam *publicare* est publicum facere) *lata lex est*; de quo vide Dionys. X, 31, 32, qui docet ab L. Icilio tribuno pl. rogationem latam esse (conf. infr. c. 32, n. 2), ut, quum agros plebi dividere nollent Patres, saltem ei ad aedificandum incolendumque concederent Aventinum montem, cuius maxima pars, etsi intra Vrbis muros sita, nemorosa esset; eamque legem post longam disceptationem perlatam esse. Livii narratio in toto hoc cap. nimis manca est et parum accurata: longe probabilior disertiorque ex Dionys. X, 31, 32, 35, 40, 43, 45, 47, 55 petenda est, cuius summa est haec: Romilio et Veturio coss. tribuni pl. legem agrariam, per 30 iam annos extractam, iterum promulgarunt, eamque L. Siccius (al. Sicinius) Dentatus, vir fortissimus, militari facundia suasit. Lex tamen post multas altercationes non perlata, et mox Romam nuntiatum est, Aequos et Volscos iterum arma cepisse. Adversus eos cum consulibus profectus idem etiam Siccius, ducens extraordinariam 800 veteranorum cohortem, iussusque est eum ea adoriri castra hostium, in monte posita. Is frustra deprecatus est certam, ad quam se mitti vidit, mortem, et Romilii conviciis minisque adactus obtemperavit. Sed rustico quodam duce, alia, quam consules hostesque putaverant, via in montem evasit, et castra incendit. Quae res palam facta invisos reddidit consules; et Siccius in annum sequentem tribunus plebis creatus; consulibus autem, ut magistratu abiere, ob male gestum militare imperium et delectum nimis asperum, dies dicta, et multa est irrogata. Novi itaque consules, eandem olim sortem veriti, plebi coeperunt favere, legemque tulerunt, ut non solis consulibus, sed omnibus in posterum magistratibus liceret eos multare, qui aliquid a moribus legibusve alienum commisissent. Praeterea ex senatusconsulto decem legati in Graeciam missi sunt, qui leges graecas describerent: cuius rei idem potissimum Romilius auctor fuit, ut se plebi non iniquum esse ostenderet. — De *Siccio*, quem Livius turpi tantum fraude decemvirorum periisse tradit infr. cap. 43 (conf. Dionys. XI, 25), vide Gell. II, 11, et Plin. VII, 28 s. 29.

legem [3] omnibus concionibus suis celebrabant. *Pudere se numeri sui nequidquam aucti, si ea res aeque suo biennio iaceret, ac toto superiore lustro iacuisset.* Quum maxime haec agerent, trepidi nuntii ab Tusculo veniunt, Aequos in agro tusculano esse. Fecit pudorem recens [4] eius populi meritum morandi auxilii: ambo consules cum exercitu missi, hostem in sua sede in Algido inveniunt. Ibi pugnatum: supra septem millia hostium caesa; alii fugati; praeda parta ingens. Eam propter inopiam aerarii consules vendiderunt. Invidiae tamen res ad exercitum fuit: ea [5] denique tribunis materiam criminandi ad plebem consules praebuit. Itaque ergo, ut magistratu abiere, Sp. Tarpeio, A. Aterio consulibus, dies dicta est Romilio ab C. Claudio Cicerone, tribuno plebis; Veturio ab L. Alieno, aedili plebis. Vterque magna Patrum indignatione damnatus, Romilius decem millibus aeris, Veturius quindecim. Nec haec priorum calamitas consulum segniores novos fecerat consules: *et se damnari posse,* aiebant: *et plebem, et tribunos legem ferre non posse.* Tum abiecta lege, quae promulgata consenuerat, tribuni lenius agere cum Patribus. *Finem tandem certaminum facerent: si plebeiae leges displicerent, at illi communiter legum latores, et ex plebe, et ex Patribus, qui utrisque utilia ferrent, quaeque* [6] *aequandae libertatis*

3. *Legem omnibus concionibus celebrabant*, vide ad I, 4, n. 12.

4. *Recens eius populi meritum* Capta enim arce et Capitolio, Tusculani confestim auxilium tulerant; vide cap. 18. Lem.

5. *Ea denique tribunis materiam* etc. Codices Paris. ambo, et omnes a Drakenb. nominati habent *eademque*, quod bene receperat Creverius; et sic legi sensus postulat. Lem. — *Itaque ergo*, vide ad I, 25, n. 2. — *Dies dicta .... ab aedili pl.* vide ad II, 33, n. 3. Pro *C. Claudio Cicerone* Plin. VII, 28, *L. Siccium* memorat, et Dionysius L. X, p. 673, *C. Siccium Dentatum.*

6. *Quaeque aequandae libertatis essent*, vide ad cap. 24, n. 1. Mox legendue est Drak. felicissime pugnans adversus Klockium delentem verba, *daturum leges neminem, nisi ex patribus, aiebant.*

essent, sinerent creari. Rem non aspernabantur Patres: *daturum leges neminem, nisi ex Patribus,* aiebant. Quum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet; missi legati 7 Athenas Sp. Postumius Albus, A. Manlius, P. Sulpicius Camerinus; iussique inclytas leges Solonis describere, et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores iuraque noscere.

XXXII. Ab externis bellis quietus annus fuit; quietior insequens, P. Curiatio et Sext. Quintilio consulibus, perpetuo silentio tribunorum: quod primo legatorum, qui Athenas ierant, legumque peregrinarum exspectatio praebuit; dein duo simul mala ingentia exorta, fames pestilentiaque foeda 1 homini, foeda pecori. Vastati agri sunt: urbs assiduis exhausta funeribus; multae et clarae lugubres domus. Flamen Quirinalis Serv. Cornelius mortuus; augur C. Horatius Pulvillus: in cuius locum C. Veturium eo cupidius, quia damnatus a plebe erat, augures legere. Mortuus consul Quintilius, quatuor tribuni plebis. Multiplici clade foedatus annus: ab hoste otium fuit. Inde consules C. Menenius P. Sestius Capitolinus. Neque eo anno quidquam belli externi fuit; domi motus orti. Iam redierant legati cum atticis legibus; eo intentius instabant tribuni, ut tandem scribendarum legum initium fieret. Placet creari decemviros sine provocatione, et ne quis eo anno alius magistratus esset. Admiscerenturne plebeii, controversia aliquandiu fuit: postremo con-

7. *Missi legati Athenas* tres consulares, teste Dionysio (conf. supr. II, 54; III, 2 et 10). Iidem decemviri creati; vide cap. 33, ex quo cap. et supr. cap. 10 intelligitur, h. l. legendum esse *Serv. Sulpicius*, ut et infr. c. 10 extr.

CAP. XXXII. 1. *Foeda homini*, terribilis, vel tristis, perniciosa, ut mox *foedatus annus*. De *pestilentia* vide ad I, 31, n. 4; et conf. Dionys. X, 53, qui more rhetorum rem mirifice exornavit. — *Lugubres domus*, in quibus fuit luctus.

cessum Patribus, modo ne lex [2] Icilia de Aventino, aliaeque [3] sacratae leges abrogarentur.

XXXIII. Anno [1] trecentesimo altero, quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab consulibus ad decemviros, quemadmodum ab regibus ante ad consules venerat, translato imperio. Minus insignis, quia non diuturna, mutatio fuit; laeta enim principia magistratus eius nimis luxuriavere: eo citius lapsa res est, repetitumque, duobus uti mandaretur consulum nomen imperiumque. Decemviri creati Ap. Claudius, T. Genucius, P. Sestius, L. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, Serv. Sulpicius, P. Curiatius, T. Romilius, Sp. Postumius. Claudio et Genucio, quia designati consules in eum annum fuerant, pro honore honos redditus; et Sestio alteri consulum prioris anni, quod eam rem collega invito ad Patres retulerat. His proximi habiti legati tres, qui Athenas ierant; simul ut pro legatione tam longinqua praemio esset honos; simul peritos legum peregrinarum ad condenda nova iura usui fore credebant. Supplevere ceteri [2] numerum. Graves quoque aetate electos novissimis suffragiis ferunt, quo minus ferociter aliorum scitis adversarentur. Regimen [3] totius magistratus

2. *Lex Icilia de Aventino* publicando: vide ad cap. 31, n. 2.

3. *Aliaeque sacratae leges*; vide ad II, 8, n. 3.

Cap. XXXIII. 1. *Anno trecentesimo altero*, s. secundo (vide ad Epit. Liv. XLIX, n. 1), et quidem expleto, ita ut decemviri ann. Vrb. cond. 303 magistratum inirent. At alii, v. c. Sigon. et Drak. annum 301 innui, eodemque primos fuisse decemviros putant. Cf. ad cap. 38, n. 1. — *Laeta principia ... luxuriavere*, vide ad II, 21, n. 4. — *Eo citius lapsa res est*, corrupta, in peius ruit, degeneravit; vel finem habuit.

2. *Supplevere* tantum *ceteri numerum*, creati tantum, ut explerent numerum. — *Novissimis suffragiis*, de novissimis, quibus novissimi, postremi quatuor decemviri crearentur.

3. *Regimen totius magistratus:* num decemviratus? an collegii decemvirorum? Sed illi notioni non conveniunt verba *regimen* (quod ad plures spectat) et *totius:* hanc respuit sermo latinus, quo *magistratus* dicitur non nisi munus aliquod publi-

penes Appium erat favore plebis; adeoque novum sibi ingenium induerat, ut plebicola repente, omnisque aurae popularis captator evaderet, pro truci saevoque insectatore plebis. Decimo [4] die ius populo singuli reddebant: eo [5] die penes praefectum iuris fasces duodecim erant: collegis novem singuli accensi apparebant; et in unica [6] concordia inter ipsos (qui consensus privatis interdum inutilis esset) summa adversus alios aequitas erat. Moderationis [7] eorum argumentum exemplo unius rei notasse, satis erit. Quum sine provocatione creati essent, defosso cada-

cum, aut qui eo fungitur, non collegium, quale nunc vulgo *Magistrat* vocatur. Itaque vel delenda videntur verba *totius magistratus*, tanquam glossa hominis indocti, veterem loquendi usum ignorantis, vel legendum *regimen et vis magistratus*, aut *et tota vis magistratus*. — *Aurae popularis captator*, levis favoris populi, qui *aura* et *ventus* (vid. Ernesti clav. Cicer. in his vocc.) dicitur, quia homines ad eas res agendas impellit, quas agere non decebat, aut ne animus quidem erat: nam *aura* a vento leniori traducitur ad omnem rem, quae nos aliquo propellit, ut quid agamus, aut consequamur. Cf. XXII, 26, n. 2; XXIV, 31, n. 6; XXIX, 3, n. 5; XXX, 45; XLII, 30, 39; sed in prim. ad III, 37, n. 1. Similiter Fortunae tribuitur secundus *flatus* (XLV, 8, n. 3), seu *ventus* et *aura*, eaque coeptis nostris *aspirare* dicitur, allegoria a vento et navigatione ducta; vide ad Sil. VIII, 325.

4. *Decimo* quoque *die ius populo singuli* in vicem *reddebant*, et, qui ius dicebat, *praefectus iuris* appellabatur.

5. *Eo die penes praefectum iuris fasces duodecim erant: collegis novem singuli accensi apparebant*, vide ad I, 8, n. 1; II, 1, n. 11; II, 43, n. 13.

6. *In unica concordia*, vide ad I, 21, n. 3. — *Qui* magistratuum *consensus privatis interdum inutilis*, civibus noxius, damnosus (ut IV, 31, n. 1; V, 5, n. 7; VI, 40, n. 5, aliisque locis, quae laudarunt Burmannus ad Ovidium, ex Ponto II, 8, 59, et Ernesti in clave Ciceron. atque graece ἀλυσιτελής, ἀνωφελής, v. c. apud Polybium, III, 117; Theophrastum, Char. VIII, 4; et Homerum, Il. II, 269, ubi vide Clark. et ἄχρηστος ap. Aenean Tact.), *esset*, futurus esset, vel esse potest et solet (conf. v. g. cap. 36); nisi leg. *est*.

7. *Moderationis eorum argumentum exemplo unius rei notasse:* «attulisse exemplum, quod sit argumento moderationi, e quo argumento notetur, signetur, universa ex uno intelligatur moderatio eorum. Neque enim argumentum notatur, sed moderatio. Possit etiam esse pleonasmus pro, notasse moderationem ipsam, quia exemplum est argumento.» Bauer.

vere domi apud P. Sestium patriciae gentis virum invento, prolatoque in concionem, in re iuxta manifesta atque atroci, C. Iulius decemvir diem Sestio dixit, et accusator ad populum exstitit, cuius rei iudex legitimus erat: decessitque iure [8] suo, ut demptum de vi magistratus populi libertati adiiceret.

XXXIV. Quum [1] promptum hoc ius velut ex oraculo incorruptum pariter ab his summi infimique ferrent, tum legibus condendis opera dabatur: ingentique hominum exspectatione propositis decem tabulis, populum ad concionem advocaverunt; et, » quod bonum, faustum, felixque reipublicae, ipsis, » liberisque eorum esset, ire, et legere leges proposi- » tas» *iussere*. « Se, quantum decem hominum ingeniis » provideri potuerit, omnibus summis infimisque iura » aequasse: plus pollere multorum ingenia consilia- » que; versarent in animis secum unamquamque rem; » agitarent deinde sermonibus; atque in [2] medium, » quid in quaque re plus minusve esset, conferrent. » Eas leges habiturum populum romanum, quas [3] » consensus omnium non iussisse latas magis, quam » tulisse, videri posset. » Quum ad rumores [4] homi-

8. *Decessit iure suo*, ut cap. 46 pr. et *de iure suo* apud Ciceronem. Cf. ad XXVII, 10, n. 1. — Duo codices Paris., ut et undecim alii, et Campanus, habent *decessitque ex iure suo.* Solus Florent. habere videtur *decessit iure suo*; alii *de iure suo*: et quidem Livius verbis cum praepositione compositis eandem praepositionem in regimine addere solet, Lem.

Cap. XXXIV. 1. *Quum promptum hoc ius* etc., sensus est, eos eodem tempore, quo ius redderent, etiam legibus scribendis occupatos fuisse; Drak. — *Ab his* decemviris *ferrent*, vide ad I, 50, n. 7.

2. *Atque in medium conferrent*, vide ad VI, 6, n. 7.

3. *Quas consensus omnium*, omnes consentientes (conf. VI, 22, n. 4, et VIII, 35, n. 3), *non iussisse*, probasse et scivisse, *latas* a decemviris, *magis quam tulisse*, quasi quisque pro se aliis iubentibus *videri posset*, h. e. tam gratas et acceptas, ut nemo magis dubitasset, easdem ferre, quam ab aliis latas probare.

4. *Ad rumores*, secundum sermones et iudicia *hominum* iactata et vulgata. — *Edito*, promulgato: *editos* coniiciunt Gron. Duk. et Bauer.

num de unoquoque legum capite edito satis correctae viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatae sunt: qui nunc quoque, in hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique est iuris. Vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas; quibus adiectis, absolvi posse velut corpus omnis romani iuris. Ea exspectatio, quum dies comitiorum appropinquaret, desiderium decemviros iterum creandi fecit. Iam plebs [5], praeterquam quod consulum nomen, haud secus quam regum perosa erat, ne tribunitium quidem auxilium, cedentibus [6] in vicem appellationi decemviris, quaerebat.

XXXV. Postquam vero comitia [1] decemviris creandis in trinum nundinum indicta sunt; tanta exarsit

5. *Iam plebs*, praeterea (ut XXIII, 5 extr. et al. v. Drak.) plebs *consulum nomen perosa erat*, active, pro oderat.

6. *Cedentibus in vicem oppellationi* (vida ad II, 27, n. 2) *decemviris* edidi ex emendatione Drak. pro vulg. *appellatione* eum Stroth. qui monet, *cedere aliqua re* diei, pro decedere ab ea; el *cedere alicui rei*, pro ei parere s. obsequi. Livius infr. cap. 36 dicit, *priores decemviros appellatione collegae corrigi reddita ab se iura tulisse*, h. e. passos esse. Baueri nota est: «Pronum est, *appellationi* corrigere; nec, si libri faveant, improbaverim. At quum illud in hoc nemo facile mutaturna fuisse videatur, retinendum, et absolute explicandum: si quis appellarel alios decemviros, dictum, ut *ludis, pace, bello, comitiis, actu rerum*.» Sed nostra lectio dignior Livio; et quot non corrupere imperiti librarii? — Nonne ipse Ruperti Livium corrupit, recepto adversus omnes libros *appellationi*; lectionem vulgatam sic interpretor: cedentibus sibi mutuo decemviris *in* appellatione, id est, si quis sese ab aliquo decemviro laesum ratus, ad alium provocaret. Lem.

Cap. XXXV. 1. *Comitia decemviris creandis indicta*, ad decemviros creandos, ut XXII, 35, n. 2, *comitia rogando collegas*, et sic passim de fine, vel eo, ad quod aliquid pertinet, v. g. *triumviros agro dando creat* III, 1; *duumviri sacris faciundis* vel *decemviri legibus scribendis*, scilic. creati, forte et *dies rei nulli agendae* VI, 1, n. 7; *consilia erigendae reipublicae agitare* VI, 2, n. 1, al. Cf. ad III, 46, n. 1; VI, 21, n. 2; VIII, 6, n. 3; IX, 11, n. 9; XXX, 6, n. 2; XXXVIII, 47, n. 2. — *Trinum nundinum*. Hoc loco notam Ruperti nimis longam, nimisque contortam delere non dubitavi, cui faciliorem certe Creverii hanc substituo: «Trinum nundinum, sive trinundinum, erat id temporis spatium, intra quod

ambitio, ut primores quoque civitatis (metu, credo, ne tanti possessio imperii, vacuo [2] ab se relicto loco, haud satis dignis pateret) prensarent homines, honorem summa ope a se impugnatum, ab ea plebe, cum qua contenderant, suppliciter petentes. Demissa iam[3] in discrimen dignitas, ea aetate, iisque honoribus actis, stimulabat Ap. Claudium: nescires utrum inter decemviros, an inter candidatos numerares. Propior interdum [4] petendo, quam gerendo magistratui erat: criminari optimates, extollere candidatorum levissimum quemque humillimumque; ipse medius [5] inter

ter nundinae agebantur. Nundinae autem nono quoque die, unde etiam traxere nomen, recurrebant: ut rustici, octo diebus agris operati, nono die in urbem vendendi mercandique causa commearent. Igitur comitia, sive legibus rogandis, sive iudiciis exercendis, sive creandis magistratibus, trinundino ante indici solebant, ut rustici, qui nun fere in urbem, nisi nundinis, veniebant, rem versare animis et expendere, spatio dato, possent, antequam in suffragium mitterentur. Lem.

2. *Vacuo ab se relicto loco*, vide ad IV, 16, n. 5. — *Prensarent homines*, vide ad II, 61, n. 4.

3. *Demissa iam in discrimen dignitas* etc., comitiis iam indictis et re eo perducta, ut novi decemviri suffragiis populi crearentur, haec dignitas Appium Claudium, virum iuvenem, cuius aetas tum honorum cupidior esse solet, tum *iis* petendis iam matura erat, quique et consul iam designatus et decemvir fuerat (vide supra cap. 33), perpulit, ut, dulcedine eius captus, iterum illam ambiret. — *Ea aetate iisque honoribus actis* (peractis, exactis, ut *acto honore*, consulatu, VIII, 26 extr.), ut XLV, 19, n. 11. Confer ad II, 29, n. 6.

4. *Propior petendo, quam gerendo magistratui erat*, similior petenti, quam etiam nunc gerenti hunc magistratum erat, magis eum petere, quam adhuc gerere videbatur: conf. XXVII, 17. — *Optimates* (ut *optimi* XXXV, 34, ubi vide not. 3, et graece ἄριστοι, unde aristocratia) propria qui optimas in republica partes sequebantur, aut certe eas sequi videri volebant, consiliaque sua optimo cuique probari cupiebant. Opponuntur *popularibus* (h. e. iis, qui populi causam tuebantur adversus potentiorum iniurias, aut qui gratiam populi, etiam cum detrimento reipublicae et contra honestatem, captabant), sed nonnunquam et plebi, quoniam erant fere homines superiorum ordinum, non de plebe, nisi forte ditiores. Conf. cap. 39 extr. et simil. loc. XI, 46, n. 17; Cic. Sext. 45, 66, et Ernesti clav. Cic.

5. *Medius inter tribunitios Duilios Iciliosque*, inter Duilium, Icilium iisqua similes, qui quondam tribuni plebis fuerant (ut *consulares*, *aedilitii*,

tribunitios Duilios Iciliosque in foro volitare; per illos se plebi [6] venditare: donec collegae quoque, qui unice illi dediti fuerant ad id tempus, coniecere in eum oculos, mirantes quid sibi vellet. Apparere nihil sinceri esse; *profecto haud gratuitam in tanta superbia comitatem fore*: *nimium* [7] *in ordinem se ipsum cogere*, *et vulgari* [8] *cum privatis*, *non tam properantis abire magistratu*, *quam viam ad continuandum magistratum quaerentis esse.* Propalam obviam ire cupiditati parum ausi, obsecundando [9] mollire impetum aggrediuntur: comitiorum illi habendorum, quando minimus natu sit, munus consensu iniungunt. Ars haec erat, ne semet ipse creare posset; quod praeter tribunos plebis, et id ipsum pessimo exemplo, nemo unquam fecisset. Ille enimvero, quod bene vertat, habiturum se comitia professus, impedimentum pro occasione arripuit; deiectisque [10] honore per coitio-

praetorii), et quidem acerrimi vida II, 58, 61, et ad III, 31, n. 2.

6. *Per illos se plebi venditare*, commendare, iactare, ut mercatores laudant merces, quas vendere cupiunt.

7. *Nimium*, seu nimia, *se cogere in ordinem*, *esse* indicium, seu proprium *non tam properantis* etc. *In ordinem se cogere* est tantum demitti, maiestatis immemorem agere, deprimi sponte, oblivisci maiestatis; III, 52, n. 6, *in ordinem cogi* est impediri imperio fungi, cogi abire magistratu legitime capto, nulla culpa sua; Bauer. *In ordinem cogere* s. *redigere*, est potestatem, auctoritatem dignitatemque imminuere; *inter viles et abiectos connumerare* dicit Priscianus lib. XVIII. Hinc contemnere; despicatui habere; propria ad eum, qui alicui proprius est, et quem egredi cupit, locum et ordinem illum redigere, vel ad inferiorem ordinem detrudere. Cf. VI, 38; XXV, 3; XLIII, 16, n. 5; et interp. ad XXXV, 4, et Wolf. ad Suet. Claud. 38, qui monent, locutionem ductam ex militia, ubi milites extra ordinem suum in agmine egressi a ductoribus in ordinem cogi dicantur.

8. *Vulgari cum privatis*, vide ad II, 29, n. 5. — *Ad continuandum magistratum*, vide ad IV, 22, n. 4.

9. *Obsecundando* plus esse quam *obsequendo* monet Rhenanus ad h. l. Eo autem verbo usi sunt, praeter Ciceronem, Terentius, Adelph. V, 9, 37 et Quintilianus, Institut. Orat. XI, 3. — *Quod bene vertat* vid. ad I, 28, n. 1. — *Impedimentum*, quod ipse haberet comitia, *pro occasione* continuandi magistratum.

10. *Deiectis honore* petito, spe eius consequendi fraudatis et de eo depulsis (ut passim *spe excidere et deiici*,

nem duobus Quintiis, Capitolino et Cincinnato, et patruo suo C. Claudio, constantissimo viro in optimatium causa, et aliis eiusdem fastigii civibus, nequaquam splendore vitae pares decemviros creat: se in primis, quod haud secus factum improbabant boni, quam nemo facere ausurum crediderat. Creati cum eo M. Cornelius Maluginensis, M. Sergius, L. Minucius, Q. Fabius Vibulanus, Q. Poetelius, T. Antonius Merenda, Caeso Duilius, Sp. [11] Oppius Cornicen, M' Rabuleius.

XXXVI. Ille [1] finis Appio alienae personae ferendae fuit: suo iam inde vivere ingenio coepit, novosque collegas, iam priusquam inirent magistratum, in suos mores formare. Quotidie coibant remotis arbitris: inde impotentibus [2] instructi consiliis, quae secreto ab

ἐλπίδος τ' ἀποσφάλην ap. Euripidem, Iphig. Aul. 742, et ἀποσφάλλειν τινὰ πόνου apud Homerum, Il. V, 567, ubi Vide Koeppen.), quo sensu et simpl. *deiici* dicitur XXXVIII, 35, 47, ut *repelli* XXXIX, 32, n. 3; *depelli* ap. Tacit. Annal. III, 32, 2, et *detrudi* apud Suet. Caes. 24, in pr. de petitore vel competitore, et *per coitionem*, h. e. congregationem hominum, eorum corrumpendorum (in pr. ut quis adipiscatur honorem, vel eo deiiciatur), aliusve malae rei perficiendae causa; unde et *coire* pro convenire, vel coire societatem ob malam rem, ut mox c. 36 pr. Confer IV, 44, n. 4; XXXVII, 47; XXXVIII, 35; XXXIX, 41; XL, 46; in pr. ad II, 10, n. 7, et X, 8, n. 2.

11. *Q. Poetelius... Caeso Duilius, Sp. Oppius Cornicen.* Hos plebeios fuisse monet Dionysius. In scribendo nomine *Poetelio* dissensere edd.; alii *Petilius*, al. *Poetilius*; scrib. *Poetelius* ex Ποιτέλιος Dionysii. Lem.

Cap. XXXVI. 1. *Ille finis Appio alienae personae ferendae fuit*, desiit partes sibi non proprias et naturae ingenioque suo haud accommodatas agere (nam *persona*, ut πρόσωπον, est ficta facies s. larva, qua histriones olim utebantur), h. e. dissimulate et aliter, quam sentiret et soleret, agere. Ceterum *ille* recte pro *illud* dicitur. Conf. ad XXIV, 42, n. 6.

2. *Impotentibus consiliis*, immoderatis, nimium violentis, imperiosis, superbis et tyrannicis, ad dominatum spectantibus, vel, ut *impotens iniuria* VIII, 28, XXXVIII, 56, et *impotens postulatum* VII, 41 extr., ab eiusmodi impotenti, non satis moderato et civili, animo profectis. Nam *impotens* non modo est, qui nihil potest, infirmus, tenuis, impar (ut *impotens suarum rerum* IX, 14, ubi vide notam 4), sed etiam qui potentia abutitur, eiusque modum excedit, vel qui sui non potens est; unde *impotens irae*

aliis[3] coquebant, iam haud dissimulando superbiam, rari aditus,[4] colloquentibus difficiles, ad idus maias rem perduxere: idus tum maiae solemnes ineundis magistratibus erant. Initio igitur magistratus, primum honoris diem denuntiatione[5] ingentis terroris insignem fecere; nam quum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium in orbem suam[6] cuiusque vicem per omnes iret, subito omnes cum duodenis fascibus prodiere. Centum viginti lictores forum impleverant, et fascibus secures illigatas praeferebant: nec[7] attinuisse demi securim,

V, 37; XXIX, 9 (al. *impatiens*, ut apud Ovidium, Met. XIII, 3); *impotens laetitiae* XXVII, 50, n. 3; XXX, 42, n. 6; *impotens regnum* VII, 39; VIII, 5; *crudelitas* VIII, 31 pr. *tyrannus* XXV, 28 extr. *rabies* XXIX, 9; *superbia* XLII, 46; *impotentia muliebris* XXXIV, 2.

3. *Consiliis, quae secreto* (forte *secreti*) *ab aliis coquebant*, ut VIII, 3, n. 1, agitabant, lente et clam moliebantur, ut *coquere* iram, dolorem, coepta, bellum, πέπτειν s. πέσσειν κήδεα, χόλον etc., vide ad Sil. II, 327. Similiter *consilia concocta* dicuntur XL, 11, n. 1, ubi Drak. et Duk. coniiciunt *cocta*, ut Graevius ad Cic. pro Rosc. Com. 15, *coquendum* pro *concoquendum*, quia *coquere consilia* sit excogitare s. deliberare, et *concoquere* probare. Sed Ernest. in clave Cic. iam monuit, verba composita ex *con* saepe pro simplicibus poni, intenta tamen vi simplicium.

4. *Rari aditus* (genit. sing. num.), sc. existentes, vel quum essent; Stroth. Similiter infr. in hoc cap. *hominum, non causarum toti erant*, illorum, non harum rationem habebant; cap. 38 *suarum rerum erant*; XXXVI, 42; XLV, 31, et alibi, *partium* seu *partis alicuius esse* et *facere*; VII, 30, *ut aut amicorum, aut inimicorum simus*, iis faveamus, adhaereamus, et opem feramus, ut passim *totum esse alicuius*. Cf. ad III, 48, n. 8; III, 59, n. 2; III, 62, n. 5; XXI, 11, n. 1; XXI, 30, n. 5; XXII, 50, n. 1; XXXV, 31, n. 2; XXXVII, 49, 55; XXXVIII, 32; Drak. ad h. l. et Bergler. ad Alciphr. Ep. I, 13. — *Difficiles*, quibus nihil facile probari poterat, morosi, obstinati. — *Idus tum maiae solemnes* (vide ad I, 32, n. 8) *ineundis magistratibus erant*, ut ante kal. sextiles; vide c. 6. Causam mutationis affert Dionys. Hal. X, p. 678.

5. *Denuntiatione ingentis terroris*, comminatione eius, vel re et facto, quo terror incutiebatur: v. ad XXIV, 37, n. 8.

6. *Suam cuiusque vicem*; v. ad I, 9, n. 11. — *In orbem per omnes iret*; vide ad I, 17, n. 4.

7. *Nec attinuisse*, non opus fuisse (vide ad II, 41, n. 5), *demi secures*, quae dictatori tantum praeferebantur, at iam a Valerio Publicola fascibus consulum exemptae dicuntur; vide ad II, 7, n. 7.

quum sine provocatione creati essent, interpretabantur. Decem regum species erat; multiplicatusque terror non [8] infimis solum, sed primoribus Patrum, ratis caedis causam ac principium quaeri: ut, si quis memorem libertatis vocem aut in senatu, aut in populo misisset, statim virgae securesque etiam ad ceterorum metum expedirentur. Nam praeterquam quod in populo nihil erat praesidii, sublata provocatione, intercessionem [9] quoque consensu sustulerant: quum priores decemviri, appellatione collegae, corrigi reddita ab se iura tulissent; et quaedam, quae sui iudicii videri possent, ad populum reiecissent. Aliquandiu aequatus inter omnes terror fuit: paulatim totus vertere in plebem coepit. Abstinebatur a Patribus: in humiliores libidinose crudeliterque consulebatur: hominum [10], non causarum toti erant; ut apud quos gratia vim aequi haberet. Iudicia domi conflabant, pronuntiabant in foro. Si quis collegam appellasset,

8. *Non infimis solum, sed* etiam *primoribus Patrum*; vide ad I, 40, n. 1. —*Memorem libertatis vocem*, dignam libero homine orationem, ut III, 69, n. 3, *orationem memorem maiestatis Patrum*, vel quae eam respexerit, eius rationem habuerit. Conf. ad I, 28, n. 7; I, 32, n. 5; VII, 31, n. 6; VII, 33, n. 2; IX, 3, n. 5; XXVI, 8, n. 2 et 6. Similiter *specimen virtutis deceptum vana imagine decoris* VIII, 7, n. 5, et alia poëtice dicta, quae amat Noster.

9. *Intercessio* h. l. non est tribunorum Patribus, sed unius ex eodem collegio, collegae vel collegis contradicentis, aut horum consilia ac decreta dissensu suo impedientis.—*Intercessionem consensu sustulerant.* Duo codices Paris. et plurimi alii habent *consensus sustulerant*; ut verum videatur, quod dederunt Andreas et Campanus, *consensus sustulerat*; illam eandem lectionem, nec improbandam, in duobus suis reperit Gebhardus. Ceterum sensus est: quum inter se consentirent, et quidquid ab uno foret decretum omnes tuerentur, sublata erat intercessio; illorum iniuriis qui intercederet et obsisteret, nemo erat. Lem.—*Appellatione collegae corrigi*; vide ad c. 34, n. 6. — *Vertere*, sc. se, verti; v. ad II, 3, n. 2.—Male hos locos duos inter se comparat Ruperti; sensus enim est omnino alius. Lem.

10. *Hominum, non causarum toti erant* (ut XXIII, 14 med. vide supra not. 4); *ut*, utpote, quippe *apud quos gratia*, studium partium, *vim aequi haberet.*

ab eo, ad quem venerat, ita discedebat, ut poeniteret non prioris decreto [11] stetisse. Opinio etiam sine auctore exierat, non in praesentis modo temporis eos iniuriam conspirasse, sed foedus clandestinum inter ipsos iureiurando ictum, ne comitia haberent, perpetuoque decemviratu possessum semel obtinerent [12] imperium.

XXXVII. Circumspectare tum patriciorum vultus plebeii; et inde libertatis [1] captare auram, unde servitutem timendo, in eum statum rempublicam adduxerant. Primores Patrum odisse decemviros, odisse plebem: nec probare quae fierent, et credere, haud indignis accidere: avide ruendo ad libertatem in servitutem elapsos iuvare nolle: cumulare quoque iniurias, ut taedio praesentium consules duo tandem et status pristinus rerum in desiderium veniant. Iam et processerat pars maior anni, et duae tabulae legum ad prioris anni decem tabulas erant adiectae: nec

11. *Non prioris decreto stetisse*, acquievisse, contentum fuisse, illud servasse, retinuisse. Conf. VII, 6, n. 3; 35 pr. VIII, 13, n. 3; IX, 5, 11 pr. 45; X, 30, n. 1; XXI, 19; XXVI, 17; XXVIII, 45; XXXIV, 22, n. 5; XXXIV, 54, n. 6. Paulo ante *discedebat* recte omnes MSS. et edd. praeter Gronovianam, in qua *decedebat* legitur culpa typothetarum.

12. *Possessum semel obtinerent imperium*, non consequerentur, sed retinerent; tuerentur, vel obstinate tenerent. Cf. ad II, 10, n. 7, IV, 16; VII, 18; IX, 38, n. 9; XXIII, 24, n. 2; XXVI, 20, 28; XL, 36, n. 3; Gron. ad h. l. et ad Tacit. Agric. c. 23.

Cap. XXXVII. 1. *Libertatis captare auram* praeclare pro libertatem sperabant, *inde*, ab iisdem, *unde*, a quibus. « *Captare auram* propr. de eo dicitur, qui, vento obversus, eius aspirationem ore colligere conatur (conf. Ovid. Met. VII, 557), et hic transfertur ad plebeios, qui, ad patricios obversi, ex habitu oris eorum coniicere conantur, quae libertatis recuperandae spes supersit; » Drak. Conf. ad c. 33, n. 2. — *In servitutem elapsos*: ut graece ἐξολισθαίνειν, lapsum effundi, impetu nimio effusum incipere, velut qui per glaciem cursitantes, pedibus arreptis, effusi ruunt, vel per praeceps acti desuper effunduntur; Bauer. Alii conj. *lapsos*, vel *delapsos*, vel *relapsos*. — *In desiderium veniant*, desiderentur rursus, desiderium eorum veniat, redeat; Bauer.

quidquam iam supererat, si hae quoque leges centuriatis comitiis perlatae essent, cur eo magistratu reipublicae opus esset. Exspectabant, quam mox consulibus creandis comitia edicerentur. Id modo plebes agitabat, quonam modo tribunitiam potestatem, munimentum libertati, rem intermissam, repararent. Quum interim mentio comitiorum nulla [2] fieri; et decemviri, qui primo [3] tribunitios homines, quia id populare habebatur, circum se ostentaverant plebei, patriciis iuvenibus sepserant latera: eorum catervae tribunalia obsederant. Hi [4] ferre, agere plebem plebisque res, cum [5] fortuna, qua, quidquid cupitum foret, potentioris esset. Et iam ne tergo quidem ab-

2. *Quum interim mentio nulla fieri*, fieret (v. ad I, 35, n. 1); *et*, etiam, *decemviri* etc.

3. *Qui primo tribunitios homines* etc. Conf. ad cap. 35, n. 5.

4. *Hi ferre, agere plebem plebisque res*, spoliabant, expilabant plebem, eiusque res ad se rapiebant. Res quae *ferri agique* possunt (ut X,34; XXXIII, 13, et XXXVIII, 15, vel *rapi agique* XXII, 1 pr. et *portari agique* XXIV, 16) aliae sunt res, quae moventur (v. ad V, 25, n. 4), et diripiuntur, ita ut *agi* ad pecudes, *ferri* vero (et *rapi* ac *portari*) ad alias res referatur, ut gr. φέρεσθαι καὶ ἄγεσθαι (v. g. ap. Dion. Halic. III, 31; IV, 39; Xenoph. exp. Cyri II, 6; V, 5; et hist. Gr. III, 2); Stroth. Confer X, 34; XXII, 3; XXXVIII, 18; XXXIX, 54, XL, 49; Drak. ad XXXIII, 13, §. 10, et ad rem Dionys. XI, 2, qui tradit, adversarios decemvirorum insimulatos falso criminum, et vel exsilio morteve affectos, vel bonis exutos esse ab audacissimis iuvenum.

5. *Cum fortuna, qua* etc., cum successu tam prospero, ut cuncta, quae quis potentior cuperet, eius essent. Ita pro volg. *quum fortuna* edidi auctore Strothio, qui etiam coniecit, *quum fortuna* (res ipsae), *quam quisquis cupitum iret, potentioris esset*, ut alii, *plebem plebisque res et fortunas, quum quidquid cupitum foret, potentioris esset*; vel, *quum, fortunae quidquid cupitum foret, p. e.* vel, *quum fortuna, quidquid cupitum foret, p. fecisset.*—Hunc locum corruptum varii varie tentarunt; Creverio tolerabilis videbatur Doniatii coniectura: *Hi ferre, agere plebem plebisque res fortunasque; quidquid cupitum foret, potentioris esse.* Suam autem coniecturam nondum ediderat Drak. quam verae scripturae proximam ducere fas est: *Hi ferre, agere plebem plebisque res; quum fortuna, qua, quidquid cupitum, fieret, potentioris esset.* Ideo iuvenes patricii ferebant, agebant plebem plebisque res; quum fortuna potentioris esset, et per hanc fortunam fieret, quidquid cupitum esset. *Foret* autem et *fieret* in MSS. commutari docet idem Drak. ad X, 41, § 7. Lem.

stinebatur: virgis[6] caedi, alii securi subiici; et, ne gratuita crudelitas esset, bonorum donatio sequi domini supplicium. Hac mercede iuventus, nobilis corrupta, non modo non ire obviam iniuriae, sed propalam licentiam suam malle, quam omnium libertatem.

XXXVIII. Idus[1] maiae venere. Nullis subrogatis magistratibus, privati pro decemviris, neque animis ad imperium[2] inhibendum imminutis, neque ad speciem honoris insignibus, prodeunt: id vero regnum haud dubie videri. Deploratur[3] in perpetuum libertas; nec vindex quisquam exsistit, aut futurus videtur; nec ipsi[4] solum desponderant animos, sed contemni coepti erant a finitimis populis: imperiumque

6. *Virgis caedi*, caedebantur; *alii securi subiici*, nonnulli etiam securi percutiebantur. Quidam legunt: *virgis caedi alii*, *alii* etc. Sed veteres passim sic brevius loqui, docent Gron. et Drak. Confer ad XXII, 29, n. 2; et Tac. Annal. I, 57, 1. Ita Graeci omittunt ὁ μὲν etc. sequente ὁ δὲ etc.; Schaef. Conf. Baueri dissert. de Thucyd. p. 43. Sic et XXXI, 21, n. 6, *L. Valerio imperat*, *ut* altera *parte duarum legionum equites*, *altera* etc. Omissum prius *altera* addunt edd. ante Gron., non MSS.

Cap. XXXVIII. 1. *Idus maiae venere*, cf. c. 36 pr. Hunc esse tertium decemvirorum annum, et proximo demum iis substitutos fuisse consules, Glareanus collegit ex cap. 51, 56, 61, et IX, 34 pr. Confer Dodwellii dissertationem de cyclis X, § 86, ubi hanc chronologiam et Dionysio et Livio fuisse docet.

2. *Ad imperium inhibendum*, adhibendum, exercendum, ostendendum (gall. *faire valoir*; Bauer.); ut inf. hoc cap. et III, 59; IV, 53, 56; XXXVI, 28, ubi vide Gronov. — *Insignibus*, scilic. *imminutis*.

3. *Deploratur in perpetuum libertas*, pro plane amissa habetur, spes eius recuperandae abiicitur; ut passim *res deploratae*, *comploratae* et *conclamatae*, locutione desumpta a mortuis, qui deplorantur et conclamantur, ut I, 41, n. 10; V, 39; XXII, 25; XXV, 26. Confer ad IV, 40, n. 1. Similiter V, 40 (*spem et consilia communia*, pro omnium salute, *deplorare*, abiicere); IX, 7; XXVI, 12. Sic et *desperata complorataque respublica* XXII, 53, et *deploratos agros esse* XLI, 6, n. 4, ubi Ern. male conj. *depopulatos*.

4. *Nec ipsi* Romani *solum desponderant animos*, *sed* etiam *contemni* etc., ut mox: *Non nuntii solum*, *sed* etiam etc. vide ad I, 40, n. 1. — *Indignabantur*, scilic. finitimi populi (conf. ad cap. 28, n. 6): nisi potius leg. *imperium qui ibi esse ... indignabantur*. Conf. ad XXVIII, 12, n. 8, sed et ad II, 56, n. 1. *Imperium* pro *imperiumque* coniicit Bauer.

ibi esse, ubi non esset libertas, indignabantur. Sabini magna manu incursionem in agrum romanum fecere; lateque populati, quum hominum atque pecudum inulti praedas egissent, recepto ad Eretum, quod passim vagatum erat, agmine, castra locant; spem in discordia romana ponentes, eam impedimentum delectui fore. Non nuntii solum, sed per urbem agrestium fuga trepidationem iniecit. Decemviri consultant, quid opus facto sit: destitutis[5] inter Patrum et plebis odia addidit terrorem insuper alium fortuna. Aequi alia ex parte castra in Algido locant: depopulatumque inde excursionibus tusculanum agrum, legati ab Tusculo praesidium orantes, nuntiant. Is pavor perpulit decemviros, ut senatum simul duobus circumstantibus urbem bellis consulerent: citari iubent in curiam Patres, haud ignari quanta invidiae immineret tempestas: omnes[6] vastati agri, periculorumque imminentium causas in se congesturos; tentationemque[7] eam fore abolendi sibi magistratus, ni consensu resisterent, imperioque inhibendo acriter in paucos praeferocis animi, conatus aliorum comprimerent. Postquam audita vox in foro est praeconis Patres in curiam ad decemviros vocantis; velut nova res, quia intermiserant iamdiu morem consulendi senatus, mi-

5. *Destitutis inter Patrum et plebis odia*, decemviris utrique civium ordini iuvisis et ab eo desertis. Confer ad XXX, 44, n. 5. — *Is pavor perpulit*, vulg. *perculit*, male: v. ad c. 30, n. 2.

6. *Omnes* Patres *vastati agri . . . causas in se congesturos*, scilic. sciebant, vel *haud ignari erant.*

7. *Tentationem eam fore* (vid. ad XXIV, 42, n. 6), *abolendi sibi magistratus*, auferendi, adimendi, abrogandi: sane et omnino abolendi ac tollendi, ne amplius omnino essent in rep. decemviri; Bauer. Confer ad I, 23, n. 1. — *Imperioque inhibendo* (v. sup. not. 2) *in paucos praeferocis animi*, vid. ad cap. 62, n. 5. — *Mirabundam* (vide ad cap. 47, n. 5) *plebem convertit* in se. — *Solitum quidquam liberae civitatis*; al. *civitati*, quod perinde fuerit, nam voci *quidquam* datus est genitivus; Bauer.

rabundam plebem convertit, *quidnam incidisset, cur ex tanto intervallo rem desuetam usurparent. Hostibus belloque gratiam habendam, quod solitum quidquam liberae civitatis fieret.* Circumspectare omnibus fori partibus senatorem, raroque usquam noscitare: curiam inde, ac solitudinem circa decemviros intueri; quum et ipsi [8] invisum consensu imperium, et plebs, quia privatis ius non esset vocandi senatum, non convenire Patres interpretarentur; iam caput fieri libertatem repetentium, si se plebs comitem senatui det; et, quemadmodum Patres vocati non coëant in senatum, sic plebs abnuat delectum. Haec [9] fremunt plebes. Patrum haud fere quisquam in foro; in urbe rari erant: indignitate rerum cesserant in agros; suarumque rerum [10] erant, amissa publica, tantum ab iniuria se abesse rati, quantum a coetu congressuque impotentium [11] dominorum se amovissent. Postquam citati non conveniebant, dimissi circa domos apparitores simul ad pignera [12] capienda, sciscitandumque num consulto detrectarent, referunt senatum in agris esse. Laetius id decemviris accidit, quam si

8. *Quum et ipsi* decemviri id, quod *non convenirent Patres* in curiam, ita *interpretarentur*, quasi *invisum* esset ipsorum *imperium consensu*, h. e. omnibus Patribus (v. ad XXIV, 37, n. 9), *et plebs*, *quia* decemviris, tanquam, finito iam ipsorum magistratu, *privatis*, *ius non esset vocandi senatum.*

9. *Haec fremunt plebes*; al. *fremit*, et *fremebat*; v. ad I, 41, n. 1; II, 33, n. 2; et XXV, 28, n. 3. — *Indignitate rerum*, propter eam, *in agros cesserant*, concesserant, discesserant. Vox *rerum* delenda forte; Gron.

10. *Suarumque rerum erant* (vide supr. ad cap. 36, n. 4, et II, 18, n. 1), *amissa re publica*, eius administratione.

11. *Impotentium dominorum*, v. ad cap. 36, n. 2. — *Apparitores*, vide ad I, 8, n. 2.

12. *Ad pignera capienda*: nam pigneribus ablatis fractisve, aut mulcta dicta a magistratu, in pr. consule et censore, coërcebantur senatores et cives, in pr. qui citati non adessent. Cf. XXXVII, 51; XLIII, 16; Gell. XIV, 7 extr. Cic. Or. III, 1, et Phil. I, 5. Ceterum bona etiam absentium Patrum publicata tradit Dion. XI, 22.

praesentes detrectare imperium referrent. Iubent acciri omnes, senatumque [13] in diem posterum edicunt; qui aliquanto spe ipsorum frequentior convenit: quo facto proditam a Patribus plebs libertatem rata, quod iis qui iam magistratu abissent, privatisque [14], si vis abesset, tanquam iure cogentibus, senatus paruisset.

XXXIX. Sed magis obedienter ventum [1] in curiam est, quam obnoxie dictas sententias accepimus. L. Valerium Potitum proditum memoriae est, post relationem Ap. Claudii, priusquam ordine sententiae rogarentur, postulando ut de republica liceret dicere, prohibentibus minaciter decemviris, proditurum se ad plebem denuntiantem, tumultum exciwisse: nec minus ferociter M. Horatium Barbatum isse in certamen, « Decem Tarquinios » appellantem, admonentemque « Valeriis [2] et Horatiis ducibus pulsos

13. *Senatum in diem posterum edicunt*, vide ad XXXI, 49, n. 5.

14. *Privatisque, si vis abesset*, inter quos et privatos nihil esset discriminis, praeter vim, quae ab ipsis, tanquam a magistratu, adhiberetur.

CAP. XXXIX. 1. *Ventum in curiam est*; τὸ *est* delerunt Gronovius et Creverius, nescio quam ob causam, nisi qood hanc etiam partem orationis melius ex verbo in fine addito *accepimus* pendere existimaverint; quod obtineri melius posset, si codicis Gaërtn. scriptura reciperetur: *in curiam ventum esse.* Sed obstant omnes alii qoi habent *ventum in curiam est* aut *in curiam ventum est*, ut noster Sorbonicus. LEM.—*Obnoxie* vel idem fere quod *obedienter*, demisse et sobiecte, vel non libere et constanter, timide, humili, submisso et servili animo: nam *obnoxius* proprie dicitur tum is, qui *noxam* s. delictum, poenae obligatus est (ut Festus dicit), vel qui quocumque modo obligatus, obstrictus, aut imperio alicuius subiectus est (conf. VII, 30 pr. VIII, 28, 34; XXIII, 5; XXIX, 37; XXXV, 31; XXXVII, 53; XXXVIII, 34; XLII, 46 med.); tum cui facile quacumqoe de causa *noceri* potest (ut XXXVI, 32, n. 2), adeoque infirmus; tum demiqoe qui *noxae*, h. e. culpae sibi conscios est, et hinc timidus, anxius, demissus, suspiciosus. Cf. VI, 34 pr. in pr. XXIII, 12 med. Gell. VII, 17, et Gron. ad Senecam, de ira III, 8.

2. *Valeriis et Horatiis ducibus pulsos reges*; vide ad I, 39, n. 2. De *Valeriis* res nota ex I, 58, 59; II, 2 extr. non vero de *Horatiis*, nisi huc referendum, quod de Horatio Coclite traditur II, 10; vel M. Horatius Pulvillus propterea primo post reges exactos anno consul creatus est; vide II,

» reges. Nec nominis[3] homines tum pertaesum esse; » quippe quo Iovem appellari fas sit, quo Romulum » conditorem urbis, deincepsque reges appellatos; » quod[4] sacris etiam, ut solemne, retentum sit. » Superbiam violentiamque tum perosos regis: quae » si in rege[5] tum in eodem, aut in filio regis fe- » renda non fuerint, quem laturum in tot privatis? » Viderent, ne vetando in curia libere homines loqui, » extra curiam etiam moverent vocem; neque se vi- » dere qui sibi minus privato ad concionem popu- » lum vocare, quam illis senatum cogere liceat. Vbi » vellent experirentur, quanto[6] ferocior dolor li- » bertate sua vindicanda, quam cupiditas iniusta » dominatione esset. De bello sabino eos referre; » tanquam maius ullum populo romano bellum sit, » quam cum iis, qui legum ferendarum causa creati, » nihil iuris in civitate reliquerint; qui comitia, » qui annuos magistratus, qui vicissitudinem impe- » ritandi, quod unum exaequandae sit[7] libertatis, » sustulerint; qui privati fasces et regium imperium

8. — *Decem Tarquinios*, homines mente ac superbia similes Tarquinio Superbo. Confer VI, 40, n. 5.

3. *Nec nominis* regis *homines pertaesum esse*, quod per se nihil contineret mali. — *Deincepsque*, reliquos ordine. Cf. ad I, 21, n. 8.

4. *Quod in sacris etiam retentum sit*, sc. in titulo regis sacrificuli. Cf. II, 2 pr. — *Superbiam tum perosos regis*, vide ad cap. 34, n. 4.

5. *In rege eodem*, uno, cui mox *tot privati* opponontur: *in filio regis*, v. I, 68. — Interpretationem τοῦ *eodem* quam dedit Ruperti, non admittendam opinor; Creverius explicat rectius: in hoc eodem rege, de quomodo mentio facta est. Attamen τὸ *eodem* hoc modo intellectum et supervacuum omnino, et parum forsan latine dictum putat; quare aliam coniicit scripturam; sed perperam, credo. Lem. — *Neque se videre, qui*, quomodo s. cur, *sibi minus* etc. — *Senatum cogere*, v. ad XXXII, 4, n. 4.

6. *Quanto ferocior* (h. e. *fortior*, quod et multi libri exhibent; vide ad I, 53, n. 7) *dolor esset* in *libertate sua, quam cupiditas* in *iniusta dominatione vindicanda*, vel partic. pro gerund., pro *vindicando libertatem et dominationem*, ut V, 6 pr. et al. Illud *in* bis insertum ab editoribus ante Drak.

7. *Exaequandae sit libertatis*, vid. ad cap. 24, n. 1.

» habeant. Fuisse, regibus exactis, patricios magi» stratus creatos; postea post secessionem plebis, » plebeios. Cuius illi partis essent, » *rogitare*: « Po» pulares? quid [8] enim eos per populum egisse? » Optimates? qui anno iam prope senatum non ha» buerint; tunc ita habeant, ut de republica loqui » prohibeant? Ne nimium in metu alieno spei po» nerent: graviora quae patiantur videri iam homi» nibus, quam quae metuant ».

XL. Haec vociferante Horatio, quum decemviri nec irae [1], nec ignoscendi modum reperirent, nec, quo evasura res esset, cernerent; C. [2] Claudii, qui patruus Appii decemviri erat, oratio [3] fuit precibus quam iurgio similis, orantis per sui fratris parentisque eius manes, « ut civilis potius societatis in qua

8. *Populares .... optimates*, vide ad c. 35, n. 4. — *Quid enim*, vero, autem, δὴ γάρ τοι, *eos per populum egisse*, ut passim *enim*, *nam* et *namque*, quae etiam saepe tum in obiectionibus (in quibus etiam *minime vero*, vel simile quid, cuius deinde ratio reddatur, in primis in affectu, ut h. l., omissum videri potest), tum in transitionibus adhibentur. Sic *nam* XXIX, 8, n. 1, et XXXIX, 26, n. 1 (vide Duker. ad Praef. Flori). In obiectionibus plerumque *enim* aliis particulis adiicitur, ut *at enim*, *sed enim*, *verum enim*, *verum enimvero*, *immo enim*, *enim vero*: nec tamen semper, ut XXII, 25, n. 3, *id enim ferendam esse negat*, et, quibus locis ab initio positum est, XXIII, 45, n. 7; XXXIV, 32. Conf. ad I, 51, n. 5. Mox legendum *nunc ita habeant*.

Cap. XL. 1. *Nec irae, nec ignoscendi modum*, rationem, qua vel iram exercere, et vim poenasque adhibere, vel veniam, et impunitatem dare possent. Alii interpretantur: finem, vel medium quid inter iram et veniam. Baueri nota est: « *Modus* per dilogiam (conf. ad XXIV, 22, n. 4, et ad Praef. n. 6) ad voc. *irae* significat terminum, moderationem: non valebant iram cohibere; ad voc. *ignoscendi* significat rationem, conditionem. Etsi et *irae modus* esse possit, qua ratione iram ostenderent, effunderent: timebant indulgere irae; nec tamen ita taciti ferre poterant. Illud mollius paene; contexto quidem aptum utrumlibet. »

2. *C. Claudii*, qui sententiam dicere iussus censuit, antequam aliud ageretur, pristinam reip. formam esse reddendam; v. Dionys. XI, 11. De ipso vide cap. 15 et 35.

3. *Oratio fuit precibus* magis s. potius, *quam iurgio*, *similis*, vide ad I, 25, n. 11. — *Orantis* Appium *per manes sui fratris*, de quo v. II, 56-61.

» natus esset, quam foederis nefarie icti cum col» legis meminisset: multo id magis se illius causa » orare, quam reipublicae. Quippe rempublicam, » si a volentibus nequeat, ab invitis ius expetituram. » Sed ex magno certamine magnas excitari ferme » iras; earum eventum se horrere». Quum[4] aliud, praeterquam de quo retulissent, decemviri dicere prohiberent, Claudium interpellandi verecundia fuit. Sententiam[5] igitur peregit, nullum placere senatusconsultum fieri. Omnesque ita accipiebant, privatos eos a Claudio iudicatos: multique ex consularibus verbo assensi sunt. Alia[6] sententia, asperior in speciem, vim minorem aliquanto habuit, quae patricios

4. *Quum aliud* etc., pro etsi, quamvis aliud etc.

5. *Sententiam peregit*, v. ad I, 18, n. 10. — *Verbo*, sententiae, *assensi sunt*.

6. *Alia sententia*, L. Valerii Potiti, qui dictatorem dicendum esse ab interrege censebat; vide Dionys. XI, 19 sq. Ceterum paulo obscuriorem h. l. sententiam recte ceperunt Schottus Obss. III, 38, et Stroth., qui ita eam declaravit: « *Alia sententia asperior* quidem, s. atrocior verbis videbatur, sed re mitior, s. lenior erat, quod non, ut Claudii, decemviros plane nullos esse magistratus *iudicabat*: sed *censendo*, dum censeretur (s. sententia diceretur in senatu), senatusconsultum esse faciendum de prodendo interrege, iudicatum quidem est, decemviros non habere consularem potestatem, concessum tamen, eos *quoscumque*, h. e. qualescumque, tamen utique *magistratus esse*, quippe *qui senatum habuerint*, seu coëgerint. Namque dum fieret senatusconsultum, iam eo ipso concedebatur, senatum rite esse coactum, quia senatu non rite coacto nullum fieri poterat senatusconsultum. Si autem senatus rite coactus esset, sequebatur porro, quum privatis eum cogendi ius non esset, eos esse magistratus, qui illum coëgerint; qualescumque etiam sint: dum etiam aliis magistratibus praeter consules liceret, senatum cogere. Claudius contra, *auctor nullius senatusconsulti faciendi*, dum senatusconsultum fieri vetaret, senatum rite coactum negabat, atque sic decemviros iudicabat privatos esse. Hinc eius sententia re vera, et illa altera *in speciem* tantum *asperior erat*. » — Bauer. monet, *censere* h. l. simpliciter, velut cum emphasi dici pro sententiam dicere, peragere in senatu, ex relatione legitime convocantis et consulentis, et *iudicare censendo* pro constituere, ponere, firmum relinquere, dubitationi eximere, exque eo agere, ut certo, ei inniti. At Ernesti, *censere* esse h. l. sententiam dicere eiusmodi, quae perscribi senatusconsulto possit: opponi enim sententiae eius, qui nullam senatusconsulti formulam dixerit. Schotti

coire ad prodendum interregem iubebat: censendo enim, quoscumque magistratus esse, qui senatum haberent, iudicabat; quos privatos fecerat auctor nullius senatusconsulti faciendi. Ita labante iam [7] causa decemvirorum, L. Cornelius Maluginensis, M. Cornelii decemviri frater, quum ex consularibus ad ultimum dicendi locum consulto servatus esset, simulando curam belli, fratrem collegasque eius tuebatur: « quonam fato incidisset, mirari se, *dictitans*, ut decemviros, qui decemviratum petissent, » aut socii, aut hi maxime oppugnarent: aut quid » ita, quum per tot menses vacua [8] civitate nemo, » iustine magistratus summae rerum praeessent, » controversiam fecerit, nunc demum quum hostes » prope ad portas sint, civiles discordias serant: nisi » quod in [9] turbido minus perspicuum fore putent,

interpretationem probarunt etiam Duk. et Drak. sed ille *ita* vel *hoc* ante *censendo* excidisse putabat.

7. *Ita labante iam causa decemvirorum*, alii *labente*: sed eo tantum adducti erant decemviri, ut eorum potestas nutaret, nondum tamen labetetur; Drak. Cf. ad Praef. n. 13. — *Vt decemviros ii, qui decemviratum petissent* (sed non consequuti essent, scil. C. Claudius, de quo vide c. 35 extr.), *aut socii*, societate at amicitia cum decemviris, certe quibusdam, iuncti, sc. L. Valerius Potitus et Horatius Barbatus, *aut hi maxime* (nam Valerius et Horatius acerrime in eos invecti fuerant) *oppugnarent*, impugnarent. Sed pro *aut hi maxime* legendum videri et vel *atque hi*, vel *atque nunc maxime* (scil. belli tempore) iam alii monuere. Baueri nota est: « *Socii* non sunt *collegae* utique decemvirorum, quippe quorum nemo reliquos oppugnaret; neque *iniuriae* socii, qui non essent; nec vero *senatores* aut Patrum reliqui. Ordo esse videtur et ex eo sensus: Cur socii, qui decemviratum petissent, decemviros oppugnarent? Sint ergo hic *socii* olim competitores, eidem honori imminentes, in eadem causa cupiendi vel cupiti ac petiti decemviratus. Claudium tamen, patruum decemviri, *socium* intelligas, cognatum, iunctum, necessarium; nec minus Cornelium, Cornelii decemviri fratrem: ut *socii* sint amici, familiares, ἑταῖροι, sodales. »

8. *Vacua civitate*, sc. a bello, s. hostibus. Cf. ad IX, 13, n. 5; XXXI, 1, n. 7; XXXVII, 25, n. 1.

9. *In turbido*, scil. rerum statu, ut apud Tacit. Hist. I, 21: et contra mox *re publica in tranquillum redacta*, vel metaph. XXIV, 8, *non tranquillo mari navigamus*. Cf. Gron. ad XXVIII, 27.

» quid agatur. Ceterum neminem, maiore cura occupatis animis, verum [10] esse, praeiudicium rei tantae afferre. Sibi placere, de eo quod Valerius Horatiusque ante idus maias decemviros abisse magistratu insimulent, bellis, quae immineant, perfectis, republica in tranquillum redacta, senatu disceptante [11], agi: et iam nunc ita se [12] parare Ap. Claudium, ut comitiorum, quae decemviris creandis decemvir ipse habuerit, sciat sibi rationem reddendam esse, utrum in unum annum creati sint, an, donec leges quae deessent, perferrentur. In praesentia omnia, praeter bellum, omitti placere: cuius si falso famam vulgatam, vanaque non nuntios solum, sed Tusculanorum etiam legatos attulisse putent; speculatores mittendos censere, qui certius explorata referant. Sin fides et nuntiis et legatis habeatur, delectum primo quoque tempore haberi; decemviros, quo cuique eorum videatur, exercitus ducere; nec rem [13] aliam praeverti ».

10. *Verum esse*, aequum, iustum, utile (vide ad II, 48, n. 2) *neminem rei tantae*, bello praesenti propulsando, *praeiudicium*, detrimentum, *afferre* (ut apud Plin. Ep. VII, 6, 5, *cognitioni Caesaris praeiudicium fieri*, et al.), vel potius, quod Gronovius monet, a nemine rem tantam, utrum scil. decemviri iure aut iusti sint magistratus an non, praeiudicari (neminem dicere, unde eventus causae iam nunc agnoscatur ac decernatur, rem non integram relinquere; Bauer. et alii aliter, at contorte), *maiore cura* etc., dum, s. quamdiu alia cura, sc. de bello propulsando, gravior sit et praesentior. Cf. Dionys. XI, 18. *Praeiudicium* est eorum, qui ante verum in foro iudicium de re aliqua iudicant, et iam antea, quid de ea sentiant, vel tacite vel palam ostendunt s. manifestant. Similiter XXVI, 2, n. 4, *pro praeiudicato ferre*, ducere, habere pro re iam decreta, pro titulo, iudicio et auctoritate Patrum confirmato, quod tamen *consultationi* senatus *reliquerant* Patres, permiserant, vel de quo iudicium seposuerant. Cf. ad V, 11, n. 6; XXVI, 29, n. 5; XXXV, 10, n. 5.

11. *Senatu disceptante*, vide ad I, 50, n. 5.

12. *Ita se parare Appium, ut sciat* etc., id agere, ut paratus sit ad *rationem reddendam*, et hoc secum reputare: conf. ad XXXV, 23, n. 3. Haec vero verba pendent ab illis; *sibi placere*.

13. *Nec .... praeverti*, v. ad II, 24, n. 3.

XLI. In[1] hanc sententiam ut discederetur, iuniores Patrum evincebant. Ferociores iterum coorti Valerius Horatiusque, vociferari, *ut de republica liceret dicere: dicturos ad populum, si in senatu per factionem non liceat. Neque enim sibi privatos aut in curia aut in concione posse obstare; neque se imaginariis[2] fascibus eorum cessuros esse.* Tum Appius iam prope esse ratus, ut, ni violentiae eorum pari resisteretur audacia, victum imperium esset: *Non erit[3] melius*, inquit, *nisi de quo consulimus, vocem misisse;* et ad Valerium negantem se privato[4] reticere, lictorem accedere iussit. Iam Quiritium fidem implorante Valerio a curiae limine, L. Cornelius complexus Appium, non, quod simulabat[5], consulendo, diremit certa-

CAP. XLI. 1. *In hanc sententiam ut discederetur*, vide ad I, 32, n. 13. — *In concione* populi.

2. *Imaginariis fascibus*, non legitimis, non eorum, quibus utendi illis ius sit, nec verum iustumque honorem significantibus, sed eius tantum speciem prae se ferentibus. Sic fere V, 2, *proconsularis imago* contemptim et invidiose dicitur de tribunis militum consulum loco rempubl. administrantibus, non vere consulibus, iisque dignitate imparibus. *Imaginarium* et *imago*, ut *species* et *nomen*, saepe opponuntur *rei* et *personae*: vide ad Tac. Ann. III, 30 extr. — *Violentia* et *audacia* verba synonyma neque transponenda.

3. *Erit melius*, bonum, aptum, utile, *non, nisi de quo consulimus* Patres (cf. ad II, 26, n. 2), *vocem misisse*, mittere; vide ad II, 24, n. 3, et III, 48, n. 2. Sermo ita turbatus.

4. *Reticere privato*, tacere eius iussu metuve, ut XXIII, 12. Cf. ad Tacit. Ann. XIV, 49, 3.

5. *Non, quod simulabat, consulendo* ex novem MSS. et edd. ante Rhenanum restitui cum Stroth. qui ita h. l. interpretatur: *Cornelius amplexus Appium, eo diremit certamen*, ut Appius, eius precibus motus, *non consuleret* senatum ulterius de delectu habendo, *quod* consolere *simulabat*, sed cuique copiam dicendi de alia quavis re concederet. Mihi tamen et haec explicatio admodum dura videtur, et ipsa lectio inepta; sed non minus inepte in novem MSS. *non quid s. c.*, in uno *non qui s. c.*, in alio *non inquit s. c.*, et in editt. post Rhenan. *non cui s. c.* legitur. Forte Livius scripsit: *L. Cornelius complexus Appium*, adeoque precibus, *non, quod stimulabat*, vel potius *stimularet* s. *stimulasset*, scilic. Appium ad iram, ei *consulendo, diremit certamen.* — Quamvis aliter censeat doctiss. Ruperti, melior tamen videtur nobis lectio editionum post Rhenan. *non cui simulabat*, id est, complexus Appium, tanquam non huic sed Valerio consu-

men: factaque per Cornelium Valerio dicendi gratia, quae vellet; quum [6] libertas non ultra vocem excessisset, decemviri propositum tenuere. Consulares quoque ac seniores ab [7] residuo tribunitiae potestatis odio, cuius desiderium plebi multo acrius, quam consularis imperii rebantur esse, prope malebant postmodo ipsos decemviros voluntate abire magistratu, quam invidia eorum exsurgere rursus plebem. Si leniter ducta res sine populari strepitu ad consules redisset, aut bellis interpositis, aut moderatione consulum in imperiis exercendis, posse in oblivionem tribunorum plebem adduci. Silentio [8] Patrum edicitur delectus: iuniores, quum sine provocatione imperium esset, ad [9] nomina respondent: legionibus scriptis, inter [10] se decemviri comparabant, quos ire ad bellum, quos praeesse exercitibus oporteret. Principes inter decemviros erant Q. Fabius et Ap. Claudius: bellum domi maius, quam foris apparebat. Appii violentiam aptiorem rati ad comprimendos urbanos motus: in [11] Fabio minus in

lens, diremit certamen. Lem. — Mox *facta dicendi gratia*, h. e. copia s. facultas.

6. *Quum libertas*, Valerio concessa, *non ultra vocem excessisset*, sermone tantum contineretur, neque eius fines egressa in convicia, iurgia et vim degeneraret. Confer VIII, 33, n. 11; XXV, 1; XXXIII, 35; XXXIV, 1. Redundat *ultra*.

7. *Ab residuo odio*, ex eo, ob illud, v. ad I, 1, n. 5. — *Leniter ducta res*, tractata; vel protracta: sic nonnunquam *bellum ducere* (al. *trahere* et *extrahere*), ut forte XXII, 25, n. 4, *in ducendo bello sedulo tempus trahere*, nisi haec notio inest in verbis *tempus trahere*.

8. *Silentio Patrum*, iis silentibus, neque repugnantibus; confer ad II, 27, n. 10.

9. *Ad nomina respondent*, vide ad I, 11, n. 3.

10. *Decemviri inter se comparabant* (vide ad III, 2, n. 1), *quos oportebat ire ad bellum*, vel relinqui in Vrbe, *quos praeesse exercitibus* in Sabinis, et in Algido adversus Aequos.

11. *In Fabio*, Fabii, *ingenium esse minus in bono constans*, magis *in bono*, iusto et recto defendendo non constans et pertinax, *quam navum*, strenuum (nam id propr. est *navum*, seu *gnavum*, unde *navare*, et contr. *ignavum*), solers et industrium, *in malitia*, sceleribus committendis; nisi potius

bono constans, quam navum in malitia ingenium esse. Hunc enim virum, egregium olim domi militiaeque, decemviratus collegaeque ita mutaverant, ut Appii quam sui similis mallet esse: huic bellum in Sabinis, M. Rabuleio et Q. Poetelio additis collegis, mandatum. M. Cornelius in Algidum missus cum L. Minucio, et T. Antonio, et Caesone Duilio, et M. Sergio: Sp. Oppium Ap. Claudio adiutorem ad urbem tuendam, aequo omnium decemvirorum imperio, decernunt.

XLII. Nihilo militiae, quam domi melius respublica administrata est. Illa modo in ducibus culpa, quod, ut odio essent civibus, fecerant: alia omnis penes milites noxa erat: qui, ne quid ductu atque auspicio decemvirorum prospere usquam gereretur, vinci se per [1] suum atque illorum dedecus patiebantur. Fusi et ab Sabinis ad Eretum, et in Algido ab Aequis exercitus erant. Ab Ereto per silentium noctis profugi propius urbem inter Fidenas Crustumeriamque, loco edito, castra communierant: persecutis hostibus nusquam se aequo certamine committentes, natura loci ac vallo, non virtute aut armis tutabantur. Maius flagitium in Algido, maior etiam clades accepta: castra quoque amissa erant; exutusque [2] omnibus utensilibus miles, Tusculum se, fide misericordiaque victurus hospitum, quae tamen non fefellerunt, con-

malitia h. l. est vel versuta et fallax nocendi ratio (v. Cic. Nat. Deor. III, 30), vel callida iuris interpretatio, al. calumnia. In MS. antiquo non male legi *quam ignavum in militia ingenium esse* bene monet Schott. Obs. III, 33. Vetus et rectior forte scriptura est *gnavus* (unde *ignavus*), ut *gnotus* et *gnarus* a gr. γινώσκω s. γνόω et γνωρίζω, etsi Cic. Or. 47, *ignavum*, *ignotum*, et *ignarum* ob euphoniam pro *innavum*, *innotum*, et *innarum* dici monet.

Cap. XLII. 1. *Per suum atque illorum dedecus*, vide ad II, 38, n. 3.

2. *Exutus omnibus utensilibus*, cibariis, victui necessariis, commeatu; quo sensu *res utiles* IX, 43, n. 5. — *Victurus*, vitam sustentaturus.

tulerat: Romam tanti erant terrores allati, ut, posito iam decemvirali odio, Patres vigilias in urbe habendas censerent; omnes qui per aetatem arma ferre possent, custodire moenia, ac pro portis stationes agere iuberent; arma [3] Tusculum ad supplementum decernerent, decemvirosque ab [4] arce Tusculi degressos in castris militem habere; castra alia a Fidenis in Sabinum agrum transferri; belloque ultro inferendo deterreri hostes a consilio urbis oppugnandae.

XLIII. Ad clades ab hostibus acceptas, duo [1] nefanda facinora decemviri belli domique adiiciunt. L. Siccium in Sabinis, per invidiam decemviralem, tribunorum creandorum secessionisque mentiones [2] ad vulgus militum sermonibus occultis serentem, prospeculatum ad locum castris capiendum mittunt: datur negotium militibus, quos miserant expeditionis eius comites, ut eum opportuno adorti loco interficerent. Haud inultum interfecere; nam circa repugnantem aliquot insidiatores cecidere, quum ipse se praevalidus pari viribus animo circumventus tutaretur. Nuntiant in castra ceteri, praecipitatum in insidias esse Siccium egregie pugnantem, militesque quosdam cum eo amissos. Primo fides nuntiantibus fuit. Profecta deinde cohors ad sepeliendos qui ceciderant,

3. *Arma Tusculum ad* h. e. praeter (vide ad II, 23, n. 3, et Drakenb. ad XXVI, 5); *supplementa* militum in proelio interfectorum *decernerent*, sc. mitti: nisi cum Gron. leg. *arma* illis, qui inter fugam illa iactassent aut dereliquissent, *ac supplementum*, milites in occisorum locum.

4. *Ab arce Tusculi*, quod conditum erat in colle (vide ad Sil. VII, 692), unde perperam in MSS. et ant. edd. legitur *digressos*.

Cap. XLIII. 1. *Duo nefanda facinora*, fraudes, quibus periere *Siccius* (de quo v. ad cap. 31, n. 2), et *Virginia* (de qua vide cap. seq.); ille in *bello*, haec *domi*, scil. Romae. — *Secessionis* a signis, vel potius ab Vrbe,

2. *Mentiones sermonibus occultis serentem*; v. ad II, 1, n. 6; VII, 39, n. 2; XXXIII, 32, n. 4; XXXIV, 37, n. 1; et conf. Virg. Aen. VI, 160,

decemvirorum permissu, postquam nullum spoliatum ibi corpus, Sicciumque in medio iacentem armatumque, omnibus in eum versis corporibus, videre; hostium neque corpus ullum, nec vestigia abeuntium; profecto ab suis interfectum memorantes, retulere corpus. Invidiaeque plena castra erant, et Romam ferri protinus Siccium placebat, ni decemviri funus militare ei publica impensa facere maturassent. Sepultus ingenti militum moestitia, pessima decemvirorum in vulgus fama, est.

XLIV. Sequitur aliud in urbe nefas ab libidine ortum, haud[1] minus foedo eventu, quam quod per stuprum caedemque Lucretiae urbe regnoque Tarquinios expulerat: ut non finis solum idem decemviris, qui regibus, sed causa etiam eadem imperii amittendi esset. Ap. Claudium virginis plebeiae stuprandae libido cepit. Pater virginis L. Virginius honestum[2] ordinem in Algido ducebat, vir exempli recti, domi militiaeque. Perinde[3] uxor instituta fuerat, liberique instituebantur. Desponderat filiam L. [4] Icilio tribunitio, viro acri, et pro causa plebis expertae virtutis. Hanc virginem adultam, forma excellentem, Appius amore ardens, pretio ac spe perlicere adortus, postquam omnia pudore septa animadverterat, ad crudelem superbamque vim animum convertit. M. Claudio clienti negotium dedit, ut vir-

Cap. XLIV. 1. *Haud minus foedo* (nisi malis *foedum*) *eventu*; v. ad cap. 32, n. 1.

2. *Honestum ordinem ducebat*, vid. ad II, 23, n. 4.

3. *Perinde*, eodem, quo ille, modo, ad eandem recti et honesti normam, *uxor* eius, Numitoria, *instituta fuerat*, quippe quae iam dudum erat mortua (vide Dionys. XI); *liberique instituebantur*, filia forte et gener, nisi alii quoque liberi ei fuere.

4. *L. Icilio tribunitio* etc., vide ad cap. 35, n. 5. — Mox *Appius*, *amore amens* alii, probantibus Gronovio et Creverio.

ginem in servitutem[5] assereret, neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias: quod

5. *In servitutem asserere* vel *vindicare aliquem* in foro dicitur is, qui liberum aliquem servum suum esse contendit, et sibi, tanquam suum servum, vindicat; ut *in libertatem*, qui eum, quem quis servum esse testatur, et sibi, tanquam suum servum vindicat, liberum esse affirmat, et ab eo, qui vindicat, defendit. Hinc *assertor* et *assertio* s. *vindiciae*, quae propr. est controversia forensis sive de possessione alicuius rei, quam nostram esse dicimus, quum alius teneat aut sibi vindicet, sive de iure in hominem, quem vel liberum esse dicimus vel servum nostrum (ut cap. 45 extr. et c. 57 pr.): deinde ipsum hoc ius, quod vel aliquis *postulare*, sibi arrogare, vel praetor aliusve iudex *dicere*, *dare* et *decernere* dicitur. *Secundum libertatem*, de ea: non forte eo sensu, quo passim *secundum aliquem decernere*, *iudicare*, *dare litem* (ut XXIII, 4, n. 1, et apud Cic. pro Rosc. Com. 1) vel simpl. *dare*, scil. ius seu sententiam, dicitur pro eam ferre pro aliquo, ex commodo sententiaque eius, *au faveur de quelqu'un*. Cf. ad Tac. Ann. IV, 43, 7. *Vindicias secundum libertatem*, ut contra *secundum servitutem* cap. 57, vel *ab libertate in servitutem* cap. 57, vel simpl. *ab libertate* c. 56. *Vindicias secundum servitutem dare* est id. q. cap. 36, *liberum corpus in servitutem* (abducendum) alicui *addicere* s. tradere, locutione petita a rebus, quae in auctionibus alicui, ob maximam licitationem, vel a debitoribus, qui, quum solvere non possunt, creditoribus tanquam mancipia *addicuntur* (vide VI, 14, 15, et in pr. 27), h. e. traduntur. Sed bene haec notavit Bauer. « *Vindiciae secundum libertatem* et *servitutem* sunt decretum de statu hominis, qui liber an servus sit, in dubio agatur: qui si pro *libero adhuc habitus* fuerit seque gesserit, maneat *interim* in *possessione* (vel quasi) libertatis, seu verae, seu usurpatae; sin *servierit*, *interim* non exeat a potestate seu domini veri, seu possidentis: sicut peregrinitatis reus manet *tantisper* in usu et quasi possessione civitatis, donec decernatur. Ergo *praeiudicium* afferatur vindiciae illae, i. e. in quem statum interim afferatur, liber an servus interim habeatur (domino cedat, an pro libero agat), ad eventum iudicii; et Virginia per *vindicias in servitutem* serva declarabatur, cui vel adhuc vel iam nunc dominus imperaret, cui non ut liberae parceretur; quod ipsum agebat Appius; nam servae stuprum haud veniebat in crimen aut iudicium. Iniquitas autem Appii, secundum servitutem vindicias decernentis, erat partim in consilio libidinoso, partim in negligenda possessione status liberi, quum adhuc serva non fuisset, sed pro libera se gessisset Virginia. Male explicat Strothius: « Vt libera iudicaretur »: quod nondum posset, in causa dubia et status controversia. Certe adderet *interim*, tantisper, ad eventum iudicii; quo quid opus erat, si iam iudicata libera esset? Immo vindiciae sunt, ut *interea* maneat in statu *possesso*, donec de *iure* cognitum fuerit. Hinc c. 46 *vindicari* puellam in posterum diem, id est, interim manere in propinquorum manu ut liberam vel quasi liberam, ut postridie iudicetur, vere sit libera an serva.»

pater puellae abesset, locum iniuriae esse ratus, Virgini venienti in forum (ibi namque in[6] tabernis literarum ludi erant), minister[7] decemviri libidinis manum iniecit; serva sua natam, servamque appellans, esse: sequique se iubebat, cunctantem vi abstracturum. Pavida puella stupente, ad[8] clamorem nutricis fidem Quiritium implorantis, fit concursus. Virginii patris, sponsique Icilii populare nomen celebratur: notos gratia eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat. Iam a vi tuta erat; quum assertor [9] nihil opus esse multitudine concitata ait; se [10] iure grassari, non vi. Vocat puellam in ius; auctoribus [11] qui aderant, ut sequeretur. Ad tribunal Appii perventum est: notam iudici[12] fabulam petitor, quippe apud ipsum auctorem argumenti, peragit; puellam

6. *In tabernis literarum ludi*, vide ad cap. 27, n. 3.

7. *Minister libidinis decemviri* (ita forte leg. transpositis vocibus, vel *decemviralis*, nisi verbum *decemviri* est glossa), M. Claudius, qui infr. c. 57 pr. *minister cubiculi* Appii *cliens* dicitur. Mox in MSS. rotundius legi, *serva sua natam* (scil. dicens), *servamque appellans sequi se iubebat*, monet Gronovius: Bauerus mavult legi *servam quoque*, nisi verba ab ipso Livio sint transposita, aut *que* positum pro *quoque*, etiam, sicut et ipsam.

8. *Ad clamorem nutricis*, puellam ducentis ad ludum literarium, et comitantis, ut paedagogus pueros. — *Populare nomen*, populo gratum. — *Notos*, active, amicos aliosque, qui norant seu nossent patrem, filium et sponsum.

9. *Assertor virginis*, M. Claudius; vide not. 5.

10. *Se iure grassari, non vi*, h. e. agere, incoepta persequi, ut *grassari consilio* X, 14. *Grassari* propr. magno vel concitatu *gradu* summoque studio ad finem aliquem contendere, v. c. *in possessionem agri* VI, 5, et *ad decus* Sil. I, 570.

11. *Auctoribus*, suadentibus iis, *qui aderant* puellae, amicis, notis, vel advocatis, vel proxime stantibus, *ut sequeretur* in ius vocantem.

12. *Notam iudici* Appio *fabulam petitor, quippe apud ipsum auctorem argumenti, peragit*, venusta dictio a comoedia et partibus, in ea *agendis*, translata: confer ad I, 18, n. 10, et VII, 2, n. 7. *Petitor*, qui a praetore aliove iudice *petit* possessionem etc., actor, in causa privata, ut *accusator* propr. in causa publica; et *is*, *unde petitur*, ille, cui intenditur lis, vel in quem actio suscipitur.

domi suae natam, furtoque inde in domum Virginii translatam, suppositam ei[13] esse. Id se indicio compertum afferre, probaturumque, vel ipso Virginio iudice, ad quem maior pars iniuriae eius pertineat: interim dominum sequi ancillam, aequum esse. Advocati puellae, quum Virginium reipublicae[14] causa dixissent abesse, biduo adfuturum, si nuntiatum ei sit; iniquum esse absentem de liberis dimicare; postulant ut rem integram in patris adventum differat; lege[15] ab ipso lata vindicias[16] det secundum libertatem; neu patiatur virginem adultam, famae prius quam libertatis periculum adire.

XLV. Appius[1] decreto praefatus, « quam libertati » faverit, eam ipsam legem declarare, quam Virginii » amici postulationi suae praetendant. Ceterum ita » in ea firmum libertati fore praesidium, si[2] nec » causis, nec personis variet. In his enim quae as-

13. *Suppositam*, scil. subditam *ei*, Virginio, *esse* pro vera filia.

14. *Reipublicae causa abesse*, militantem pro patria. — *Absentem de liberis dimicare*, periclitari, vel vere certare, nempe per amicos; Bauer.

15. *Lege ab ipso lata*, lege XII Tabul., qua cautum erat, ut is, qui in servitutem assereretur, usque ad litem diiudicatam, liber esset, et non in potestate assertoris: conf. Dionys. XI, 31.

16. *Vindicias det secundum libertatem*, vid. sup. not. 5.

Cap. XLV. 1. *Appius decreto praefatus*, scil. est. — *Legem postulationi suae praetendere*, tanquam rationem afferre, hanc illa fulcire, et illam citare ac praemittere, ut haec speciosa fiat, ut cap. 47, *decreto sermonem praetendere*; confer ad XXXVII, 54, n. 3, et XLV, 42, n. 3, quibus locis Gron. emend. *bello et orationi*; sed alii iungunt *belli titulum* (causam, praetextum), et *id ipsum argumenti orationis*.

2. *Si nec causis* (nec respectu causarum), *nec personis variet se*, diversa sit, sc. libertas, vel potius lex. Verba seqq., quae ob nimiam brevitatem obscura sunt, bene iam explicavit Stroth. « Appius per calumniam iuris duo hominum genera sibi invicem opponit; unum, quod in sua potestate sit, alterum quod non sui iuris, sed vel in parentis vel in aliorum manu sit. Si de homine, qui sui iuris sit, quaestio oriatur, utrum in servitutem, an in libertatem asserendus sit, tum *id iuris esse*, sc. ut usque ad rem diiudicatam liber sit, *quia quivis*, talis utpote sui iuris homo, *lege agere*, atque ipse de libertate sua disceptare, *possit*. Hoc vero non va-

» serantur in libertatem, quia quivis lege agere pos- » sit, id iuris esse: in ea quae in patris manu sit, » neminem esse alium, cui dominus possessione cedat. » Placere itaque patrem arcessi; interea iuris sui » iacturam assertorem[3] non facere, quin ducat puel- » lam, sistendamque in adventum eius, qui pater » dicatur, promittat ». Adversus iniuriam decreti quum multi magis fremerent, quam[4] quisquam unus reclamare auderet, P. Numitorius[5], puellae avunculus, et sponsus Icilius interveniunt: dataque inter turbam via, quum multitudo Icilii maxime interventu resisti posse Appio crederet, lictor[6] *decresse* ait: vociferantemque Icilium submovet. Placidum[7] quoque

lere in homine, qui non sui iuris, sed in manu aliorum sit; hunc liberum pronuntiari non posse, sed necesse esse, ut sub potestate sit, sive parentis, sive domini, ne alterutri fraus fiat. Quum igitur haec puella non sui iuris sit, necesse esse, ut sub potestate sit, vel Virginii, qui se eius patrem, vel Claudii, qui se eius dominum dicat. Quum autem Virginius is qui pater dicatur, non adsit, in neminis nisi in Claudii potestate eam, donec Virginius adveniat, esse posse. Hoc aperte declarant verba Appii apud Dionys. XI, 31.»

3. *Assertorem*, vid. ad cap. 44, n. 5. — *Sistendam*, fore ut sistatur coram iudicio *in adventu eius*, si advenisset is.

4. *Quam quisquam unus*, vid. ad cap. 55, n. 13. — *Reclamare*, clamore et vociferatione indignationem significare, ut *fremere*, fremitu seu tacito murmure; *reclamare* e MSS. quibusdam et edd. antt. revocavi pro vulg. *recusare*; nam illud multo elegantius et aptius est: dura vero dictio, *adversus iniuriam decreti magis fremere, quam recusare*, scil. id decretum; neque ab uno vel altero id recusari s. reiici, vel repudiari potest.

5. *P. Numitorius puellae avunculus*, non *avus*, ut ex compendio scripturae legitur in omnibus MSS. et antt. edd. Conf. inf. cap. 54, et Dionys. XI, qui dicit, Numitorism Virginii uxorem et sororem huius Numitorii fuisse.

6. *Lictor decresse ait*, iam decrevisse Appium, decretum fecisse et pronuntiasse, quod non amplius immutari queat: *decresse*, scilic. vindicias secundum servitutem, ut c. 47. *Decernere* etiam dicitur praetor aliusve iudex, qui ex edicto ius dicit. *Lictor, descende, ait, ... submove*: MS. Veith.

7. *Placidum quoque* et sedatum *ingenium tam atrox iniuria* (tum decreti iniquitas et celeritas, tum vis adhibita, et fastus tam decemviri quam lictoris) *accendisset*, quanto magis acerrimum Icilii ingenium ac turbulentum (vide ad cap. 35, n. 5, et cap. 44.) Brevitas rem narrantis

ingenium tam atrox iniuria accendisset. « Ferro hinc » tibi submovendus sum, Appi, « inquit, » ut[8] tacitum feras quod celari vis. Virginem ego hanc » sum ducturus, nuptam pudicamque habiturus. » Proinde omnes collegarum quoque lictores convoca, expediri virgas et secures iube: non manebit » extra domum patris sponsa Icilii. Non, si tribunitium auxilium et provocationem plebi romanae, » duas[9] arces libertatis tuendae, ademistis, ideo in » liberos quoque nostros coniugesque regnum vestrae libidini datum est. Saevite in tergum et in » cervices nostras; pudicitia saltem in tuto sit. Huic » si vis afferetur, ego praesentium Quiritium pro » sponsa, Virginius militum pro unica filia, omnes » deorum hominumque implorabimus fidem: neque » [10] tu istud unquam decretum sine caede nostra » referes. Postulo, Appi, etiam atque etiam consideres, quo progrediare. Virginius viderit de filia, » ubi venerit, quid agat: hoc tantum sciat, sibi, » si[11] huius vindiciis cesserit, conditionem filiae

aestui animoque impetuoso Icilii eam gerentis consentanea est.

8. *Vt tacitum feras*, vide ad I, 50, n. 7. — *Nuptam*, sponsam, quippe quae, per vicos ad sponsi aedes ducenda, caput flammeo obnubebat; vid. ad Iuvenal. II, 124, et X, 334.

9. *Duas arces libertatis tuendae*, eius praesidia, adiumenta et fundamenta, ut al. *columen*, *columna*, *propugnaculum*, *murus*, *turris*, *telum*, *clypeus*, πύργος, ἕρκος, ἔρεισμα, ἔρυμα, κίων, ἀσπίς. Conf. ad I, 55, n. 6, et Tacit. Ann. XIV, 31, 6. — *Huic* Virginiae, δεικτικῶς.

10. *Neque tu istud decretum sine caede nostra referes*, sc. domum (h. e. domum abibis, non immutato decreto), vel repetes, renovabis *unquam*, ullo alio tempore, si vel nunc abolеveris. Scheller. in Lex. exponit: *referes* in aerarium (quo leges vim suam obtinebant), vel impune feres, vel exsequeris; quae rationes duriores, opinor, sunt omnes.

11. *Si huius* (contemptim et δεικτικῶς), sc. M. Claudii *cesserit vindiciis* secundum servitutem, h. e. si, *ubi venerit*, in iudicio tum habendo, M. Claudio, puellam, quam servam suam esse dicit, in servitutem asserenti, cesserit, neque filiam ab eo, qui vindicat, defenderit (vide ad cap. 44, n. 5, ubi et contra dicitur *cedere secundum libertatem postulantibus vindicias*), *sciat*, *sibi conditionem filiae*

» quaerendam esse. Me vindicantem sponsam in li- » bertatem, vita citius deseret quam fides.

XLVI. Concitata multitudo erat, certamenque instare videbatur; lictores Icilium circumsteterant: nec ultra minas tamen processum est; quum Appius, « Non Virginiam defendi ab Icilio, sed inquietum » hominem, et tribunatum [1] etiam nunc spirantem, » locum seditionis quaerere *diceret;* non praebiturum » se illi eo die materiam: sed ut iam sciret, non id

quaerendam esse, inquirendam, vel respiciendam, animo reputandam, h. e. cogitandum esse, qualis futura sit conditio filiae, si rapiatur ad stuprum et in servitutem abducatur. Vulgo haec interpretantur: Si Claudio permiserit, ut filiam usque ad iudicii diem domum abducat, sciet, alium sponsum filiae circumspiciendum esse; propr. alias nuptias, quae sc. sub *conditione* dotis fiunt: unde similiter dixisse videri potest Cic. Phil. II, 38, *filiam eius eiecisti, alia conditione quaesita*. Sed ut taceam, ita vocem *aliam* h. l. omissam esse, et *conditionem* pro sponsa potius, quae uxor dicitur ratione dotis habita, quam pro sponso poni, verba *si huius vindiciis cesserit* neutiquam illo modo explicari possunt: nam decemvir iam Claudio ius dederat abducendi filiam, pater vero absens erat adeoque illud nec permittere nec prohibere poterat; post eius autem adventum dies iudicii constituta erat, ut quaereretur, utrum puella non nunc, sed in perpetuum Claudio tradenda esset nec ne. Quod si tamen vox *vindiciae* eo, quo supra diximus, sensu capitur (quo omnino capiende est), quomodo pater alium sponsum filiae potest quaerere, si M. Claudii *vindiciis cessit*, adeoque filia et serva et scortum fit? Icilius profitetur, *se vindicaturum sponsam in libertatem*, h. e. defensurum esse eius libertatem, neque passurum, eam a M. Claudio abduci, scilicet donec pater adveniat. Qui *ubi venerit*, ipse, dicit, *viderit*, curet, *de filia quid agat*, et *si* tum *huius* Claudii *vindiciis* secundum servitutem (perpetuam) *cesserit*, *sciat, conditionem filiae* deplorandam ipsumque eius causam esse. Declarat itaque, sibi nunc *sponsae*, et patri, *ubi venerit*, *filiae* conditionem curae futuram esse. Conf. ad cap. 44, n. 5.

CAP. XLVI. 1. *Tribunatum etiam nunc spirantem*, memorem eius gesti, residuos ex eo spiritus gerentem ac ferocientem, volentem etiam eum revocari: quod *spirare* alioqui de *futuro* magis et consilio dicitur, hic de praeterito; Bauer. Conf. ad Sil. III, 240. — *Locum seditionis quaerere*, h. e. facultatem, opportunitatem seditionis movendae, ut infr. cap. 50. Cf. Cortius ad Plin. Epist. II, 1, 6. Sed forte leg. *seditioni* h. l. et infr. cap. 50 (ubi v. n. 7), more Livii, quem multis exemplis illustrant Gron. et Drak. Conf. ad I, 12, n. 4; III, 35, n. 1, et ad Tac. Ann. II, 64, 6.

» petulantiae suae, sed Virginio absenti et patrio » nomini et libertati datum, ius [2] eo die se non » dicturum, neque decretum interpositurum: a M. » Claudio petiturum, ut decederet iure suo, vindi» carique puellam in posterum diem pateretur. Quod » nisi pater postero die affuisset, denuntiare se Icilio, » similibusque Icilii, neque legi [3] suae latorem, ne» que decemviro constantiam defore: nec se utique » collegarum lictores convocaturum ad coërcendos » seditionis auctores: contentum se suis lictoribus » fore ». Quum dilatum tempus iniuriae esset, secessissentque advocati puellae, placuit omnium primum fratrem Icilii, filiumque Numitorii, impigros iuvenes, pergere inde recta ad portam; et, quantum accelerari posset, Virginium acciri e castris: *in eo verti puellae salutem, si postero die vindex iniuriae ad tempus praesto esset.* Iussi pergunt, citatisque equis nuntium ad patrem perferunt. Quum [4] instaret asser-

2. *Ius eo die se non dicturum*, de hac causa cogniturum, *neque decretum interpositurum*, inter duas quasi partes facturum, vel in iudicio simul facturum (ut apud Cic. Verr. II, 48; V, 19), vel oppositurum (ut inf. XXVII, 6, n. 1, *interponere se de tribunis* pro vulg. *intercedere*, vel *consilium* XXXV, 35, et *inserere* VI, 38, ubi vide n. 4), vel potius cognitioni causae adiecturum. — *Vindicari puellam*, scil. in, s. secundum servitutem. — *Quod nisi* pro *quod si non*.

3. *Neque legi suae latorem se defore*, vide ad cap. 44, n. 15. *Deesse alicui rei* pro eam negligere, non curare vel tueri, ei non satis facere; unde infra cap. 50 med. *nec illius dolori, nec suae libertati se defuturos*, se et illius dolorem non neglecturos sed vindicaturos, et suam libertatem defensuros esse; IV, 57, *non defuisse fortunae*, ea usum esse; XXII, 39 extr. et XXVII, 28 pr. *occasioni suae deesse*, ut XXI, 27, *ne tempori deesset*, ne opportunum tempus praeterire pateretur; VIII, 30, n. 4, *non dux militi, non miles duci defuit*, alter alterum pro virili parte adiuvit. Cf. et XXIII, 14 pr. XXIV, 29 extr. XXVI, 38, n. 4; XXVIII, 8, n. 2 (ubi *deesse* simpl. dicitur, sequente *quin*, pro nihil intermittere, vel deesse occasioni, de quo vide ad Sil. VII, 498); XXXVI, 4, n. 1. — *Pergere inde recta*, sc. via ut passim; vide Drak.

4. *Quum instaret*, postularet, *assertor puellae*, M. Claudius (vide ad cap. 44, n. 5), *ut vindicaret* eam in libertatem Icilius usque ad proximum

tor puellae, ut vindicaret, sponsoresque daret; atque id ipsum agi diceret Icilius, sedulo tempus terens, dum [5] praeciperent iter nuntii missi in castra; manus tollere undique multitudo, et se quisque paratum ad spondendum Icilio ostendere. Atque ille lacrymabundus, *Gratum est*, inquit; *crastina die vestra opera utar: sponsorum nunc satis est.* Ita vindicatur Virginia, spondentibus propinquis. Appius paulisper moratus, ne [6] eius rei causa sedisse videretur, postquam, omissis [7] rebus aliis prae cura unius, nemo adibat, domum se recepit; collegisque in castra scribit, *ne* [8] *Virginio commeatum dent, atque etiam in custodia habeant.* Improbum consilium, serum, ut debuit, fuit: et iam commeatu sumpto profectus Virginius prima vigilia erat, quum postero die mane de retinendo eo nequidquam literae redduntur.

XLVII. At in urbe, prima luce, quum [1] civitas in

diem, et hanc ob causam *sponsores daret*, qui fide et periculo suo promitterent vadimonium, h. e. praesentiam puellae in iudicio, sive eam sistendam. — *Id ipsum agi* a se, se agere id, h. e. animo secum agitare.

5. *Dum praeciperent iter*, ante caperent (ut al. *praevertere*; *praesumere*, et quod XXII, 41, n. 5, et passim in multis libris nec minus apte pro *praecipere* legitur, *praeripere*: conf. ad Sil. IV, 802; XVI, 337, 390), h. e. prius ad castra contenderent et venirent, quam nuntii mox ab Appio eodem missi. — *Et se quisque* etc. vid. ad II, 42, n. 7.

6. *Ne eius*, huius tantum (ut mox *unius*), *rei causa sedisse videretur*, sc. in tribunali, iuris dicendi gratia. *Sedere* et *considere* dicuntur tum magistratus, et quidem vel pro rostris in suggestu et sella curuli, vel, ubi ius dicunt et quaestioni praesunt, in tribunali, tum iudices, eorum consiliarii, et advocati vel patroni partium; ut contra *surgere* et *stare* dicentes sive in senatu, sive in iudiciis. Confer XXVI, 48, n. 6; XXXIV, 61; XL, 8; Drak. ad h. l. et Ernesti clav. Cic.

7. *Omissis rebus aliis*, τὰ ἄλλα μεθεὶς s. ἀφεὶς, al. relictis, praetermissis, sepositis, neglectis, non curatis; ut *omittere mota arma*, bellum incoeptum, XXI, 11 extr. *hostem* XXII, 12; *gallicum bellum* XXIII, 26; *Italiam* XXIII, 32, n. 4. — *Nemo adibat* Appium, ut iudicem.

8. *Ne Virginio commeatum dent*, v. ad I, 57, n. 2.

Cap. XLVII. 1. *Quum civitas*, omnes cives, *exspectatione erecta staret*; vide ad II, 54, n. 12. Sic πόλις, *civitas*, *urbs* (ap. Sil. II, 257), et

foro exspectatione erecta staret, Virginius [2] sordidatus, filiam suam obsoleta veste, comitantibus aliquot matronis, cum [3] ingenti advocatione in forum deducit. Circumire ibi, et prensare homines coepit; et non orare solum precariam [4] opem, sed pro debita petere. *Se pro liberis eorum ac coniugibus quotidie in acie stare: nec alium virum esse, cuius strenue ac ferociter facta in bello plura memorari possent. Quid prodesse, si incolumi* [5] *Vrbe, quae capta ultima timeantur, liberis suis sint patienda?* Haec prope concionabundus circumibat homines. Similia his ab Icilio iactabantur: comitatus muliebris plus tacito fletu, quam ulla vox movebat. Adversus quae omnia obstinato animo Appius, tanta [6] vis amentiae verius quam amoris

nomina regionum pro incolis ponuntur; v. g. *Etruria Sutrium socios obsidebat* VI, 3, n. 1; *Setiam, ipsis querentibus* VI, 30, n. 4; *Plistiam, socios Rom.* IX, 21 extr. *Nuceriam petentes* IX, 41 pr. *Latium Capuaque agro mulctati* VIII, 11, n. 9; *Potavium; eos* etc. X, 2. Confer ad VI, 3, n. 1; VI, 4, n. 5; XXI, 7, n. 2; XXI, 39, n. 4; XXIV, 29, n. 3 (ubi Stroth. contulit Diodor. XI, 63, τὰς Ἀθήνας.... δ' αὐτῶν, sc. Ἀθηναίων. cap. 73, εἷλε κατὰ κράτος τὴν πόλιν.... αὐτοὺς δὲ etc. cap. 82 εἰς τὴν Καρχηδόνα... δ' αὐτῶν, sc. Καρχηδονίων, et XIII, 43, εἰς Καρχηδόνα... αὐτοῖς); sic etiam in permultis aliis locis apud Nostrum. Vide Gron. de pecun. vet. I, 3, pag. 76, et II, 4.

2. *Virginius sordidatus*; vide ad II, 55, n. 5. — Pro *suam* in MSS. et edd. ante Curion. *secum*, unde Gron. coni. *cum*. — *Aliquot matronis*, quae de partu non supposito testarentur; Duker. Confer Dionys. XI, 34.

3. *Cum ingenti advocatione*, advocatorum multitudine; vide ad III, 15, n. 8, et XXVI, 48, n. 4. — *Prensare homines*; vide ad II, 61, n. 4.

4. *Precariam opem*, precibus impetrandam, unde *debitae* opponitur, ut VIII, 35, *auxilium precarium* opponitur *iusto*, quod iure intercessionis continetur, et XXXIX, 37, *libertas precario, aequo foederi*: hinc et *precario petere* et *dare* 34, 62.

5. *Si incolumi Vrbe ea liberis suis sint patienda, quae*, si *capta* sit ab hostibus, tanquam *ultima* et extrema *timeantur* et timeri possint. — *Prope concionabundus*, ut *in modum concionantis* VI, 14, n. 10, h. e. clara voce concionem habentis vel coram concione loquentis e loco superiori aut pro rostris, de re graviter dicenda, ut ap. Cicer. Tusc. Qu. I, 49. *Concionabundus*, i. e. concionans (quod particip. primo casu non est usitatum) ut XXXIII, 32, n. 7, *mirabundi* pro *mirantes*; Bauer.

6. *Tanta vis amentiae verius quam amoris*, i. e. magis, potius, si vero dicendum sit; brevius dictum, velut

mentem turbaverat, in tribunal escendit: et, ultro querente pauca 7 petitore, *quod ius sibi pridie per umbitionem dictum non esset*; priusquam aut ille postulatum perageret, aut Virginio respondendi daretur locus, Appius interfatur. Quem 8 decreto sermonem praetenderit, forsan aliquem verum auctores antiqui tradiderint: quia nusquam ullum in tanta foeditate decreti verisimilem invenio; id quod constat, nudum videtur proponendum, decresse vindicias secundum servitutem. Primo 9 stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit: silentium inde aliquandiu tenuit.

ita evolvendum: vis rei, animi, quae amentia verius diceretur, quam amor; Bauer. — *In tribunal escendit*, al. (ut codex Paris. et Sorbonicus) *ascendit*; vide ad II, 28, n. 5.

7. *Querente petitore* M. Claudio; v. ad cap. 44, n. 12. — *Per*, propter, *umbitionem*; vide ad II, 27, n. 5. — *Interfatur*, interpellat sermonem Claudii, nisi simul significat, eum interea *ius fatum esse*, dixisse; Drak.

8. *Quem decreto sermonem praetenderit*, vide ad cap. 45, n. 1. — Mox *tradiderint* Gronov. explicat: potuerint tradere, si voluissent nempe, utpote propiores memoriae temporum illorum. Sed veram Livii mentem recte ita cepit Stroth. «Varios apud varios auctores (v. g. Dionys. XI, 35) invenio Appii sermones, quales vulgo fingi solent; et forsan inter eos est etiam unus aut alter *verus*, h. e. re vera sic ab Appio habitus. Quum vero apud nullum scriptorem talem inveniam sermonem, qui iustam (probabilem) rationem tam *foedi decreti* afferat, nullum eorum referam, sed modo decretum ipsum *nudum proponam*; quum id saltem certo *constet*, hoc eo pertinuisse, ut *vindicias secundum servitutem* (vide ad cap. 44, n. 5) *decerneret* Appius.» Conf. similis Livii excusatio VI, 12, n. 2, et XXIX, 14, n. 5.

9. *Primo stupor omnes admiratione . . . defixit*, tam graviter perculit, ut torperent et obmutescerent, attonitos reddidit et torpidos, prae stupore, sine motu, voce et intermissione, oculis in eadem loca ac res vel in humum *defixis*, ut Iason apud Apollon. III, 422: ὁ δὲ σῖγα ποδῶν πάρος ὄμματα πήξας Ἧστ' αὔτως ἄφθογγος, ἀμηχανέων κακότητι. Confer ad XXI, 33, n. 2; ad Tac. Ann. III, 1, 9, et Sil. IX, 253. Nonnulli locutionem desumptam putant a stylis aeneis acubusve, quibus veneficae ac magae vel simulacra cerea, formata ad similitudinem illorum, quibus vim coëundi vel omnem agendi potestatem auferre voluerint, vel nomina eorum tabellis inscripta, additis incantamentis aut adscriptis imprecationibus, *defigere* s. confodere consueverint, de quo vide Heins. ad Ovid. Am. III, 7, 29, et Ernesti clav. Cic. Confer I, 29 pr. VI, 40 pr. VII, 10 extr. VIII, 7 extr. XXI, 33; XXII, 53, et Duker. ad Flor. II, 6, 59. — *Silentium tenuit*, vide ad II, 3, n. 6.

Dein quum M. Claudius circumstantibus matronis iret ad prehendendam virginem, lamentabilisque eum mulierum comploratio excepisset; Virginius intentans in Appium manus, *Icilio*, inquit, *Appi, non tibi filiam despondi: et ad nuptias, non ad stuprum educavi. Placet* [10] *pecudum ferarumque ritu promiscue in concubitus ruere? Passurine* [11] *haec isti sint, nescio: non spero esse passuros illos qui arma habent.* Quum repelleretur assertor virginis a globo mulierum circumstantiumque advocatorum, silentium factum per praeconem.

XLVIII. Decemvir alienatus [1] ad libidinem animo, negat « hesterno tantum convicio Icilii violentiaque » Virginii, cuius testem populum romanum habeat, » sed certis quoque indiciis compertum se habere, » nocte tota coetus in urbe factos esse ad movendam » seditionem. Itaque se haud inscium eius dimicatio» nis, cum armatis [2] descendisse; non ut quemquam » quietum violaret, sed ut turbantes civitatis otium » pro maiestate imperii coërceret; proinde quiesse » erit melius. I, *inquit*, lictor, summove turbam;

10. *Placet pecudum* etc. Conf. IV, 2, n. 4.

11. *Passurine haec isti sint*, sc. adstantes et inermes, δὴκτικῶς.

CAP. XLVIII. 1. *Alienatus* (*alienato* in edd. praeter princ. et Drak. non in MSS. nisi in duobus minimae auctoritatis) *ad libidinem animo*, a sana ratione et iustitia aversus (vide ad X, 29, n. 1), et in libidinem modo intentus. Stroth. Sed nemo ita loquitur, ubi praesertim aliquid interponitur; leg. *alienato*, averso, avocato a re, a causa vera et aequa *ad libidinem*; Bauer. Eodem sensu *alienatus* servari potest (conf. XXV, 39): sed illae explicationes verbi haud probandae videntur, nec id aptum h. l., nisi legeris *ab libidine* (vide ad I, 1, n. 5), vel potius, quod idem est, sed minus ambiguum, *ob libidinem*: μαινόμενος ὑπὸ τοῦ πάθους, Dionys. XI, 33. Mox *negat*, *hesterno tantum convicio* etc., pro *dicit*, *non hesterno tantum convicio . . . sed certis quoque indiciis* etc. Conf. III, 55, n. 9; IV, 60, n. 3; XXII, 12 al. Alii alio modo hanc dictionem expediunt; vide ad I, 33, n. 7.

2. *Cum armatis descendisse*, v. ad II, 54, n. 13. — *Quiesse erit melius*, quiescere, ut cap. 41, n. 3.

» et da viam domino ad prehendendum mancipium ». Quum haec intonuisset plenus irae, multitudo ipsa se sua sponte dimovit, desertaque praeda iniuriae puella stabat. Tum Virginius, ubi nihil usquam auxilii vidit, *Quaeso*, inquit, *Appi, primum ignosce patrio dolori, si quid*[3] *inclementius in te sum invectus: deinde sinas hic coram virgine nutricem percontari, quid hoc rei sit; ut, si falso pater dictus sum, aequiore hinc animo discedam.* Data venia, seducit filiam ac nutricem prope[4] Cloacinae ad tabernas, quibus nunc Novis est nomen: atque ibi ab lanio cultro arrepto, *Hoc te uno, quo possum*, ait, *modo, filia, in libertatem vindico.* Pectus deinde puellae transfigit; respectansque ad tribunal, *Te*, inquit, *Appi, tuumque caput sanguine hoc consecro.* Clamore ad tam atrox facinus orto excitus Appius, comprehendi Virginium iubet: ille ferro, quacumque ibat, viam facere; donec multitudine[5] etiam prosequentium tuente ad portam perrexit. Icilius Numitoriusque exsangue corpus sublatum ostentant populo: scelus Appii, puellae[6] infelicem formam, necessitatem patris deplorant. Se-

3. *Si quid inclementius* etc., vide ad cap. 21, n. 2.

4. *Prope Cloacinae* statuam vel potius templum (vide ad I, 33, n. 6) *ad tabernas* Novas, vide ad cap. 27, n. 3. *Cloacina* vel singularis dea, cloacis praefecta, cuius simulacrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit (vide Lactant. Inst. I, 20, §. 11; Spanhem. de pr. et usu num. diss. X, p. 191, et intpp. Augustini de civ. Dei IV, 8), vel, si hoc numen a Patribus eccles. effictum est, leg. *Cluacinae*, ut sit *Venus Cluacina*, de qua vid. Plin. XV, 29, s. 36. De aede deae confer Martian. urb. Rom. III, 5; Panvin. descr. Vrb. reg. 8; Fabric. descr. Vrb. cap. 10; Nardin. Rom. vet. V, 8. Mox *Te . . . consecro*, devoveo diis inferis, h. e. morti.

5. *Multitudine prosequentium* iuvenum (quam vocem non male adiiciunt edd. ante Ald. quoniam *matronae* et *viri* mox seorsum memorantur) *tuente* eum a vi lictorum (al. *ruente*) *ad portam* Vrbis *perrexit*, ut ad exercitum rediret, et tumultum concitaret in castris. Agmen prope 400 hominum cum eo ad castra contendebat; vide cap. 50 pr. Confer ad haec et seqq. I, 59.

6. *Puellae infelicem formam*, quae eam reddiderit infelicem. Confer Iu-

quentes clamitant matronae, *eamne liberorum procreandorum conditionem? ea pudicitiae praemia esse?* ceteraque quae in tali re muliebris dolor, quo est moestior imbecillo animo, eo miserabilia magis querentibus [7] subiicit. Virorum [8] et maxime Icilii vox tota, tribunitiae potestatis ac provocationis ad populum ereptae, publicarumque indignationum, erat.

XLIX. Concitatur multitudo partim atrocitate sceleris, partim spe per occasionem repetendae libertatis. Appius nunc vocari Icilium, nunc retractantem [1] arripi; postremo, quum locus adeundi apparitoribus non daretur, ipse cum agmine patriciorum iuvenum per turbam vadens, in vincula duci iubet. Iam circa Icilium non solum multitudo, sed duces quoque multitudinis erant, L. Valerius et M. Horatius; qui, repulso lictore, si iure ageret, vindicare se a privato Icilium aiebant; si vim afferre conaretur, ibi quoque se haud impares fore. Hinc atrox rixa oritur; Valerium Horatiumque lictor decemviri invadit; franguntur a multitudine fasces. In [2] concionem Appius ascendit; sequuntur Horatius Valeriusque; eos concio

venalem X, 289 sqq. — *Necessitatem* ita agendi.

7. *Querentibus subiicit*, vide ad I, 59, 7.

8. *Virorum vox*, oratio, *tota* - plena, *erat tribunitiae* etc. vel tota pertinebat ad tribunitiam etc., de iis agebat, in iis rebus unice versabatur. Cf. ad cap. 36, n. 4. — *Publicarum indignationum vox tota erat*, versabatur in querelis de republica, ad eas composita erat; Bauer. Conf. ad II, 41, n. 1; III, 3, n. 1; III, 62, n. 5.

Cap. XLIX. 1. *Retractantem* (al. *detrectantem*) *arripi*, propr. retrahentem, sc. se, h. e. detrectantem, repugnantem, recusantem, *tergiversantem*, ut cap. 52, et XXXVII, 18; unde *sine retractatione* VI, 28, n. 1, ubi vulgo legitur *sine detrectatione*, ut h. l. *detrectantem*. Conf. Drak. ad h. l. et Ernesti clav. Cic. — *Apparitoribus*; vid. ad I, 8, n. 2. — *Si iure ageret* etc., h. e. si Appius sibi pro iure et potestate magistratus ita agendum putaret, se defensuros Icilium adversus eum, qui non magistratus, sed privatus esset; Duk. Conf. c. 38 extr.

2. *In concionem ascendit*, vide ad II, 7, n. 7.

audit; decemviro obstrepitur. Iam [3] pro imperio Valerius discedere a privato lictores iubebat: quum fractis animis Appius, vitae metuens, in domum se propinquam foro, insciis adversariis, capite obvoluto, recepit. Sp. Oppius, ut auxilio collegae esset, in forum ex altera parte irrumpit: videt imperium vi victum. Agitatus [4] deinde consiliis, ad quae ex omni parte assentiendo multis auctoribus trepidaverat, senatum postremo vocari iussit: ea res, quod magnae parti Patrum displicere acta decemvirorum videbantur, spe per senatum finiendae potestatis eius multi-

3. *Iam pro imperio* etc. vid. ad II, 56, n. 11.

4. *Agitatus deinde consiliis ad quae, assentiendo*, assentians (vide ad I, 8, n. 4), *multis auctoribus*, *trepidaverat*, quum varia consilia animo volvisset (vel potius, quia *agitatus*, ut Drak., non *agitatis*, ut Sigon. et post eum alii edidere, legitur, mente eius variis consiliis, quae varii dederant amici, turbata), circa quae per aliquod tempus fluctuaret, dum mox hoc suadenti assentiret, mox aliud consilium danti; Stroth. quo auctore ex omnibus MSS. *trepidaverat* restitui pro vulg. *trepidus*, et pro *atque* reposui *ad quae*. Cf. ad I, 7, n. 7, et I, 14, n. 6. Similiter, nec tamen plane eodem sensu, *ad arma trepidare* IX, 37, n. 7; XXIII, 16, n. 6; et *trepidante tota civitate ad excipiendum Poenum* XXIII, 7, n. 11, h. e. praegestiente: nam *trepidare* est prae morae impatientia et laetitia vel cupidine alicuius rei, ad modum equi generosi frenum mordentis, trepidare, et hinc simpl. festinare, properare; Doer. Verbum *trepidare* indicat non motum aliquem simpliciter ad capessendam rem, neque omnem tumultum illum, qui fit ante concursum, sed motum cum festinatione aliqua, sive e terrore repentino, sive quacumque alia subita re, ex qua festinatione aliquid confusionis tumoltusque oritur; Ern. Confer Ern. in Actis Erud. ad annum 1743, p. 17; Gronov. inf. ad XXVII, 1 (ubi docet, *trepidare* est satagere, commovere se, negotium capessere), et XLIV, 14, 38 extr. Pro *ad quae* etiam coniicere possis *per quae*, ut XLIV, 6, *subinde per alia atque alia pavida consilia et imperia trepidans*. — Paucissimi MSS. tres scil. vel quatuor, exhibent *agitatis consiliis*; omnes autem habent *atque* et *trepidaverat*. Infelix Ruperti, qui emendavit *ad quae*; melius scripsisset *per quae*; sed nihil erat mutandum. Hic locus est intelligendus hoc modo: varietate consiliorum, quae omni ex parte et in omnem partem ingerebantur, agitatus et fluctuans Oppius, initio assensit iis omnibus quae proponerentur; tandem eo descendit, quod plures auctores suadebant, ut senatum vocari iuberet. Quare legendum mallem cum Drak. *Agitatus* . . . *atque* . . . *trepidus*. Lem.

tudinem sedavit. Senatus nec plebem irritandam censuit; et multo magis providendum, ne quid Virginii adventus in exercitu motus faceret,

L. Itaque missi iuniores Patrum in castra, quae tum in monte [1] Vecilio erant, nuntiant decemviris, *ut omni ope ab seditione milites contineant*; ubi Virginius maiorem, quam reliquerat in urbe, motum excivit. Nam praeterquam quod agmine prope quadringentorum hominum veniens, qui ab Vrbe indignitate rei accensi comites ei se dederant, conspectus est; strictum etiam telum, respersusque ipse cruore tota in se castra convertit; et togae multifariam in castris visae, maioris aliquanto, quam erat, speciem urbanae multitudinis fecerant. Quaerentibus *quid rei esset*, flens diu vocem non misit; tandem ut iam ex trepidatione [2] concurrentium turba constitit, ac silentium fuit, ordine cuncta, ut gesta erant, exposuit. Supinas deinde tendens manus, commilitones appellans orabat, « ne, quod scelus Appii Claudii esset, sibi at» tribuerent; neu se ut parricidam liberum aversa-

CAP. L. 1. *In monte Vecilio*: is a nemine memoratur, ut nec alia locorum hominumve nomina. Quae tamen causa non legitima est Livii verba tentandi: ita enim infinita et in Livio et in aliis scriptoribus mutanda essent; Drak. qui idem monet ad VIII, 12; XLII, 21, et al. Cf. Ern. clav. Cicer. in ind. geogr. v. *Acherini*. — *Nuntiant decemviris*, *ut* etc. vide ad XXV, 22, n. 1. — *Strictum etiam telum tota in se castra* (exercitum omnem) *convertit*, sublatum, scil. et *cruore*, ut *ipse*, *respersum*. *Telum* vero est omne instrumentum, quo nos defendimus vel vim inferimus, h. l. culter lanii (cf. Dion. XI), ut securis I, 40 extr. gladius XXXI, 34; saxa et sudes XXXIV, 15; falces gaesaque IX, 36, n. 7; funda XXXVIII, 29: hinc et remedium, tutela, praesidium, adiumentum, ut III, 55 pr. 69 pr. IV, 28, n. 2; V, 29 extr. VI, 35. Conf. ad I, 43, n. 4; III, 45, n. 9; XXI, 44, n. 9. — *Togae* opponuntur sagis, ut *togati* et *pagani* militibus et *armatis*. Cf. not. 5; ad III, 10, n. 15; IV, 10, n. 5; XXII, 23, n. 1; IX, 25, n. 3; XXII, 23. n. 1; XXII, 38, n. 5, et ad Iuven. XVI, 7.

2. *Ex trepidatione concurrentium*, post celerem concursum hominum, *turba constitit*, tumultus cessavit, vel multitudo eorum substitit.

» rentur. Sibi vitam filiae sua cariorem fuisse, si [3] » liberae ac pudicae vivere licitum fuisset: quum » velut servam ad stuprum rapi videret, morte amitti » melius ratum, quam contumelia liberos, miseri- » cordia se in speciem crudelitatis lapsum. Nec se » superstitem filiae futurum fuisse, nisi spem ulci- » scendae mortis eius in auxilio commilitonum ha- » buisset. Illis quoque enim filias, sorores, coniu- » gesque esse: nec cum filia sua libidinem Ap. Claudii » exstinctam esse; sed, quo impunitior sit, eo effre- » natiorem fore. Aliena calamitate documentum » datum illis cavendae similis iniuriae: quod ad se » attineat, uxorem sibi fato ereptam: filiam, quia » non ultra pudica victura fuerit, miseram, sed » honestam mortem occubuisse. Non esse iam Appii » libidini locum in domo sua; ab alia violentia » eius eodem se animo suum corpus vindicaturum, » quo vindicaverit filiae. Ceteri sibi ac liberis suis » consulerent. » Haec Virginio vociferanti succla- mabat multitudo, *nec* [4] *illius dolori, nec suae libertati se defuturos*. Et immixti turbae [5] militum togati, quum

3. *Si liberae ac pudicae vivere licitum fuisset*, cf. ad XXI, 44, n. 6. — *Contumelia liberos amitti*, sc. si libertatem et pudicitiam amitterent, vel mancipia et scorta fierent.

4. *Nec illius dolori se defuturos*; se et illius dolorem non neglecturos sed vindicaturos, et suam libertatem defensuros esse succlamabant. Conf. cap. 46, n. 3.

5. *Et immixti turbae militum togati* (conf. not. 1), et cives qui cum Virginio venerant, *quum querendo eadem illa*, quae Virginius, *docendoque*, triste rei spectaculum non satis posse verbis exprimi, *simul*, tum, *nuntiando*, *iam rem*, a Virginio narratam (potestatem decemvirorum labefactatam; Drak.), *Romae profligatam esse*, maximam partem confectam et ad exitum paene adductam (ut *profligare proelium* X, 28, n. 9; XXVIII, 2; XXXVIII, 25; et *bellum* XXXV, 6, et XXI, 40 extr. ubi opponitur *committere bellum*, h. e., incipere, et *profligatum conficere*; cf. ad Tacit. Ann. XIV, 36, n. 3), *insecutique*, et alii, hos priores postea sequuti, *qui* (forte leg. *quod* vel *eo quod*) mendacio rem augentes *dicerent*. Vtrumque hoc hominum genus ita *perpulerunt*, perfecerunt, *ut*

eadem illa querendo, docendoque quanto visa quam audita indigniora potuerint videri; simul profligatam iam rem nuntiando Romae esse; insecutique, qui Appium prope interemptum in exsilium abisse dicerent, perpulerunt, ut ad arma conclamaretur, vellerentque signa, et Romam proficiscerentur. Decemviri simul his quae videbant, simul his quae acta Romae audierant, perturbati, alius in aliam partem castrorum ad sedandos motus discurrunt: et leniter agentibus responsum non redditur: imperium [6] si quis inhiberet, et *viros et armatos se esse*, respondetur. Eunt agmine ad urbem, et Aventinum insidunt; ut quisque occurrerat, plebem ad repetendam libertatem, creandosque tribunos plebis adhortantes: alia vox nulla violenta audita est. Senatum Sp. Oppius habet: nihil placet aspere agi: quippe [7] ab ipsis datum locum seditionis esse. Mittuntur tres legati consulares, Sp. Tarpeius, C. Iulius, P. Sulpicius, qui quaererent senatus verbis, *cuius iussu castra deseruissent? aut quid sibi vellent, qui armati Aventinum obsedissent, belloque averso ab hostibus patriam suam cepissent?* Non defuit quid responderetur: deerat qui daret responsum, nullo dum certo duce, nec satis audentibus singulis invidiae se [8] offerre: id modo a multitudine conclamatum est, *ut L. Valerium et M. Horatium ad se mitterent; his se daturos responsum.*

ad arma! ab omnibus *clamaretur.*— *Simul his . . . simul his*; vide ad I, 9, n. 2.

6. *Imperium si quis inhiberet*, vide ad cap. 38, n. 2.

7. *Quippe ab ipsis* decemviris *datum locum seditionis esse*; forte *seditioni*. Confer ad cap. 46, n. 1. — Mox leg. *Serv. Sulpicius*; vide ad cap. 31, n. 6.

8. *Invidias se offerre*; vid. ad II, 60, n. 1. — *L. Valerium et M. Horatium*, viros populares. Conf. supr. cap. 39, 41, et 49.

LI. Dimissis legatis admonet milites Virginius, *in re non maxima paulo ante trepidatum esse, quia sine capite multitudo fuerit: responsumque, quamquam non inutiliter, fortuito tamen magis consensu, quam communi consilio esse. Placere decem creari, qui summae rei praeessent, militarique honore tribunos militum appellari.* Quum ad eum[1] ipsum primum is honos deferretur, *Melioribus meis vestrisque rebus reservate*, inquit, *ista de me iudicia. Nec mihi filia inulta honorem ullum iucundum esse patitur; nec in perturbata republica eos utile est praeesse vobis, qui proximi invidiae sint. Si quis usus mei est, nihilo minor ex privato capietur.* Ita decem numero tribunos militares creant. Neque in Sabinis quievit exercitus: ibi quoque, auctore Icilio Numitorioque, secessio ab decemviris facta est, non minore motu animorum, Siccii[2] caedis memoria revocata, quam quem nova fama de virgine adeo foede ad libidinem petita accenderat. Icilius ubi audivit tribunos militum in Aventino creatos, ne comitiorum[3] militarium praerogativam urbana comitia

Cap. LI. 1. *Ad eum ipsum primum:* τὸ *eum* redundat et forte inducendum, quia ipse Virginius proxime nominatus et loquutus est; Bauerus. — *Ista de me iudicia* et suffragia, quibus indicatis, me tali honore dignum a vobis iudicari. — *Si quis usus*, vide ad VI, 32, n. 3.

2. *Siccii caedis*, de qua v. cap. 43.

3. *Ne comitiorum militarium praerogativam*, priorem creationem tribunorum militarium tanquam praerogativam, *sequerentur urbana comitia*, ita ut decem tribuni militares, in Aventino a militibus creati, mox Romae *tribuni plebis crearentur.* Sic fere XXI, 3 pr. (*praerogativam militarem favor plebis sequitur*) et XXVIII, 9, n. 12. *Praerogativa* et *principium* (IX, 38 extr. *Fauciae tribus* vel potius *Faucia tribus fuit principium*) propr. dicitur tribus vel centuria, quae sorte primum ducta etiam ab eo, qui comitia habebat, primum vel *prae* reliquis *rogabatur* suffragium (nam centuriae priusquam suffragia ferrent, sortiebantur); ut, quae proxime post eam, *primo vocatae* X, 15, 22. Praerogativae auctoritatem plerumque sequebantur ceterae (conf. XXI, 3 pr. XXVI, 22, n. 7), quae *iure vocatae* (h. e. eo ordine, quem Servius fecerat) appellabantur (ut V, 18; XXVI, 6, et *quaeque intro vocatae* X, 13, n. 9), et id quoque spectari solebat, ut praerogativa haberet nomen boni

iisdem tribunis plebis creandis sequerentur, peritus rerum popularium, imminensque ei potestati, et ipse, priusquam iretur ad Vrbem, pari potestate eundem numerum ab suis creandum curat. Porta [4] Collina urbem intravere sub signis, mediaque urbe agmine in Aventinum pergunt: ibi coniuncti alteri exercitui, viginti tribunis militum negotium dederunt, ut ex suo numero duos crearent, qui summae rerum praeêssent. M. Oppium, Sex. Manilium creant. Patres solliciti [5] de summa rerum, quum senatus quotidie esset, iurgiis saepius terunt tempus, quam consiliis. Siccii

ominia. Confer IX, 38 extr. et XXIV, 7-9 (Ascon. in Divinal. «*Iure vocatae*, quod in bis sequente pupulu, nt saepe, praerogativarum vuluntatem iure umnia complerentur.»). Hinc factum est, ul eadem pro bonu in ferendis suffragiis omine, et significatione aliqua diceretur. Ceterum *centuria* el *tribus* promiscua olim dicebanlur, et tribuum passim quuque (v. g. V, 18 pr. el XXV, 2) mentio fit in comitiis centuriatis (vide Gron. Obss. IV, 1, et Ernesti clav. Cic. v. *tribus*). Hinc etiam centuriis eadem, quae tribubus, numina erant. Sic XXIV, 7; XXVI, 22, el XXVII, 6, *centuriae* (ut al. *tribus*) *Aniensis*, *Veturia* et *Galeria* memurantur, et quidem *iuniurum* ac *seniorum*, quoniam centuriarum cuiusque classis dimidia pars eral *seniorum*, dimidia *iuniorum* (v. I, 43; sed et infr. ad XXVI, 18, n. 6). — Quae quum ita sint, Icilius (ul verba Drakenb. mea faciam) impedire vulebat, ne plebs comitiis tributis umen futuri tribunatus plebis, datum illis, qui suffragio militari in Aventino tribuni militum creati essent, ratum esse, eosdemque illos tribunos plebis iubere posset: id enim si eveniret, ipse ab hoc hunure, cui imminebat, exclusus fuisset. Per prolepsin autem haec accipienda sunt, ul et alia loca (v. g. I, 34, n. 14; V, 18; VIII, 18, n. 2; X, 22 al.), si post expletas demum 35 tribus, hoc est post annum Vrb. cond. 512, ratiu comitiorum centuriaturum, a Servio Tullio inducta, sic immutata est, ut in comitiis *una* ex omnibus *tribus*, et ex hac *centuria*, eaeque *praerogativae*, sorte ducerentur. Sed hoc iam prius factum esse, probabile faciunt Duker. ad Liv. V, 18, el Perizon. Animadv. hist. c. 4. — *Imminens ei potestati*, eius cupidus, ad eam aspirans: nam *imminere* significal vel viciniam (ut VIII, 24, n. 4; XXII, 15 extr. XXIV, 40, n. 4; XXV, 25, n. 1), vel exspectationem, vel cupiditatem. Cf. ad IV, 25, n. 3; VIII, 23, n. 8; XXIII, 16; XXV, 20; XXVI, 43, n. 3; XXX, 28; XXXI, 14; XXXIII, 11; XL, 57.

4. *Porta Collina*, per eam, ut XXVI, 10; XXVII, 37 al. vide Drak.

5. *Solliciti de summa rerum*, salute reip. vide ad III, 5, n. 6.

caedes decemviris, et Appiana libido, et dedecora militiae obiiciebantur. Placebat Valerium Horatiumque ire in Aventinum; illi negabant se aliter ituros, quam si decemviri deponerent insignia magistratus eius, quo anno iam ante abissent. Decemviri querentes se in [6] ordinem cogi, non ante, quam perlatis legibus quarum causa creati essent, depondituros imperium se aiebant.

LII. Per M. [1] Duilium, qui tribunus plebis fuerat, certior facta plebs contentionibus assiduis nihil transigi, in [2] Sacrum montem ex Aventino transiit; affirmante Duilio *non prius, quam deseri Vrbem videant, curam in animos Patrum descensuram: admoniturum Sacrum montem constantiae plebis; scituros quod sine restituta potestate redigi in concordiam res nequeant.*

6. *Se in ordinem cogi*, vide ad cap. 35, n. 7.

Cap. LII. 1. *Per M. Duilium* (de quo v. II, 58, 61) *certior facta plebs*, edocta, monita: nam alioqui *certiorem facere* de *nuntio* tantum rei gestae ponitur, non de praecepto aut consilio vel monitu; Bauer.

2. *In Sacrum montem*, vide ad II, 8, n. 3, et II, 32 pr. — *Deseri Vrbem:* nam mons Sacer erat trans Anienem, tria ab Vrbe millia passnum; vide II, 32. Mox Gronovius coniicit *admoniturum Sacrum montem constantiae plebem: scituros, quam sine restituta potestate tribunitia redigi in concordiam res nequeant.* Sed optimos quoque scriptores dixisse *scio*, *credo*, *dico*, *ignoro*, *quod* etc. docuere Drak. ad h. l. et Perizon ad Sanctii Minerv. III, 14, 16: et vox *tribunitia* forsan omissa, quoniam loquitur Duilius, qui tribunus fuerat, nec aliam facile potestatem intelligi posse putabat. Baueri nota est: «*Sine*, pro non, *restituta potestate*; vel participium pro substant. sine restitutione potestatis. *Scituros, quod;* puerilis barbaries, et forte legendum *secuturos*, quod tamen esse debeat pro obsecuturos, quo sensu non dicitur; et tamen h. l. frigeat et langueat: vel *scituros* forte non sit a *sciendo*, sed a *sciscendo*, quasi foret, Patres scituros, quidquid plebi placuerit: verum non Patres *sciscere* dicuntur, sed plebs. Altiori vitio locus laborat.» Confer ad XLV, 41, n. 1. — Formam illam loquendi, *scituros quod*, tuentur quidem, et plerisque immerito suspectam contendunt doctissimi grammatici Duker. et Creverius: sed notandum τὸ *quod* nulla MSS. auctoritate niti. Igitur quum MSS. Rhenani et Gronovii, et ambo cod. Paris. habeant *sciturosque*, videndum an debeat ex utriusque, Rhenani nempe et Gronovii, sententia legi *scituros quam*. Lem.

Via Nomentana,[3] cui tum Ficulensi nomen fuit, profecti, castra in monte Sacro locavere; modestiam[4] patrum suorum nihil violando imitati. Sequuta exercitum plebs, nullo qui per aetatem ire posset retractante. Prosequuntur coniuges liberique, *cuinam se relinquerent in ea urbe, in qua nec pudicitia, nec libertas sancta esset*, miserabiliter rogitantes. Quum vasta Romae omnia insueta solitudo fecisset, in foro praeter paucos seniorum nemo esset; vocatis utique in senatum Patribus, desertum apparuisset forum; plures iam, quam Horatius et Valerius, vociferabantur: » Quid exspectabitis, Patres conscripti? Si decemviri » finem pertinaciae non faciunt, ruere ac deflagrare » omnia passuri estis? Quod autem istud imperium » est, decemviri, quod amplexi tenetis? Tectis ac » parietibus iura dicturi estis? Non pudet lictorum » vestrorum maiorem prope numerum in foro con» spici, quam togatorum[5] aliorum? Quid, si hostes » ad Vrbem veniant, facturi estis? quid, si plebs » mox, ubi parum secessione moveamur, armata ve» niat? Occasune Vrbis vultis finire imperium? Atqui » aut plebs non est habenda, aut habendi sunt tri-

3. *Via Nomentana* et *Ficulensis* s. *Ficulnensis*, quae ad *Numentum* et *Ficuleam* s. *Ficulneam*, Sabinorum oppida, ducit. Conf. Drakenb. et Adlari Beschr. d. St. Rom. pag. 60. Hinc et *porta Nomentana* VI, 20, n. 8, non, ut vulgo legitur, *Flumentana*: nam illa longissime aberat a Capitolio, haec ipso Capitolio subiecta in campum Martium ducebat. Cf. Nardin. Rom. vet. IV, 4.

4. *Modestiam patrum suorum*, qui olim in eodem monte quieti sese tenuerant; vide II, 32. — *Retractante*, vide ad cap. 49, n. 1. — Cod. Sorbonicus dat *retrectante;* cui assentitur codex Paris., nisi quod a secunda manu vulgatam habet. Lem.

5. *Quam togatorum aliorum*, a. civium. In omnibus MSS. et edd. ante Froben. *togatorum aliorumque*. Tum *togati* sunt cives honestiores, et *alii* homines de infima plebe, qui tunica sine toga utebantur; et hinc Cic. Agr. II, 34, *tunicati*, et Horat. Epist. I, 7, 65, *tunicatus popellus* appellantur. Sed *togati* etiam omnes dicuntur cives, ipsique *lictores* erant *togati*, a quibus tamen ita distinguerentur. Cf. Lips. Elect. I, 23.

» buni plebis. Nos citius caruerimus patriciis magi» stratibus, quam illi plebeiis. Novam inexpertamque » eam [6] potestatem eripuere patribus nostris, ne nunc » dulcedine semel capti ferant desiderium: quum » praesertim nec nos temperemus imperiis, quominus » illi auxilii egeant. » Quum haec ex omni parte iactarentur, victi consensu decemviri, futuros [7] se, quando ita videatur, in potestate Patrum affirmant. Id modo simul orant ac monent, ut ipsis ab invidia caveatur; nec suo sanguine ad supplicia Patrum plebem assuefaciant.

LIII. Tum Valerius Horatiusque missi ad plebem conditionibus, quibus videretur, revocandam, componendasque res, decemviris [1] quoque ab ira et impetu multitudinis praecavere iubentur. Profecti gaudio ingenti plebis in castra accipiuntur; quippe liberatores haud dubie et motus initio, et exitu rei. Ob haec advenientibus gratiae actae: Icilius pro multitudine verba facit. Idem, quum de conditionibus ageretur, quaerentibus legatis quae postulata plebis essent, composito [2] iam ante adventum legatorum consilio, ea [3] postulavit, ut appareret in aequitate rerum plus quam in armis reponi spei. Potestatem enim tribuni-

6. *Eam potestatem* tribunitiam *eripuere patribus nostris*, vi expressere, extorsere maioribus, perfecere, ut hi institui eam plebique dari paterentur. — *Ne*, nedum, vel tantum abest, ut (conf. Gron. et Drak. ad h. l. et Parei Lex. Crit. pag. 776) *nunc*, *dulcedine semel capti*, *ferant desiderium* huius potestatis, ea careant aequo animo. Cf. similis locus Cic. de Leg. III, 11 extr. a Livio forte expressus.

7. *Futuros se in potestate Patrum*, vide ad II, 56, n. 16.—*Simul orant*, *ut ipsis ab invidia caveatur*, sibi praestetur securitas, *ac monent*, *ne suo sanguine* etc. suadent, ut avertant periculum, ipsis Patribus imminens, si plebis indulgeant irae.

Cap. LIII. 1. *Decemviris ab ira praecavere*, iis prospicere et securitatem praestare. Cf. cap. 52 extr.

2. *Composito consilio*, formato seu disposito, ut IV, 13, vel potius capto iam ex composito (V, 14 pr.) s. compacto, ut II, 37 pr. XXV, 16; XL, 40 extr. et al.

3. *Ea postulavit*, *ut* etc. vide ad II, 29, n. 6.

tiam provocationemque repetebant, quae ante decemviros creatos auxilia plebis fuerant; et ne cui [4] fraudi esset, concisse milites aut plebem ad repetendam per secessionem libertatem. De decemvirorum modo supplicio atrox postulatum fuit: dedi quippe eos aequum censebant, vivosque igni concrematuros minabantur. Legati ad ea : « Quae [5] consilii fuerunt, adeo aequa » postulastis, ut ultro vobis deferenda fuerint: liber» tati enim ea praesidia petitis, non licentiae ad im» pugnandos alios. Irae vestrae magis ignoscendum, » quam indulgendum est; quippe qui crudelitatis » odio in crudelitatem ruitis, et, prius paene quam » ipsi liberi sitis, dominari iam in adversarios vultis. » Nunquam ne quiescet civitas nostra a suppliciis, » aut Patrum in plebem romanam, aut plebis in Pa» tres? Scuto [6] vobis magis, quam gladio opus est. » Satis superque humilis est, qui iure aequo in ci» vitate vivit, nec inferendo iniuriam, nec patiendo. » Etiam, si quando metuendos vos praebituri estis, » quum recuperatis magistratibus legibusque vestris, » iudicia paenes vos erunt de capite nostro fortunis» que, tunc, ut quaeque causa erit, statuetis: nunc » libertatem repeti satis est.

LIV. Facerent, ut vellent, permittentibus cunctis, mox redituros se legati rebus perfectis affirmant. Pro-

4. *Ne cui fraudi esset*, damno (vide ad I, 24, n. 8), vel sceleri, ut *capitalis fraus* XXIII, 14, et ap. Cicer. p. Rab. perd. 9. Cf. ad XXII, 10, n. 6.

5. *Quae consilii fuerant*, ante a vobis deliberata, et quae *postulastis*, *adeo aequa* sunt etc. — Post verba, *quae consilii fuerunt*, a secunda manu, in codicem Sorbonicum *inquiunt* intrusit nescio quis, Livii videlicet et scriptorum ignarus, quum ista *ait*, *inquit*, *dicit*, saepe saepius subintelligantur. Lem.

6. *Scuto vobis magis, quam gladio, opus est*, magis vis decemvirorum a vobis propulsanda est, quam iis inferenda: conf. ad Epit. Liv. LVII, n. 3. — *Nec inferendo iniuriam*, inferens (vid. ad I, 8, n. 4), *nec patiendo etiam*. *Si* etc., non male interpungitur in edd. antt.

fecti quum mandata plebis Patribus exposuissent, alii decemviri [1], quandoquidem praeter spem ipsorum supplicii sui nulla mentio fieret, haud quidquam abnuere. Appius truci ingenio, et invidia praecipua, odium in se aliorum suo in eos metiens odio; « Haud » ignaro, « inquit, » imminet fortuna: video, donec » arma adversariis tradantur, differri adversus nos » certamen: dandus [2] invidiae est sanguis. Nihil ne » ego quidem moror, quominus decemviratu abe- » am ». Factum senatusconsultum, « ut decemviri » se primo quoque tempore magistratu abdicarent; » Q. Furius pontifex maximus tribunos plebis crea- » ret; et ne cui fraudi esset secessio militum plebis- » que ». His senatusconsultis perfectis, dimisso senatu, decemviri prodeunt in concionem, abdicantque se magistratu, ingenti hominum laetitia. Nuntiantur haec plebei: legatos quidquid in Vrbe hominum supererat prosequitur. Huic multitudini laeta alia turba ex castris occurrit: congratulantur libertatem concordiamque civitati restitutam. Legati pro concione: » Quod [3] bonum, faustum, felixque sit vobis, reique » publicae, redite in patriam ad penates, coniuges, » liberosque vestros: sed qua hic modestia fuistis,

· Cap. LIV. 1. *Alii decemviri*, vid. ad IV, 10, n. 2. — *Haud ignaro imminet fortuna* adversa, h. e. mihi; ut supra c. 38 med. *haud ignarus sum, quanta mihi invidioe immineat tempestas.* — Mox *arma* sunt tribunatus et provocatio.

2. *Dandus invidiae est sanguis*, odium sanguine meo (h. e. morte mea) explendum est. — *Nihil ne ego quidem moror, quo minus* etc. vid. ad II, 24, n. 5, el II, 45, n. 7. — *Q. Furius pontifex max. tribunos pleb. crearet*, h. e. comitia tribunis pl. creandis haberet; vid. ad VII, 16, n. 6. Ita etiam pontifex comitia habebat pontif. maximo creando XXV, 5 pr. Ex quo loco Gruchius de comit. I, 3, et II, 3, coniicit, pontificibus ante legem certe Domitiam ius cum populo agendi et comitia habendi fuisse. Conf. Duk. ad XXV, 5, 2. — Pro *Q. Furio*, obscuro homine, rectius forte *M. Papirium* memorat Asconius Pedianus in Comm. in orat. Cic. pro Cornelio. Sed vid. Drak.

3. *Quod bonum, faustum* etc., vide ad I, 28, n. 1.

» ubi nullius ager in tot rerum usu necessario tantae » multitudini est violatus, eam modestiam ferte in » Vrbem: in[4] Aventinum ite, unde profecti estis. » Ibi felici loco, ubi prima initia inchoastis libertatis » vestrae, tribunos plebi creabitis; praesto erit pon» tifex maximus, qui comitia habeat ». Ingens assensus alacritasque cuncta approbantium fuit: convellunt[5] inde signa, profectique Romam certant cum obviis gaudio: armati per urbem silentio in Aventinum perveniunt: ibi extemplo, pontifice maximo comitia habente, tribunos plebis creaverunt, omnium primum A. Virginium; inde L. Icilium, et P. Numitorium avunculum Virginiae, auctores secessionis: tum C.[6] Sicinium, progeniem eius, quem primum tribunum plebis creatum in Sacro monte proditum memoriae est; et M. Duilium, qui tribunatum insignem ante decemviros creatos gesserat, nec in decemvi-

4. *In Aventinum* montem (vide ad I, 5, n. 2). — *Vbi prima initia inchoastis* (ut XXXIX, 23) *libertatis vestrae*, confer II, 28 sq., nisi simul spectant haec ad famam, cuius Piso auctor fuisse dicitur II, 32 pr.

5. *Convellunt inde signa*; al. *convertunt*. Sed *signa converti* vel ab agmine, quod ex itinere retro cedat, vel ab acie, quae iam mota et ferri coepta in aliam partem feratur, sed eadem terrae infigi in castris stativis, hisque movendis *convelli* seu *velli* et *evelli* (vel *tolli*, *moveri* et *ferri*, ut XXV, 33; XXVII, 2, 47; XXX, 10), iam monuit Gronovius. Cf. supra cap. 50, post med. et in pr. cap. 52 pr. ubi Livius dicit, eos *castra in monte Sacro locavisse*. Baueri nota est: «*Convellunt* legitur probabiliter sane: neque enim in *agmine* iam erant, aut *alio* iter intendebant: nam etsi ante ex castris eo venerant, nunc tamen in itinere non erant; nec vero turba, quae obviam e castris venisset, *sub signis* erat: nisi *convertere signa* simpl. est *abire*, sicut *pergere* Livio saepius est *ire*. » — De *convellunt* aut *convertunt* multa disputaverunt interpretes; hoc defenderunt Rhenanus et Gebhardus; illud Gronovius, Clericus, Creverius et Drakenb. De hoc loco videndus est ipse Gronovius; idque unum adiiciemus, τὸ *convellunt* quod in nullo codice nisi in margine Vormaciensis legi testatur Drakenb. in codice Sorbonico a nobis fuisse repertum. Lem. — Mox legendum *L. Virginium*, ut cap. 44, et apud Dionysium.

6. *C. Sicinium progeniem eius etc.*, vide II, 33.

ralibus certaminibus plebi defuerat. Spe deinde magis quam meritis electi, M. Titinius, M. Pomponius, C. Apronius, P. Villius, C. Oppius. Tribunatu inito, L. Icilius extemplo plebem[7] rogavit, et plebs scivit, ne cui fraudi esset secessio ab decemviris facta. Confestim de consulibus creandis cum provocatione M. Duilius rogationem pertulit: ea omnia in pratis[8] Flaminiis concilio plebis acta, quem nunc circum Flaminium appellant.

LV. Per interregem deinde consules creati, L. Valerius, M. Horatius, qui extemplo magistratum occeperunt: quorum[1] consulatus popularis sine ulla Patrum iniuria, nec sine offensione fuit: quidquid enim libertati plebis caveretur, id suis decedere opibus credebant. Omnium primum, quum veluti in controverso iure esset, tenerenturne Patres plebiscitis[2], legem centuriatis comitiis tulere, *Vt, quod tributim plebes iussisset, populum teneret:* qua lege tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum est. Aliam deinde consularem legem de provocatione, unicum praesidium libertatis, decemvirali potestate eversam, non restituunt modo, sed etiam in posterum muniunt; sanciendo[3] novam legem, *Ne quis ullum*

7. *Plebem rogavit et plebs scivit*, vid. ad IV, 58, n. 10.

8. *De Flaminiis pratis et circo*, vide III, 63; Epit. 20 libri XXXIX, cap. 5; et Fest.

Cap. LV. 1. *Quorum consulatus popularis fuit*, populo gratus et favens, *sine ulla Patrum iniuria*, quorum ius et iura non imminuebantur, *nec tamen sine offensione* eorum, quippe qui *credebant*, *quidquid* esset, quo *libertati plebis caveretur*, prospiceretur, ea firmaretur (quodcumque novum aut firmius praesidium eius), *id suis decedere opibus*, de sua potestate et auctoritate detrahi: confer II, 60 extr.

2. *Plebiscitis*; iis legibus, quas plebs, magistratu plebeio rogante, tributis comitiis iubebat: conf. notas Ruperti 2 et 3 ad II, 33. Lem. — *Vt, quod tributim plebes iussisset, populum teneret*, vide ad II, 60, n. 2. — *Telum acerrimum*, summa vis et auctoritas: confer ad cap. 50, n. 1.

3. *Sanciendo nova lege*, al. non male.

magistratum sine provocatione crearet; qui creasset, eum ius fasque esset occidi: neve[4] *ea caedes capitalis noxae haberetur.* Et quum plebem hinc provocatione, hinc tribunitio auxilio satis firmassent, ipsis[5] quoque tribunis ut sacrosancti viderentur, cuius rei prope iam memoria aboleverat, relatis quibusdam ex magno intervallo caeremoniis, renovarunt; et quum religione inviolatos eos[6], tum lege etiam fecerunt, sanciendo, *Vt qui*[7] *tribunis plebis, aedilibus, iudicibus, decemviris nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset: familia*[8] *ad aedem Cereris, Liberi, Liberaeque venum iret.* Hac lege[9] iuris interpretes negant quemquam sacro-

4. *Neve ea caedes haberetur capitalis noxae*, scilic. caedes, vel pro capitali noxa, nisi leg. *noxa;* vid. ad III, 11, n. 4. — *Plebem*, plebis libertatem.

5. *Ipsis quoque tribunis* (dat. com.); in eorum gratiam, *renovarunt* legem, *ut sacrosancti* (vide ad II, 8, n. 3, et II, 33 pr.) *viderentur;* nisi leg. *ipsi quoque tribuni ut sacrosancti viderentur.* — *Memoria aboleverat*, conf. ad I, 23, n. 1. — *Caeremoniis* religiosis, ut mox *religione.*

6. *Inviolatos eos*, vid. ad II, 1, n. 4.

7. *Vt, qui tribunis plebis, aedilibus ... Iovi sacrum esset*, vide ad II, 8, n. 3, et II, 33, n. 3. Qui *iudices* et *decemviri* hac lege dicantur, ne inter veteres quidem iuris interpretes, ut mox Livius docet, nedum inter recentiores, convenit. Conf. Duk. et Drak. ad hunc locum; Perizon. de praetorio Diss. I, §. 7 sq. et al. Bauerus putat, iudices designari posteriorum temporum, litibus iudicandis, si quidem immemor temporum Livius; aut *duumviris* leg., quales I, 26, commemorati. Idem in Indice monet, *iudicem* simpl. dici praetorem et consulem; posse tamen et inverse intelligi, ut consuli ac praetori datum sit *iudicis* nomen, quod omnino magistratum et praesidem notet, ut Suffetes Carthagine fuerint quasi consules. Mea qualicumque sententia *iudices* sunt ipsi aediles plebeii, quos etiam Dionysius VI, 1, δικαστάς dicit (vid. ad II, 33, n. 3), et *decemviri* decem tribuni plebis; hi autem seorsum memorantur per ἐπεξήγησιν, ut dilucidius res explicetur et accuratius definiatur, neque callidae verborum interpretationi locus relinquatur.

8. *Familia* (omnis res familiaris, servi et reliqua bona, τὰ χρήματα apud Dionys. lib. VI, p. 410; vide ad III, 19, n. 13; XXXIX, 14, n. 2; et Ernesti clav. Cic.) *ad aedem Cereris, Liberi*, Bacchi, et *Liberae*, Proserpinae, *venum iret:* quibus numinibus una fuit aedes. Confer XLI, 28, et ad Tacit. Annal. II, 49, 1. *Venum ire* et contr. *venire* pro venale fieri seu exponi in publico, vendi, ut (in s. ad) *venum dari* (XXIV, 47, n. 3), *tradere, redire*, vel *vendo dari, poni, exerceri.*

9. *Hac lege iuris interpretes*, qui

sanctum esse: sed eum qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri. Itaque aedilem prehendi, ducique a maioribus magistratibus: quod etsi non iure fiat (noceri enim ei, cui hac lege non liceat), tamen argumentum esse[10], non haberi pro sacrosancto aedilem: tribunos vetere iureiurando plebis, quum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse. Fuere qui [11] interpretarentur, eadem hac Horatia lege consulibus quoque, et praetoribus, quia iisdem auspiciis quibus consules crearentur, cautum esse; iudicem enim consulem appellari. Quae refellitur interpretatio, quod his temporibus nondum consulem iudicem, sed praetorem appellari mos fuerit. Hae consulares leges fuere. Institutum[12] etiam ab iisdem consulibus, ut

verba legis urgere solent et ea tantum concedere, quae diserte iis sunt expressa, nec semper ea, quae ex illis rite colligi possunt, *negant*, dicunt, non *quemquam*, neminem *sacrosanctum esse* et proprie ac diserte dici, *sed* potius sc. dicunt (vide ad I, 33, n. 7), *eum, qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri*, fieri, destinari, iudicari, vel sanciri, ut sit sacer, sc. Iovi Stygio; vide ad II, 8, n. 3, et conf. Cic. pro Balbo, c. 14.

10. *Argumentum esse* etc. Possis et *argumento* legere. Sed confer V, 47; VIII, 30, et Drak. ad XXIV, 8. — *Tribunos vetere iureiurando plebis* etc. Conf. II, 33, et ad II, 8, n. 3.

11. *Fuere, qui interpretarentur* etc. scilic. nobiles ac patricii, qui, ut suos magistratus tribunis pl. aequarent, eosdem hac lege sacrosanctos esse contendebant: *iudicem enim consulem appellari* etc. nam consules primum *praetores*, postea *iudices*, et tandem *consules* dicti. *Regio imperio duo sunto; iique praeeundo, iudicando, consulendo, praetores, iudices, consules appellantor*. Cicer. Leg. III, 3. Baueri nota est: « Ergo postea consulum nomen iudices habuere? Sed *iudex* h. l. summum magistratum iure dicundo significat, ut VII, 3, n. 2, *praetor maximus*, i. e. dictator, summus praefectus iure dicundo. Ipsi ergo consules, ante praetores creatos, qua iurisdictionem, dici *praetores* poterant. Nec tamen vel omnino vera, vel ad causam apta Livii ratio videtur. » Errasse Livium, Perizonius, l. l. putat. Sed cf. Drak. — *Quae refellitur*, scil. ab aliis: nam alioquin debebat mox esse *quod mos fuit*, non *fuerit*; Bauer.

12. *Hae consulares leges fuere*. Codex Sorbonicus, et plures a Drakenb. nominati, habent *haec consulares leges fuere*; vir ille clariss. monet ad II, 44, §. 12, olim *haec* numero plurali neque genere feminino et neutro dictum fuisse, sed non a Livio. Lem. — *Institutum ab iisdem coss., ut senatusconsulta in aedem Cereris ad*

senatusconsulta in aedem Cereris ad aediles plebis deferrentur; quae antea arbitrio consulum supprimebantur, vitiabanturque. M. Duilius deinde tribunus plebis plebem rogavit, plebesque scivit: *qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur.* Haec omnia ut invitis, ita non adversantibus patriciis transacta; quia[13] nondum in quemquam unum saeviebatur.

LVI. Fundata deinde et potestate tribunitia, et plebis libertate, tum tribuni aggredi singulos tutum maturumque iam rati, accusatorem primum Virginium, et Appium reum deligunt. Quum diem Appio Virginius dixisset, et Appius stipatus patriciis iuvenibus in forum [1] descendisset; redintegrata extemplo est omnibus memoria foedissimae potestatis, quum ipsum satellitesque eius vidissent. Tum Virginius, « Oratio, *inquit*, rebus [2] » dubiis inventa est. Itaque neque ego accusando » apud vos eum, tempus teram, a cuius crudelitate » vosmet ipsi armis vindicastis: nec istum ad cetera » scelera impudentiam in defendendo se adiicere pa- » tiar. Omnium igitur tibi, A. Claudi, quae impie » nefarieque per biennium alia super alia es ausus, » gratiam[3] facio: unius tantum criminis[4] ni iudicem

aediles (forte *ab aedilibus*) *plebis deferrentur*, quae postea ad aerarium deferebantur, et ab eo tempore vim suam obtinebant; vide XXXIX, 4; apud Tacit. Ann. III, 51, 5, et Schweigh. ad Polyb. III, 26, 1.

13. *Quia nondum in quemquam unum saeviebatur*, in unum aliquem, vel in unum prae ceteris. Conf. VII, 34, n. 2, ibique Drakenb. et Ernesti clav. Cic. *Vnus* saepe abundat, ut in *quisquam unus* II, 9; III, 45; XXVIII, 37; XXXII, 20: *quilibet unus* IX, 17, n. 9: *unus quilibet* XLII, 42: *unus quisque*, *quivis unus*, *nemo unus*. Cf. ad cap. 12, n. 2.

Cap. LVI. 1. *In forum descendisset*, vide ad II, 54, n. 13.

2. *Oratio rebus dubiis inventa est*, adeoque haud necessaria, ubi res non dubiae sunt.

3. *Omnium . . . gratiam facio*, veniam do, ea tibi condono, ut VIII, 34, n. 5. Conf. ad II, 35, n. 5.

4. *Vnius tantum criminis*, sc. caussa s. nomine (quod vocab. passim omit-

» dices, te ab libertate in servitutem contra leges » vindicias non dedisse, in vincula te duci iubeo ». Nec in tribunitio auxilio Appius, nec in iudicio populi ullam spem habebat: attamen et tribunos[5] appellavit; et nullo morante[6], arreptus a viatore, *Provoco*, inquit. Audita vox una vindex libertatis ex eo missa ore, quo vindiciae nuper ab libertate[7] dictae erant, silentium fecit. Et, dum pro se quisque, *deos tandem esse, et non negligere*[8] *humana* fremunt, *et superbiae crudelitatique, etsi seras, non leves tamen venire poenas: provocare qui provocationem sustulisset; et implorare praesidium populi, qui omnia iura populi obtrisset; rapique in vincula egentem iure libertatis, qui liberum corpus in servitutem addixisset*: ipsius Appii, inter concionis murmur, fidem populi romani implorantis vox audiebatur. Maiorum merita in rempublicam domi militiaeque commemorabat; « suum » infelix erga plebem romanam studium, quod ae» quandarum[9] legum causa cum maxima offensione » Patrum consulatu abisset[10]: suas leges, quibus ma-

titur, ut V, 19, n. 3; XL, 52, n. 1, et al. de quo vide ad Tacit. Ann. II, 59, 2; Cort. ad Sall. Cat. 6; Ern. ad Tac. Ann. XIII, 11, et Duk. ad h. l.) *in vincula te duci iubeo* (forte *iubebo*), *ni iudicem dices* (vid. ad c. 24, n. 6) et coram eo probabis, *te ab libertate in servitutem* etc., vide ad cap. 44, n. 5.

5. *Tribunos appellavit*, vide ad II, 27, n. 2.

6. *Nullo morante*, vide ad II, 24, n. 5. De *viatore* vid. ad II, 56, n. 10; *Provoco* ad populum.

7. *Vindiciae ab libertate* in servitutem *dictae*; vide ad cap. 44, n. 5.

8. *Deos esse et non negligere*, sed attendere et curare, *humana* negotia, credebant veteres et sibi persuadebant, si pios malis liberatos et vota eorum exaudita, impios vero meritis poenis mulctatos cernerent; dubitabant autem et negabant, ubi probos infelices esse, et improbos felices videbant: vel deorum id crimine et invidia evenire, illisque dedecori esse arbitrabantur. — *Liberum corpus in servitutem addixisset*, vide ad cap. 44, n. 5.

9. *Aequandarum legum causa*, cf. cap. 31 extr. Callida haec et ficta est oratio captatioque benevolentiae.

10. *Consulatu abisset*: saltem designatus consul fuerat. Confer cap. 33, ubi etiam dicitur *regimen totius magistratus penes Appium fuisse favore*

» nentibus lator earum in vincula ducatur. Ceterum » sua propria [11] bona malaque, quum causae dicen» dae data facultas sit, tum se experturum. In prae» sentia se communi iure civitatis civem romanum » die dicta postulare, ut dicere liceat, ut iudicium » populi romani experiri: non ita se invidiam perti» muisse, ut nihil in aequitate et misericordia civium » suorum spei habeat. Quod si indicta causa in vin» cula ducatur, iterum se tribunos plebei appellare, » et monere ne imitentur quos oderint. Quod si tri» buni eodem foedere [12] obligatos se fateantur tollen» dae appellationis causa, in quam conspirasse de» cemviros criminati sint; *ait* se provocare ad populum: » implorare leges de provocatione, et consulares, et » tribunitias, eo ipso anno latas. Quem enim provo» caturum, si hoc indemnato indicta causa non liceat? » cui plebeio et humili praesidium in legibus fore, » si Ap. Claudio non sit? se documento futurum, » utrum novis legibus dominatio, an libertas firmata » sit; et appellatio provocatioque adversus iniuriam » magistratuum ostentata tantum inanibus literis, an » vere data sit ».

LVII. Contra ea [1] Virginius, unum Ap. Claudium, et legum expertem et civilis et humani foederis esse aiebat. « Respicerent tribunal homines, castellum

plebis; unde h. l. *suas leges ... lator earum* etc.

11. *Suapropria bona malaque* (forte leg. *malave*), suas virtutes vel vitia, quidquid boni vel mali in se ipso sit, aut a se factum sit, quod ad se absolvendum vel damnandum pertineat, *se experturum*, expositurum, vel potius de eo disceptaturum in iudicio; ut passim de controversiis iuris forensibus.

12. *Eodem foedere* inter se clam iuncto *obligatos se fateantur*, declarent sua agendi ratione. Mox pro *in quam* forte leg. *in quod*, scil. foedus, et deinde cum Gronoviis *ait* vel plane delendum, vel reponendum *et*. Voc. *causa* post *appellationis* bene abfuerit, iudice Bauero, ut genitivus a *foedere* pendeat.

Cap. LVII. 1. *Contra ea Virginius*; vocabulum *ea* delendum putat Gro-

» omnium scelerum: ubi decemvir ille perpetuus, » bonis, tergo, sanguini civium infestus, virgas secu- » resque omnibus minitans, deorum hominumque » contemptor, carnificibus, non lictoribus stipatus, » iam ab rapinis et caedibus animo ad libidinem verso, » virginem ingenuam in oculis populi romani, velut » bello captam, ab complexu patris arreptam, mi- » nistro[2] cubiculi sui clienti dono dederit: ubi cru- » deli decreto, nefandisque vindiciis dexteram patris » in filiam armaverit: ubi tollentes corpus semianime » virginis sponsum avunculumque in carcerem duci » iusserit, stupro interpellato magis, quam caede » motus. Et illi carcerem aedificatum esse, quod do- » micilium plebis romanae vocare sit solitus. Proinde » ut ille iterum ac saepius provocet, sic se iterum » ac saepius iudicem[3] illi ferre, ni vindicias ab li- » bertate in servitutem dederit: si ad iudicem non » eat, pro damnato in vincula duci iubere». Vt haud quoquam improbante, sic magno motu animorum, quum tanti viri supplicio suamet plebi iam nimia libertas videretur, in carcerem est coniectus: tribunus ei[4] diem prodixit. Inter haec ab Latinis et Hernicis legati gratulatum de concordia Patrum ac plebis Romam venerunt; donumque ob eam Iovi optimo maximo coronam auream in Capitolium tulere parvi ponderis, prout res haud opulentae erant, co-

novius. Conf. ad II, 60, n. 1; ali *contra haec* mallent.

2. *Ministro cubiculi sui*, vide ad c. 44, n. 7. — *Carcerem.... domicilium plebis Rom.* Conf. Cic. Verr. V, 55, et Theophr. Char. 6, ubi vide Casaub.

3. *Iudicem illi ferre, ni vindicias* etc., vide ad cap. 24, n. 6, et cap. 44, n. 5.

4. *Tribunus ei diem prodixit*, vide ad II, 61, n. 6. — Vulgo edebatur *praedixit*, ut in II, 61, *diem praedicerent*, et infr. cap. 58 *praedicta dies* quidam scribebant; alteram autem lectionem, quam codices Paris. habent, recte reponi iussit Crevetius. Lem.

lebanturque religiones pie magis, quam magnifice. Iisdem auctoribus cognitum est, Aequos Volscosque summa vi bellum apparare. Itaque partiri provincias consules iussi. Horatio Sabini, Valerio Aequi Volscique evenere. Quum ad ea bella delectum edixissent, favore plebis non iuniores modo, sed emeritis etiam stipendiis, pars [5] magna voluntariorum, ad nomina danda praesto fuere: eoque non copia modo, sed genere etiam militum, veteranis admixtis, firmior exercitus fuit. Priusquam Vrbem [6] egrederentur, leges decemvirales, quibus *tabulis duodecim* est nomen, in aes incisas in publico proposuerunt. Sunt qui iussu tribunorum aediles functos eo ministerio scribant.

LVIII. C. Claudius [1], qui perosus decemvirorum scelera, et ante omnes fratris filii superbiae infestus,

5. *Pars magna voluntariorum*, veteranorum, qui *emeritis* iam *stipendiis* sponte *nomina dederant*. Conf. ad I, 11, n. 3. *Emerita* s. legitima, iusta et confecta *stipendia*, h. e. anni militiae (ut XXVI, 28, n. 3; XXIX, 1, n. 5; XXX, 28, n. 7; XXXI, 8, n. 7; XLII, 33, n. 2), equitum erant 10, peditum 20, ab anno aetatis 17–46, et annus 50 etiam ei, qui casu aut morbo impeditus, legitima nondum impleverat stipendia, vacationem dabat. Conf. ad XXII, 11, n. 8; XLII, 31, n. 3; XLII, 33, n. 4, et XLII, 34, n. 7. Hunc legitimum fuisse stipendiorum numerum, cuivis civi romano faciendorum, etsi diserte traditur nusquam, probabili tamen iudicio colligitur ex III, 71, n. 4; XXVII, 11, n. 14; XLII, 31, 33, 34; et ex Plutarcho, C. Gracch. pr. p. 835. Conf. ad Tac. Ann. I, 17, 1; Lips. mil. Rom. I, 2; V, 19; in primis Schweigh. ad Polybium VI, 19, 2, ubi haec leguntur τοὺς μὲν ἱππεῖς δέκα, τοὺς δὲ πεζοὺς ἐξ οὗ (forte εἴκοσι) δεῖ στρατείας τελεῖν κατ' ἀνάγκην, ἐν τοῖς τετταράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ἀπὸ γενεᾶς, πλὴν τῶν ὑπὸ τὰς τετρακοσίας δραχμὰς τετιμημένων. Hinc et infr. XLIII, 14, n. 3, *tu minor annis 46 es*. Tubero apud Gell. X, 28, auctor est, *seniores* fuisse dictos, qui *supra quadragesimum sextum annum* essent

6. *Priusquam Vrbem egrederentur* (vide ad II, 37, n. 5), *leges . . . in aes incisas in publico* (*in publicum* apud Cicer. Agr. II, 5) *proposuerunt*, h. e. publice legendas affixerunt s. promulgarunt. Sed forte leg. *in aes incisas in publico*, h. e. aerario (vide ad II, 9, 4) *reposuerunt*: nam eo deferebantur leges perlatae, tabulae publicae et senatusconsulta, quae non ante rata erant.

CAP. LVIII. 1. *C. Claudius*, Appii patruus; conf. capita 15, 35 et 40. — *Regillum antiquam in patriam*; vid. ad II, 16, n. 3.

Regillum antiquam in patriam se contulerat, is magno iam natu quum ad pericula eius deprecanda redisset, cuius vitia fugerat, sordidatus [2] cum gentilibus clientibusque in foro prensabat singulos; orabatque, « ne Claudiae genti eam inustam maculam vellent, » ut carcere et vinculis viderentur digni : virum ho» noratissimae [3] imaginis futurum ad posteros, legum » latorem, conditoremque romani iuris, iacere vinctum » inter fures nocturnos ac latrones. Averterent ab ira » parumper ad cognitionem cogitationemque animos: » et potius unum tot Claudiis deprecantibus [4] con» donarent, quam propter unius odium multorum » preces aspernarentur. Se quoque id generi ac no» mini dare, nec cum eo in gratiam redisse, cuius » adversae fortunae velit succursum. Virtute liber» tatem recuperatam esse : clementia concordiam or» dinum stabiliri posse ». Erant quos moveret sua magis [5] pietate, quam eius pro quo agebat causa: sed Virginius *sui potius ut misererentur*, orabat, *filiaeque: nec gentis Claudiae regnum* [6] *in plebem sortitae, sed*

2. *Sordidatus... prensabat singulos in foro*, vide ad II, 54, n. 5, et II, 61, n. 4.

3. *Virum honoratissimae imaginis futurum ad posteros*, habiturum imaginem multis et illustribus honorum titulis decoratam, et hanc proditurum ad posteros; Bauer. Cf. ad I, 34, n. 8. — *Ad cognitionem cogitationemque* animi tranquilli, merita gentis Claudiae pensitantis.

4. *Vnum tot Claudiis deprecantibus condonarent*; vide ad II, 35, n. 5. — *Se id generi dare*, tribuere, h. e. id huius causa facere, ut XLII, 31, n. 2, *id Macedoniae datum*, et XL, 59 pr. *triumphum magis gratiae, quam rerum gestarum magnitudini, datum*, illius, quam huius gratia, ob illam, quam hanc, concessum. Hinc VIII, 26, n. 3, *auctoribus hoc dedi*, eorum auctoritate motus hoc ita narravi. Cf. ad c. 71, n. 3; IV, 11, n. 3; VIII, 32, n. 10; XXXVIII, 47, n. 1; in pr. II, 35, n. 5, et ad Tacit. Annal. I, 7, 21.

5. *Sua magis pietate*, amore gentis et consanguinei. — *Pro quo agebat*, sc. rogando, ut II, 2, h. e. rogabat, vel operam dabat; vel cuius causam agebat.

6. *Regnum in plebem sortitae*, quae hoc regnum accepisset, vel inter se quasi divisisset. — *Necessariorum*

necessariorum Virginiae et trium tribunorum preces audirent; qui ad auxilium plebis creati, ipsi plebis fidem atque auxilium implorarent. Iustiores hae lacrymae videbantur: itaque spe[7] incisa, priusquam prodicta dies adesset, Appius sibi mortem[8] conscivit. Subinde arreptus a P. Numitorio Sp. Oppius, proximus invidiae, quod in Vrbe fuerat, quum iniustae[9] vindiciae a collega dicerentur. Plus tamen facta iniuria Oppio, quam non prohibita, invidiae fecit: testis productus, qui septem et viginti enumeratis stipendiis, octies extra ordinem[10] donatus, donaque ea gerens in conspectu populi, scissa veste, tergum laceratum virgis ostendit, nihilum deprecans, *quin, si quam suam noxam reus dicere posset, privatus iterum in se saeviret.* Oppius quoque ductus in vincula est, et ante iudicii diem finem ibi vitae fecit. Bona Claudii Oppiique tribuni publicavere: collegae eorum exsilii causa solum[11] verterunt: bona publicata sunt; et M. Claudius assertor Virginiae, die dicta damnatus, ipso remittente Virginio ultimam poenam, di-

Virginiae et simul *trium tribunorum* pl. Virginii, Icilii et Numitorii: cf. c. 54 extr. — Copulam *et* post *Virginiae*, quae abest a codicibus Paris. ambobus, recte delerunt et Rhenanus et Creverius; eamque abesse mallet Drakenb. LEM.

7. *Spe incisa*, vide ad III, 10, n. 9. — *Prodicta dies*, vid. ad II, 61, n. 6.

8. *Appius sibi mortem conscivit* laqueo: sed alii eum a tribunis, vel eorum iussu occisum tradunt. — *Arreptus*, vide ad II, 54, n. 4.

9. *Iniustae vindiciae dicerentur*, vide ad cap. 44, n. 5. — 27 *stipendiis*, vide ad cap. 57, n. 5.

10. *Octies extra ordinem donatus* gaeso s. hasta, armillis, torque, phalera, spoliis, vel, quae maiora sunt praemia, corona, ob rem eximie gestam, non in iusta acie, ubi cuilibet fortiter pugnandum est, sed *extra ordinem*, in singulari certamine, in excursione, velitatione etc. Cf. Polyb. VI, 37, et Lips. de mil. Rom. V, 17.

11. *Exsilii causa solum verterunt*, vide ad III, 13, n. 10. — *Assertor Virginiae*, vide ad III, 44, n. 5. — *Vltimam poenam* h. l. mortis. Alibi *ultima* vel *extrema poena*, *supplicium*, *crudelitas* etc. pro *maxima*, v. g. VI, 20; IX, 16; XLII, 7.

missus Tibur exsulatum abiit: manesque [12] Virginiae, mortuae quam vivae felicioris, per tot domos ad petendas poenas vagati, nullo relicto sonte tandem quieverunt.

LIX. Ingens metus incesserat Patres, vultusque iam iidem tribunorum erant, qui decemvirorum fuerant; quum M. Duilius tribunus plebis, inhibito [1] salubriter modo nimiae potestatis, « Et libertatis, » in» quit, » nostrae, et poenarum ex inimicis satis est: » itaque hoc anno nec diem dici cuiquam, nec in » vincula duci quemquam sum passurus. Nam neque » vetera peccata repeti iam obliterata placet, quum » nova expiata sint decemvirorum suppliciis; et ni» hil admissum iri, quod vim tribunitiam desideret, » spondet perpetua consulum amborum in libertate » vestra tuenda cura ». Ea primum moderatio tribuni metum Patribus demsit, eademque auxit consulum invidiam; quod adeo toti [2] plebis fuissent, ut

12. *Manes Virginiae. .... tandem quieverunt*, venusta imago vindictae a cunctis sontibus somptae.

CAP. LIX. 1. *Inhibito salubriter modo nimiae potestatis*, vide ad III, 38, n. 2. Sed forsan legendom cum Gron. *potestati.*. Cf. IV, 53 med. et 56 extr. « Melius forte hoc, sed non necessarium : hic tamen paene audeam per hypallagen explicare, Livio non adeo insolentem, inhibita potestate salubri modo; ut inhibita sit coërcita, repressa; » Baoer. — Creverios putat mendose scriptum, et contra latinae linguae proprietatem *inhibito modo potestatis*; et locum hunc comparat cum duobus aliis, scilic. IV, 53 et 56, in quibus verbum *inhibere*, eodem sensu usurpatum cum casu tertio iungitur; Gronovii igitur emendationem receperat in suo contextu; et ita etiam scriptum putabat in codice suo antiquissimo a manu prima; literam nempe *s* in fine atramento recentiore allitam indicavit. Nos autem codicem eundem, qui est cod. Paris. attentis ocolis perlustrantes, affirmare possumus nullam corruptelam voci *potestatis* fuisse allatam; et quum Gronovius in omnibus codicibus non aliter legi fateatur, nihil mutare audemus; forsan enim dictum fuit *inhibere modum potestatis*, aeque ac *potestati*.—Mox pro *quum nova expiata sint* quod in duobus tantum codicibus legi videtur, ambo cod. Paris. habent *quum et nova* etc. LEM.

2. *Adeo toti plebis fuissent*, vide ad c. 36, n. 4.

Patrum salutis libertatisque prior plebeio magistratui, quam patricio cura fuisset; et ante inimicos satietas poenarum suarum cepisset, quam obviam ituros licentiae eorum consules appareret: multique erant qui mollius consultum[3] dicerent, quod legum ab iis latarum Patres auctores fuissent; neque erat dubium, quin turbato reipublicae statu tempori succubuissent.

LX. Consules, rebus urbanis compositis, fundatoque plebis statu, in provincias[1] diversi abiere. Valerius adversus coniunctos iam in Algido exercitus Aequorum Volscorumque sustinuit consilio bellum. Quod si extemplo rem fortunae commisisset, haud scio[2] an (qui tum animi ab decemvirorum infelicibus auspiciis, Romanis hostibusque erant) magno detrimento[3] certamen staturum fuerit. Castris mille passuum ab hoste positis, copias continebat: hostes medium inter bina castra spatium acie instructa complebant: provocantibusque ad proelium responsum romanus nemo reddebat. Tandem fatigati

3. *Multi erant, qui mollius consultum* (ut XXX, 7) *dicerent* a Patribus, *quod leges ab iis* consulibus, Horatio et Valerio, *latas* (vide cap. 55) sua auctoritate confirmassent: *neque erat dubium, quin* Patres *tempori succubuissent*, ei cedere coacti essent. « Mihi hoc videtur dicere Livius: etiamsi Patres de his rebus cum tribunis et consulibus contendere voluissent, tamen ea tunc fuisse tempora eumque statum reipublicae, ut non dubium sit, quin succubuissent, et tempori cedere coacti fuissent; » Duk. *Consultum* forte senatusconsultum. Ern.

Cap. LX. 1. *In provincias diversi abiere*, h. e. in diversas provincias et partes, alius alio, ut IX, 37, n. 8; X, 27, 33, ubi vide Drak. XXV, 19, n. 3; *diversos alium alibi* IX, 2 pr. adeoque (ut XXXI, 46, n. 5, et al.) diversis locis; *Patres diversi discessissent* XXII, 56, n. 1, in diversas Vrbis partes, alius in hanc, alius in illam. Cf. et XXVI, 20, n. 4; XXVIII, 46, n. 1; XLII, 7, n. 4; Duk. et Drak. ad X, 33, §. 10.

2. *Haud scio an*, vide ad II, 2, n. 3. — *Infelicibus auspiciis*, summo imperio militari, *decemvirorum*; vide cap. 42.

3. *Magno detrimento certamen*, proelium, *staturum*; vid. ad II, 36, n. 4.

stando ac nequidquam exspectando certamen Aequi Volscique, postquam concessum[4] propemodum de victoria credebant, pars in Hernicos, pars in Latinos praedatum abeunt; relinquitur magis castris praesidium, quam satis virium ad certamen. Quod ubi consul sensit, reddit illatum[5] antea terrorem; instructaque acie ultro hostem lacessit. Vbi illi, conscientia quid abesset virium, detractavere pugnam, crevit extemplo Romanis animus, et pro victis habebant paventes intra vallum. Quum per totum diem stetissent intenti ad certamen, nocti cessere: et Romani quidem pleni spei corpora curabant. Haud quaquam pari hostes animo, nuntios passim trepidi ad revocandos praedatores dimittunt: recurritur ex proximis locis; ulteriores non inventi. Vbi illuxit, egreditur castris romanus, vallum invasurus, ni copia pugnae fieret: et, postquam multa[6] iam dies erat, neque movebatur quidquam ab hoste, iubet signa inferri consul: motaque acie, indignatio Aequos et Volscos incessit, si victores exercitus vallum potius quam virtus et arma tegerent: igitur et ipsi efflagitatum ab ducibus signum pugnae accepere. Iamque pars egressa portis erat, deincepsque alii[7] servabant ordinem, in suum quisque locum descendentes, quum consul romanus, priusquam totis vi-

4. *Concessum* (sibi cessum esse) *de victoria*, respectu victoriae, h. e. victoriam concessam, ut IV, 6, et XXII, 12.

5. *Reddit illatum antea terrorem*, ut *parem dolorem hosti reddere* IX, 31, et *acceptam reddere hosti cladem* XXIV, 17 et 20, ubi bene sibi respondent *accipere* et *reddere*. — Mox *detractavere* pro *detrectavere* plerique libri (confer ad XXXVI, 40, n. 4) probantibus Drak. ad hunc locum, Cortio ad Sall. Iugurt. 57; Burm. ad Ovid. Metamor. V, 246; Oudend. ad Frontin. Strat. I, 1, 9, et al. — *Nocti cessere*; vide ad cap. 17, n. 10.

6. *Multa iam dies erat*, vide ad XXII, 52, n. 1.

7. *Deincepsque alii servabant ordinem*; vide ad I, 21, n. 8. — *Constaret hostium acies*; vide ad I, 30, n. 8.

ribus fulta constaret hostium acies, intulit signa: adortusque nec omnes dum eductos, nec qui erant, satis explicatis ordinibus, prope fluctuantem [8] turbam trepidantium huc atque illuc, circumspectantiumque se ac suos, addito turbatis mentibus clamore atque impetu, invadit. Retulere primo pedem hostes: deinde quum animos collegissent, et undique duces, *victisne cessuri essent*, increparent, restituitur pugna.

LXI. Consul ex altera parte Romanos « meminisse, *iubebat*, illo die primum liberos pro libera urbe » romana pugnare. Sibimet ipsis victuros, non ut » decemvirorum victores praemium essent. Non Appio » duce rem geri, sed consule Valerio, a liberatoribus [1] » populi romani orto, liberatore ipso. Ostenderent » prioribus proeliis per duces, non per milites, stetisse » ne vincerent. Turpe esse, contra cives plus animi » habuisse, quam contra hostes; et domi, quam foris, » servitutem magis timuisse. Vnam Virginiam fuisse » cuius pudicitiae in pace periculum esset; unum » Appium civem periculosae libidinis: at si fortuna » belli inclinet, omnium liberis ab tot millibus hostium periculum fore. Nolle ominari, quae nec » Iupiter, nec Mars pater passuri sunt iis [2] auspiciis

8. *Fluctuantem turbam* vel *fluitantem*, male cohaerentem et ordinatam, indispositam, disionctam, vel diversimode et ultro citroque motam seu agitatam, et dubiam utrum recedat an procedat, ut VI, 13, 24; VIII, 39; XXIX, 2; XXX, 34; XLIV, 41, n. 4. Sic et *fluitantia signa* XXIX, 2, n. 4, de turbatis ordinibus, in quos facta est impressio s. impetus. Conf. Gronov. Obss. IV, 6. — *Addito, turbatis mentibus, clamore* distinguendum; Duk.

Cap. LXI. 1. *A liberatoribus populi romani*, a Valerio Publicola, qui cum Bruto reges eiecerat. — *Per duces stetisse*; vid. ad II, 31, n. 7, et de *prioribus proeliis*, supra cap. 42.

2. *Iis auspiciis*, talibus, tam faustis, *conditae Vrbi*. Conf. ad II, 29, n. 6. — *Imperium illibatum*, quasi salvum et incolume, vel non pollutum clade. *Illibatae vires* XLII, 30, n. 4, sunt haud imminutae, saltem non penitus fractae, ut contra vires partis *oppressae a potentiore ... aequatis legibus*; vid. cap. 31 extr.

» conditae urbi accidere. « Aventini Sacrique montis admonebat, » ut, ubi libertas parta esset paucis ante » mensibus, eo imperium illibatum referrent: ostenderentque eandem indolem militibus romanis post » exactos decemviros esse, quae ante creatos fuerit; » nec aequatis legibus imminutam virtutem populi » romani esse. » Haec ubi inter signa peditum dicta dedit, avolat deinde ad equites: « Agite, iuvenes, » *inquit*; praestate virtute peditem, ut honore atque » ordine praestatis. Primo concursu pedes movit hostem: pulsum vos immissis equis exigite e campo. » Non sustinebunt impetum; et nunc cunctantur » magis, quam resistunt. « Concitant equos permittuntque in hostem, pedestri iam turbatum pugna; et perruptis ordinibus elati ad novissimam aciem, pars libero spatio circumvecti, iam fugam undique capessentes plerosque a castris avertunt, praeterequitantesque absterrent. Peditum acies, et consul ipse, visque omnis belli fertur in castra; captisque cum ingenti caede, maiore praeda potitur. Huius pugnae fama perlata non in urbem modo, sed in Sabinos ad alterum exercitum. In urbe laetitia modo celebrata est; in castris animos militum ad aemulandum decus accendit. Iam Horatius eos excursionibus[3] sufficiendo proeliisque levibus experiundo, assuefecerat sibi potius fidere, quam meminisse ignominiae decemvirorum

3. *Eos excursionibus sufficiendo*, suppeditando, adhibendo, submittendo, ut apud Sil. I, 36. Donatius *sufficere* putabat h. l. esse inficere, imbuere, et metaphoram ductam a tinctoribus, qui non statim colores vividos ac mansuros lanae pannisve incoquant, sed levioribus antea ad eos praeparent: de qua vi verbi vid. Gron. diatr. Stat. cap. 10. Dukerus iungenda monet *eos assuefecerat*, et *excursionibus sufficiendo* esse: quum viderent, se in *excursionibus sufficere*, pares esse hosti, eumque sustinere posse; conf. ad X, 18, n. 9.

ductu acceptae; parvaque certamina in summam totius profecerant [4] spei. Nec cessabant Sabini, feroces ab re priore anno bene gesta, lacessere atque instare, rogitantes, *Quid latrocinii modo procursantes pauci recurrentesque tererent tempus, et in multa proelia parvaque carperent* [5] *summam unius belli? Quin illi congrederentur acie, inclinandamque semel fortunae rem darent?*

LXII. Ad Id [1] quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur. *Iam alterum exercitum victorem in urbem rediturum; sibi ultro per contumelias hostem insultare: quando autem se, si tum* [2] *non sint, pares hostibus fore?* Vbi haec fremere militem in castris consul sensit, concione advocata, « Quemadmodum, « inquit, » in » Algido res gesta sit, arbitror vos, milites, audisse; » qualem liberi populi exercitum decuit esse, talis » fuit: [3] consulto collegae, virtute militum victoria » parta est. Quod ad me attinet, id consilii animique habiturus sum, quod vos mihi effeceritis. Et » trahi bellum salubriter, et mature perfici potest: » si trahendum est, ego ut in dies spes virtusque » vestra crescat, eadem qua institui disciplina efficiam: si iam satis animi est, decernique placet,

4. *Parva certamina profecerant*, utilia fuerant, *in summam totius spei*, ut mox *summam belli*; vid. ad III, 5, n. 6; XXVI, 6, n. 5; XXIX, 11, n. 7; XXXI, 37, n. 2.

5. *In multa proelia carperent summam belli*, vid. ad III, 5, n. 1, et n. 6.

Cap. LXII. 1. *Ad id, quod*, vide ad III, 7, n. 4, vel *ad id animorum* etc. — *Indignitate*, ignominia, quae mox exponitur.

2. *Si tum non sint*, scil. quum tali indignitate sint accensi.

3. *Consulto collegae*, consilio, ut X, 39, et XXV, 16 pr. E paucis MSS. formam minus usitatam *consultu* recepere Gronov. et Drak. Ita Cic. ad Att. IV, 2, dicitur *plebiscitus*, et in Verr. II, 78, *peccatus*; Ern. — *Id consilii, quod*, tantum ... quantum. — *Decernique*, conf. ad XXI, 41, 2.

» agitedum, clamorem, qualem in acie sublaturi estis, » tollite hic, indicem voluntatis virtutisque vestrae ». Postquam ingenti alacritate clamor est sublatus, » quod bene[4] vertat, gesturum se illis morem, po» steroque die in aciem deducturum, » affirmat. Reliquum diei apparandis armis consumptum est. Postero die simul instrui romanam aciem, Sabini videre, et ipsi iampridem avidi certaminis procedunt. Proelium fuit, quale inter fidentes sibimet ambo exercitus, veteris perpetuaeque alterum[5] gloriae, alterum nuper nova victoria elatum. Consilio etiam Sabini vires adiuvere: nam quum aequassent[6] aciem, duo extra ordinem millia, quae in sinistrum cornu Romanorum in ipso certamine impressionem facerent,

4. *Quod bene vertat*, vid. ad I, 28, n. 1. — Mox *simul* pro *simul ac*, ut IV, 32; V, 25; VI, 1, et 19; XXI, 65; XXIV, 17; XXV, 38; XLIV, 8. Cf. ad VI, 1, n. 4. — *Ambo* (al. *ambos*) *exercitus*, ut passim *ambo* pro *ambos*, et *duo* pro *duos*. Exempla congessit larga manu e Livio Gronov. ad XXXV, 21.

5. *Veteris perpetuaeque alterum*, sc. exercitum *gloriae*, ut c. 38 *in paucos praeferocis animi*; c. 72 *etsi praemortui iam sit pudoris*; XXI, 52, *recentis animi alter*; XXII, 29, n. 6, *extremi* (infimi, imbecillimi) *ingenii esse*, in quibus exemplis non abl. *causa*, sed substant. *homines*, ut in aliis alia substantiva omissa sunt, quae saepius adiiciuntur et genitivis iunguntur, vel eadem repetenda, ut XXIII, 34 extr. *consulatum*, *unum certe*, *plebis romanae esse*, sc. consulatum; XXII, 15, n. 3, *ea regio praesentis erat copiae*, scil. regio ea abundans; XXXI, 45; *nec se potestatis suae esse*, ut al. *sui iuris esse*, et XXV, 29, n. 3, *sui arbitrii esse*, scilic. homines (qui servi antea fuerant); XLIII, 3 extr. *ipsorum esse potestatis*, sc. rem ab eorum arbitrio pendere; XXII, 22, n. 5, *quae fortuna potestatis eius poterat facere* (sc. facinora, res, h. e. quorum perficiendorum potestatem ei dare poterat); et contra XLII, 29, *alieni arbitri esse*, scilic. hominem, h. e. ab eo pendere; XXIII, 30, n. 5, *Rhegini* (seu *Regini*, de quo vid. ad Tac. Ann. I, 53, n. 2) *tantummodo* inter populos *regionis eius et in fide erga Romanos et potestatis suae* populus *ad ultimum manserunt*. Conf. ad III, 36, n. 4; XXI, 30, n. 5; XXX, 7, n. 4. XXX, 9, n. 3. Post *gloriae* excidisse *avidum* (quod in veter. libr. legitur), coniicit Sigonius, et *memoria* (quod praestat) Strothius.

6. *Quum aequassent aciem* suam aciei romanae, adversam explicuissent ad eandem longitudinem. Confer XXXVII, 29 extr. — *Temere*, retinuere, reservarunt; vel constituere,

tenuere: quae ubi illatis ex transverso signis degravabant[7] prope circumventum cornu; equites duarum legionum sexcenti fere ex equis desiliunt, cedentibusque iam suis provolant in primum; simulque et hosti se opponunt, et, aequato primum periculo, pudore deinde animos peditum accendunt. Verecundiae[8] erat, equitem suo alienoque Marte pugnare; peditem ne ad pedes quidem degresso[9] equiti parem esse.

LXIII. Vadunt igitur in proelium ab sua parte omissum, et locum ex quo cesserant repetunt: momentoque non restituta modo pugna, sed inclinatur etiam Sabinis cornu. Eques inter ordines peditum[1] tectus se ad equos recipit: transvolat inde in partem alteram, suis victoriae nuntius; simul et in hostes iam pavidos, quippe fuso suae partis validiore cornu, impetum facit: non aliorum eo proelio virtus magis enituit. Consul providere omnia, laudare fortes, increpare sicubi segnior pugna esset. Castigati fortium statim[2] virorum operam edebant: tantumque hos

7. *Degravabant cornu*, urgebant, opprimebant, vel reprimebant.—*Provolant in primum*; vid. ad II, 20, n. 3.

8. *Verecundiae erat*, pudori erat, pudebat eos. Conf. V, 14 pr. XXIV, 42, n. 7; XXXVI, 27.—*Suo alienoque Marte*, tam equestri quam pedestri ratione pugnandi.

9. *Ad pedes degresso equiti*, ut *ad pedes descendere* et *deducere* IV, 40; IX, 22; XXXVIII, 25; *ad pedes pugna ierat* XXI, 46. Conf. ad XXIX, 2, n. 3.

Cap. LXIII. 1. *Inter ordines peditum tectus*: ultima vox forte del.; Dukerus: aut legendum *tutus*, ut II, 65 pr. *Ab tergo erant clivi, in quos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit*; Drak.

2. *Fortium virorum operam* (al. *opera*) *edebant*, ut V, 4, *annuam operam ede*. — *Hostem avertunt*, faciunt ut terga vertat, vel in fugam vertunt, ut passim *vertere*, *avertere* (VII, 8, 11, 15, 16, 17; XXVII, 14; XXXVIII, 41), et gr. τρέπειν· quin et *avertere in fugam* in plerisque et optimis MSS. I, 37; XXII, 19; XXV, 39; XXVI, 44; XXXIV, 15; XXXVIII, 20, sc. a proelio vel ab hoste, cum quo pugnatur, ut *avertere ad Antiochum*, scilic. a Romanis, XXXV, 31, n. 1, ubi vid. Drak. et ad I, 40 extr. VI, 32, n. 8.

pudor, quantum alios laudes excitabant. Redintegrato clamore, undique omnes connisi hostem avertunt; nec deinde romana vis sustineri potuit. Sabini fusi passim per agros castra hosti ad praedam relinquunt: ibi non sociorum, sicut in Algido, res, sed suas romanus populationibus agrorum amissas recipit. Gemina victoria duobus bifariam proeliis parta, maligne[3] senatus in unum diem supplicationes consulum nomine decrevit. Populus iniussu et altero die frequens iit supplicatum: et haec vaga popularisque[4] supplicatio studiis prope celebratior fuit. Consules ex composito eodem biduo ad urbem accessere, senatumque in Martium campum evocavere: ubi quum de rebus ab se gestis agerent, questi primores Patrum senatum inter milites dedita opera terroris causa haberi: itaque inde consules, ne criminationi locus esset, in prata[5] Flaminia, ubi nunc aedes Apolli-

3. *Maligne*, invidiose, vel parce, ut XXXIX, 9; et *malignitas* de iis, qui parce dant vel conferunt V, 22; XXXIV, 34 (et X, 46, n. 8, de eo, qui nihil dedit). Sic contra *benigne* vel libenter, ut III, 26, n. 1; VI, 6, n. 5, vel liberaliter, copiose, largiter, ἀφθόνως, ut *commeatus benigne mittere* et *advehere* IX, 6, n. 3; IX, 32, n. 2; *benigne polliceri* VI, 6, n. 8: quo sensu *bene polliceri* dixit Sallust. Bell. Civ. 41. Hinc forte XLV, 44, n. 3, *aedes, quae ipsum benigne reciperent* pro aedes, in quibus ipse benigne exciperetur, vel laute acciperetur, ut dicit Suetonius Calig. 55. — *Senatus in unum diem*, non, ut plerumque in triduum, et nonnunquam in plures dies, *supplicationes* et quidem laetas, vel *gratulationes*, quibus gratiae diis agebantur (unde *gratulationes supplicationesque* ut synonymae iunctae XXXIV, 7: nam aliae *supplicationes*, quibus dii placabantur in principio belli etc., erant tristes et *obsecrationes* quoque dicebantur, de quibus vide sup. c. 5 extr. c. 7 extr. inf. XXI, 17; XXXI, 8, 9, et ad IV, 21, n. 1, unde et iunguntur *supplicationes* et *obsecrationes*, ut genus et species XXXI, 9, n. 1, et XLII, 20, n. 3) *consulum nomine*, in honorem eorum, *decrevit*, quia populares erant consules.

4. *Haec vaga*, passim, promiscue et sine ordine facta, *popularisque supplicatio*, non ob decretum senatus, sed ob populi favorem et ab eo sponte habita, *studiis*, affectibus, laetitia et studio in consules, *celebratior*, solemnior. — *Eodem biduo*, quo supplicatio erat. — *In Martium campum*, vid. ad XXVI, 21, n. 1.

5. *Prata Flaminia*, vid. ad c. 54, n. 7.

nis[6] est, iam tum Apollinarem appellabant, avocavere senatum. Vbi quum ingenti consensu Patrum negaretur triumphus, L. Icilius tribunus plebis tulit ad populum de triumpho consulum; multis dissuasum prodeuntibus, maxime C. Claudio vociferante, « de » Patribus, non de hostibus consules triumphare vel» le; gratiamque pro privato merito in tribunum, » non pro virtute honorem peti; nunquam ante » de triumpho per populum actum; semper aesti» mationem arbitriumque eius honoris penes sena» tum fuisse: ne reges quidem maiestatem summi » ordinis imminuisse. Ne ita omnia tribuni potestatis » suae implerent, ut nullum publicum consilium sine» rent esse. Ita demum liberam civitatem fore, ita ae» quatas leges, si sua quisque iura ordo, suam maie» statem teneat ». In eandem sententiam multa et a ceteris senioribus Patrum quum essent dicta, omnes tribus eam rogationem acceperunt. Tum primum, sine auctoritate senatus, populi iussu triumphatum est.

LXIV. Haec victoria tribunorum plebisque prope in haud salubrem luxuriam[1] vertit, conspiratione inter tribunos facta, ut iidem tribuni reficerentur, et, quo sua minus cupiditas emineret, consulibus quoque continuarent magistratum. Consensum Patrum causabantur, quo per contumeliam consulum iura plebis labefacta essent. « Quid futurum, non» dum firmatis legibus, si novos tribunos per factio» nes suas consules adorti essent? non enim semper

6. *Aedes Apollinis*, paucis annis post vota et dedicata; vide IV, 25, et 29; extra portam Carmentalem (cf. XXVII, 37, n. 6), inter forum olitorium et Circum Flaminium, teste Asconio Pediano. — *Apollinarem*, scil. locum (partem pratorum Flaminiorum), quae vox latet in *ubi*, h. e. quo loco; Stroth. *Circum* ante *iam* primus inseruit Aldus. *Apollinar* coniicit Grouovius.

Cap. LXIV. 1. *In luxuriam vertit*; vide ad II, 3, n. 2, et II, 21, n. 4.

» Valerios Horatiosque consules fore, qui libertati » plebis suas opes postferrent ». Forte quadam utili ad tempus, ut comitiis praeesset, potissimum M. Duilio sorte evenit, viro prudenti, et ex continuatione magistratus invidiam imminentem cernenti: qui quum ex veteribus tribunis negaret ullius se rationem habiturum, pugnarentque collegae ut liberas tribus in suffragium mitteret, aut concederet sortem[2] comitiorum collegis, habituris e lege potius comitia quam ex voluntate Patrum; iniecta contentione Duilius consules ad subsellia accitos, quum interrogasset, quid de comitiis consularibus in animo haberent, respondissentque, se novos consules creaturos, auctores populares sententiae haud popularis nactus, in concionem cum iis processit. Vbi quum consules producti ad populum, interrogatique, si eos populus romanus, memor libertatis per illos receptae domi, memor militiae rerumque gestarum consules iterum faceret, quidnam facturi essent, nihil sententiae suae mutassent; collaudatis consulibus, quod perseverarent ad ultimum dissimiles decemvi-

2. *Sortem comitiorum*, vide ad X, 26, n. 4. — *Auctores popularis sententiae haud populares nactus* in omnibus libris inepte legi iam videre Klok. Drak. et Stroth. quorum emendationem recepi. Valerius Horatiusque erant *populares*, non vero *sententia* haec, quae novem tribunis adeoque et plebi displicebat. Confer Cicer. Catil. IV, 5 pr. et 6 pr. — *Producti ad populum*, ut simpl. *producti* VI, 36, n. 4, et *in concionem traducti* XLV, 2, quo ad id respici monet Ernest. quod legati a senatu venerint et quasi traducti sint ad populum. Sed forte ibi leg. *producti*, ut XXIV, 39; XXVII, 7, n. 10; XXXIII, 46 (ubi vide Gronovium); XXXVI, 21. Confer ad XXVII, 51, n. 3 (ubi Sigonius monet, eos, quibus non patuerit aditus in senatum et concionem, a magistratibus, quorum id ius fuerit, potuisse *introduci* in curiam, et ad populum vel in concionem *produci*), et Cortium ad Sallust. Bell. Iug. c. 33, §. 4. — Mox forte legendum *memor militiae rerum gestarum* vel *rerumque memor militiae gestarum*. In MSS. reperitur: *domi memor militiaeque rer. gest.* — Codex Sorbon. omittit *memor lib. per illos rec. domi*. Lem.

torum esse, comitia habuit: et quinque tribunis plebis creatis, quum prae studiis aperte petentium novem tribunorum[3] alii candidati tribus non explerent, concilium dimisit, nec deinde comitiorum causa habuit. Satisfactum[4] legi aiebat, quae, numero nusquam praefinito tribunis, modo ut relinquerentur sanciret; et ab iis qui creati essent, cooptari collegas iuberet: recitabatque rogationis[5] carmen, in quo, « Si tri-

3. *Prae studiis novem tribunorum*, collegarum M. Duilii, qui refici cupiebant, *alii candidati tribus non explerent*, non iustum ac lege definitum numerum tribuum vel suffragiorum earum (scilic. dimidio maiorem) ferrent seu haberent, suffragiis in multas partes distractis. Sic *centurias non explere* XXXVII, 47, et contra *conficere legitima suffragia* IX, 34 extr. vel *centurias conficere, tenere, in iis regnare*. Confer ad XXIX, 35, n. 3. *Tribus* vero et *centuria* etiam pro suffragiis tribus et centuriae dicitur, unde *ferre tribum* et *centuriam* pro eius suffragia habere iisque creari VIII, 37 extr. Cic. Planc. 19, 20, 22.

4. *Satisfactum legi*, cuius pars mox recitatur, et quae lata videtur, quum decem primum tribuni crearentur.— *Praefinito, tribuni modo* etc. in editionibus ante Aldinam, probante Dukero.

5. *Rogationis carmen* (vide ad I, 24, n. 9, et IV, 58, n. 10, *in quo* scil. scriptum erat, vel legebatur: *Si tribunos pl. decem* plebem *rogabo* (vel rogabit is, qui comitia tributa habet, h. e. rogabit plebem, ut hos, quos nominat, decem, aut interrogabit, quos decem suffragiis suis creatos velit), *si qui*, qua ratione, forte, *vos tribunos pl. feceritis hodie*, comitiorum die, *minus*, pauciores, scil. quam decem (ut *capta amplius* quam *duo millia*, *minus* quam *duo millia caesa* X, 37, n. 2, et sic passim, v. g. I, 18; X, 25; XXIII, 19; XXIV, 16; XXV, 19; XXVII, 12; XXIX, 34; XXXVII, 24; ut et *plus*, de quo v. ad IV, 52, n. 6; *tum* hoc servabitur, *uti* s. *ut hi* tribuni iam creati *quos* s. quoscumque *sibi collegas cooptassint*, h. e. cooptaverint, *ut illi* cooptati *eadem lege*, non minus, *legitimi sint tribuni*, *ut*, ac, *illi*, *quos hodie tribunos pl. feceritis*, plebs fecerit. *Cooptare* idem quod simplex *optare* VI, 25, n. 3, eligere (unde *optio* est electio XXVI, 29; conf. intpp. Virgil. Aen. I, 425, 552; Ern. clav. Cicer. Cort. ad Sall. Iug. 79; Duk. ad Sil. XIII, 689, et inf. ad XLII, 32, §. 1, ubi etiam monet, *adoptionem* hinc esse quasi allectionem, electionem in filium), nec de augurum modo aliorumque sacerdotum collegiis, quae novis sodalibus se ipsa supplebant (vide ad XXIII, 21, n. 5, et XL, 42), usurpatur, sed etiam de tribunis pl. h. l. et V, 10, 11 pr.; de magistro equitum VI, 38 pr. et de senatu ac senatoribus XXIII, 3, ubi pro *cooptare* mox dicitur *eligere*, nisi cum Bauero id eo pertinere ibi crediderls, quod plebs e suomet corpore senatores lectura esset. — Hoc loco varietas est lectionis, quam in ambobus meis reperi, et de qua silere miror omnes ad hanc diem interpretes; haec ea

» bunos plebei decem rogabo, si qui vos minus ho» die decem tribunos plebei feceritis: hi tum uti » quos sibi collegas cooptassint, ut illi legitimi eadem » lege tribuni plebei sint, ut illi quos hodie tribu» nos plebei feceritis ». Duilius quum ad ultimum perseverasset, negando quindecim tribunos plebei rempublicam habere posse, victa collegarum cupiditate, pariter Patribus plebique acceptus, magistratu abiit.

LXV. Novi tribuni plebis in cooptandis collegis Patrum voluntatem foverunt: duos etiam patricios consularesque, Sp. Tarpeium, et A. Aterium, cooptavere. Consules creati, Lar [1] Herminius, T. Virginius Caelimontanus, nihil magnopere ad Patrum aut plebis causam inclinati, otium domi ac foris habuere. L. Trebonius tribunus plebis infestus Patribus, quod se ab iis in cooptandis tribunis fraude captum, proditum a collegis, aiebat, rogationem tulit, *ut qui plebem romanam tribunos plebi rogaret, is usque eo* [2] *rogaret, dum decem tribunos plebi faceret*; insectandisque Patribus, unde Aspero etiam inditum est cognomen, tribunatum gessit. Inde M. Geganius Ma-

est: *Si qui vos minus hodie decem tribunos plebis fecerint, iis tum uti quos sibi collegas cooptassent, ut illi* etc. observandum est MSS. plerosque habere hic *fecerint*, quamvis paulo infra *feceritis* exhibeant; sed recte e Gronov. fuit emendatum; et in utroque loco *feceritis* scripto, hoc rogationis carmen, quale habent mei codices ita explico: si forte vos feceritis tribunos pauciores quam decem, tum iis licebit uti illis quos dare sibi collegas optaverint; unde et hi legitimi eadem lege sint, sicut et illi quos hodie vosmet ipsi feceritis tribunos plebis. Qui modus explicandi simplicior mihi videtur quam si alteram lectionem serveveris; sed vide, lector, quanam ratione melius expediri queat nodus. Lem.

Cap. LXV. 1. *Lar* vel *Lar. Herminius*, vide ad II, 9, n. 1.

2. *Is usque eo rogaret*, adeoque comitia proferret, vel nova haberet. Sed postea nonnunquam cooptati tribuni; vide V, 10, 11 al. — Ambo cod. Paris. habent *tr. plebei faceret*. Lem.

cerinus, et C. Iulius consules facti, coitiones [3] tribunorum adversus nobilium iuventutem ortas, sine insectatione potestatis eius, conservata maiestate Patrum, sedavere: plebem, decreto ad bellum Volscorum et Aequorum delectu, sustinendo [4] rem, ab seditionibus continuere; urbano quoque otio foris omnia tranquilla esse affirmantes, per discordias civiles externos tollere animos. Cura pacis concordiae quoque intestinae causa fuit; sed alter semper ordo gravis alterius modestiae erat: quiescenti plebi ab iunioribus Patrum iniuriae fieri coeptae: ubi tribuni auxilio humilioribus essent, in primis [5] parum proderat; deinde ne ipsi quidem inviolati erant, utique postremis mensibus, quum et per coitiones potentiorum iniuria fieret, et vis potestatis omnis aliquanto posteriore anni parte languidior ferme esset: iamque plebs ita in tribunatu ponere aliquid spei, si similes Icilio tribunos haberet: nomina [6] tantum se biennio habuisse. Seniores contra Patrum, ut nimis feroces suos credere iuvenes esse; ita malle, si modus excedendus esset, suis quam adversariis superesse animos; adeo moderatio tuendae libertatis, dum aequari velle simulando

3. *Coitiones tribunorum* (al. *contentiones*, et perperam *conciones*), vid. ad III, 35, n. 10.

4. *Sustinendo rem*, differendo delectum iam decretum, et dicendo, non opus esse delectu propter urbanum otium (vide ad II, 44, n. 6); unde c. 66 pr. *Biennio ante delectum indictum haberi non potuisse.*—Mox *externos*, scil. populos, s. hostes. Confer ad I, 57, n. 7.—*Gravis*, infestus.

5. *In primis*, primum (vid. ad II, 40, n. 1); nisi malis, in iis Patribus, qui genere, nobilitate et opibus primi et conspicui erant, *parum id proderat.*—*Vtique*; vide ad II, 30, n. 1.

6. *Nomina tantum*, non veros tribunos, ut V, 18; VII, 29; XXIX, 1, n. 8; LXIV, 41, n. 3; de re inani, ut ὄνομα, *species*, *titulus*, et V, 18, n. 5, *umbra*, *effigies* et *imago*. Conf. ad Tacit. Annal. III, 30, 7, et ad Sil. I, 293; VI, 478. Similiter Sueton. Caes. 77 pr. ex emend. virorum doctorum dixit: *Nihil esse rempublicam, appellationem modo ac sine corpore speciem.*

ita se quisque extollit, ut deprimat alium, in[7] difficili est: cavendoque ne metuant homines, metuendos ultro se efficiunt: et iniuriam a nobis repulsam, tanquam aut facere aut pati necesse sit, iniungimus aliis.

LXVI. T. Quintius Capitolinus quartum, et Agrippa Furius consules inde facti, nec seditionem domi, nec foris bellum acceperunt: sed imminebat utrumque. Iam non ultra discordia civium reprimi poterat, et tribunis et plebe incitata in Patres, quum dies alicui nobilium[1] dicta novis semper certaminibus conciones turbaret. Ad quarum primum strepitum, velut signo accepto, arma cepere Aequi ac Volsci: simul quod persuaserant iis duces, cupidi praedarum, biennio ante[2] delectum indictum haberi non potuisse, abnuente iam plebe imperium: « eo adversus se non » esse missos exercitus: dissolvi licentia militandi » morem, nec pro communi iam patria Romam esse; » quidquid irarum simultatumque cum externis fue» rit, in ipsos verti: obcoecatos lupos intestina rabie » opprimendi occasionem esse ». Coniunctis exercitibus latinum primum agrum perpopulati sunt: deinde, postquam ibi nemo vindex occurrebat, tum vero exsultantibus belli auctoribus, ad moenia ipsa Romae populabundi regione portae[3] Esquilinae accessere, vastationem agrorum per contumeliam urbi ostentantes: unde postquam inulti, praedam prae se agentes,

7. *In difficili est*, vide ad III, 8, n. 6. Egregie autem h. l. naturae ingeniique humani indoles adumbratur. — *Homines cavendo ne alios metuant*, et metuere vel debeant vel videantur. — *Iniuriam iniungimus aliis*, confer ad VIII, 32, n. 8.

Cap. LXVI. 1. *Dies alicui nobilium dicta*, accusatio eius, quem alii nobiles tuebantur.

2. *Biennio ante delectum* etc. vide ad cap. 65, n. 4.

3. *Regione portae Esquilinae*, ea parte murorum, ubi haec porta est,

retro ad Corbionem agmine iere, Quintius consul ad concionem populum vocavit.

LXVII. Ibi in hanc sententiam loquutum accipio: « Etsi mihi nullius noxae conscius, Quirites, sum [1], » tamen cum pudore summo in concionem vestram » processi. Hoc vos scire, hoc posteris memoriae » traditum iri, Aequos et Volscos vix Hernicis modo » pares, T. Quintio quartum consule, ad moenia » urbis Romae impune armatos venisse! Hanc ego » ignominiam, quamquam iamdiu ita vivitur, is sta- » tus rerum est, ut nihil boni divinet animus, si huic » potissimum imminere anno scissem, vel exsilio, » vel morte, si alia fuga honoris non esset, vitassem. » Ergo, si viri [2] arma illa habuissent, quae in portis » fuere nostris, capi Roma, me consule, potuit! sa- » tis honorum, satis superque vitae erat: mori con- » sulem tertium oportuit. Quem tandem ignavissimi » hostium contempsere? nos consules? an vos Qui- » rites? Si culpa in nobis est, auferte imperium in- » dignis; et, si id parum est, insuper poenas expe-

vel versus eam portam; vel *regione* pro e *regione*, ex adverso. Cf. XXV, 25 et 30.

Cap. LXVII. 1. *Etsi mihi nullius noxae conscius, Quirites, sum;* ultima voce caret Fragm. Hav. A manu prima *sim* habet Vossius sec. ita Livium infra, ad lib. V, cap. 42; aliosque alibi loquutos videmus. Reliqui tamen in vulgatum conspirantes eam lectionem hoc loco tuentur. — *Cum pudore summo in concionem vestram processi; accessi* Lipsiensis; male. Supra hoc ipso libro, cap. 64, *auctores populares sententiae haud popularis, nactus, in concionem eum iis processit.* Infra l. XLIV, c. 45, *Perseus, una tantum spe Bisaltarum auxilii tentata, in concionem processit.* Et ita saepe. — *Hoc vos scire, hoc posteris memoriae traditum iri; haec* pro *hoc* utroque loco legit Portug. *hic* posteriori Haverk. Tum *hoc poteritis*, pro *hoc posteris*, Klockian. *Hoc potestis* Lipsiensis a manu prima in contextu. Mox *iri* exsulat a Leid. sec. et Voss. sec. Lem. — *Si alia fuga honoris non esset*, ratio eius effugiendi, prohibendi, quo minus iterum consul crearer.

2. *Si viri* (nec potius *ignavissimi hostium*) *arma illa habuissent, quae in portis fuere nostris;* quibus ultimis verbis res augetur et invidia.

» tite. Si in vobis, nemo deorum nec hominum sit, » qui vestra puniat peccata, Quirites; vosmet tantum » eorum poeniteat. Non illi vestram ignaviam con» tempsere, nec suae virtuti confisi sunt; quippe » toties fusi fugatique, castris exuti, agro multati, » sub iugum missi, et se et vos novere. Discordia » ordinum est venenum urbis huius; Patrum ac » plebis certamina: dum nec nobis imperii, nec vo» bis libertatis est modus, dum taedet vos patricio» rum, hos plebeiorum magistratuum, sustulere illi » animos. Pro deum fidem, quid vobis vultis? Tri» bunos plebis concupistis; concordiae causa con» cessimus. Decemviros desiderastis; creari passi su» mus. Decemvirorum vos pertaesum est; coëgimus » abire magistratu. Manente in eosdem privatos ira » vestra, mori atque exsulare nobilissimos viros » honoratissimosque passi sumus. Tribunos plebis » creare iterum voluistis; creastis. Consules [3] facere » vestrarum partium, etsi Patribus videbamus ini» quum; patricium quoque magistratum plebi donum » fieri vidimus. Auxilium tribunitium, provocatio» nem ad populum, scita plebis iniuncta [4] Patribus, » sub titulo aequandarum legum nostra iura oppressa » tulimus et ferimus. Qui finis erit discordiarum? » ecquando unam urbem habere, ecquando commu» nem hanc esse patriam licebit? Victi nos aequiore » animo quiescimus, quam vos victores. Satisne [5] » est, nobis vos metuendos esse? Adversus nos Aven-

3. *Consules vestrarum partium*, populares, plebi faventes, Valerium et Horatium. Conf. c. 55 sq. — *Plebi donum fieri*, in gratiam plebis, vel eos creari consules, quos plebs vellet, quamvis *patricius* hic *magistratus* esset. « Ita creari, iis mandari, ut plebi gratum et commodum esset; » Bauer.

4. *Scita ... Patribus*; vide c. 55.

5. *Satisne est*, nonne satis est? Huius formae et alia exempla, etiam ap. Cic. occurrunt, sed non imitanda; Ern.

» tinum capitur, adversus nos Sacer occupatur mons; » Esquilias[6] quidem ab hoste prope captas, et scandentem in aggerem volscum hostem nemo submovit: in nos[7] viri, in nos armati estis ».

LXVIII. » Agitedum, ubi hic curiam circumsederitis, » et forum infestum feceritis, et carcerem impleveritis principibus; iisdem istis ferocibus animis egredimini extra portam Esquilinam: aut, si ne hoc » quidem audetis, ex muris visite[1] agros vestros » ferro ignique vastatos, praedam abigi, fumare » incensa passim tecta. At enim communis res per » haec loco est peiore: ager uritur, urbs obsidetur, » belli gloria penes hostes est. Quid tandem? privatae » res vestrae in quo statu sunt? Iam unicuique ex » agris sua damna nuntiabuntur: quid est tandem » domi, unde ea expleatis? Tribuni vobis amissa » reddent ac restituent? vocis verborumque quantum » voletis, ingerent, et criminum in principes, et legum » aliarum super alias, et concionum. Sed ex illis concionibus nunquam vestrum quisquam re[2], fortuna, » domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad » coniugem ac liberos, praeter odia, offensiones, si-

6. *Esquilias ab hoste prope captas ... nemo submovit*, vide ad I, 33, n. 7. *Esquiliae captae* emendat Gronovius (qui etiam *hostem* post *volscam* delendum putabat; et *vidistis* aut simile quid excidisse post *captas* conjicit Scheller. — *Scandentem in aggerem* (collem, vel moenia, vel potius aggerem Tarquinii Superbi, per quem aditus patet ad Esquilias), *hostem nemo submovit*, cf. XXII, 14, n. 6.

7. *In nos* tantum *viri*, *in nos* solos *armati estis*.

Cap. LXVIII. 1. *Ex muris visite*, videte, spectate. — *Communis res per haec* facta hostium et vestra *loco est peiore*, reipublicae conditio ita fit peior. Conf. ad II, 17, n. 2; II, 47, n. 2, et XLII, 37, n. 1. Ita mox *res vestrae quo* (in) *statu sunt*, ut XXII, 22, n. 7; XXVI, 28 pr. vel *in hoc statu esse* XXX, 2; XXXIII, 42; XXXIV, 51; XXXV, 8. — *Quid tandem*, plane ut gr. ποτέ, Ern. Conf. ad III, 9, n. 6; IV, 3, n. 2; V, 6, n. 6, et al. ubi in affectu plerumque ponitur, ut passim fere *quaeso*, vel *per deos!*

2. *Re* familiari, et *fortuna*, vide ad I, 24, n. 11.

» multates publicas privatasque? a quibus semper
» non vestra virtute innocentiaque, sed auxilio [3]
» alieno tuti sitis. At, hercules, quum stipendia,
» nobis consulibus, non tribunis ducibus, et in castris,
» non in foro faciebatis, et in acie vestrum clamorem
» hostes, non in concione Patres romani horrebant;
» praeda parta, agro ex hoste capto, pleni fortunarum
» gloriaeque simul publicae, simul privatae, trium-
» phantes domum ad penates redibatis: nunc one-
» ratum vestris fortunis hostem abire sinitis. Haerete [4]
» affixi concionibus, et in foro vivite: sequitur vos
» necessitas militandi quam fugitis. Grave erat in
» Aequos et Volscos proficisci? Ante portas est bel-
» lum: si inde non pellitur, iam intra moenia erit,
» et arcem et Capitolium scandet, et in domos ve-
» stras vos persequetur. Biennio [5] ante senatus dele-
» ctum haberi, et educi exercitum in Algidum iussit.
» Sedemus desides domi, mulierum ritu inter nos al-
» tercantes; praesenti pace laeti, nec cernentes ex
» otio illo brevi multiplex bellum rediturum. His
» ego gratiora dictu alia esse scio; sed me vera pro
» gratis loqui, etsi meum ingenium non moneret,
» necessitas cogit. Vellem equidem vobis placere,
» Quirites; sed multo malo vos salvos esse, quali-
» cumque erga me animo futuri estis. Natura hoc ita
» comparatum est, ut qui apud multitudinem sua
» causa [6] loquitur, gratior eo sit, cuius mens nihil

3. *Auxilio alieno*, tribunorum, quod minus honestum et gloriosum est, neque foret necessarium, si ita vos gereretis, ut *tuti essetis virtute vestra.* — *In acie vestrum clamorem hostes* etc. Haec a Demosthene, de Cherson. pag. 79 editionis Francof. sumpta; Gronov.

4. *Haerete affixi concionibus, et in foro vivite*; conf. ad III, 72, n. 4, et XXI, 35, n. 10.

5. *Biennio ante senatus delectum* etc., vide ad cap. 65, n. 4.

6. *Qui sua causa loquitur*, ita ut suum modo, non *publicum commodum videat*, h. e. spectet; vide ad I, 34

» praeter publicum commodum videt: nisi forte assen- » tatores publicos, plebicolas istos, qui vos nec in armis » nec in otio esse sinunt, vestra vos causa incitare et » stimulare putatis. Concitati, aut honori, aut quae- » stui illis estis: et quia in concordia ordinum nul- » los 7 se usquam esse vident, malae rei se quam » nullius, turbarum ac seditionum, duces esse vo- » lunt. Quarum rerum si vos taedium tandem capere » potest, et patrum vestrosque antiquos mores vul- » tis pro his novis sumere, nulla supplicia recuso, » nisi paucis diebus hos populatores agrorum no- » strorum fusos fugatosque castris exuero, et a portis » nostris moenibusque ad illorum urbes hunc belli » terrorem, quo nunc vos attoniti estis, transtulero.

LXIX. Raro alias tribuni popularis oratio acceptior plebi, quam tunc severissimi consulis, fuit. Iuventus quoque, quae inter tales [1] metus detrectationem militiae telum acerrimum adversus Patres habere solita erat, arma et bellum spectabat: et [2] agrestium fuga, spoliatique in agris et vulnerati, foediora iis quae subiiciebantur oculis nuntiantes, totam urbem ira implevere. In senatum ubi ventum est, ibi vero

n. 5. Forte legendum *loquatur* et *videat*. — *Assentatores publicos* etc.; invidiose de tribunis.

7. *Nullos se esse vident*, nullam vim habere, nihil valere, posse et aestimari (ut VI, 18, n. 4, *nullus repente fui*, nihil fui, sive potui, ut graec. οὐδεὶς s. μηδείς, nisi malis, oculis hominum repente subductus sum, vel, ut passim, perii); *malae rei, turbarum ac seditionum, se*, sc. magis (vide ad I, 25, n. 11), *quam nullius esse volunt*. Confer ad VII, 30, n. 8; quae loquendi ratio admodum Livio placet,

Cap. LXIX. 1. *Inter tales metus*, scil. *belli terrorem* cap. 68 extr. quo vox *tales* spectat. Dum foris hostes, domi tribuni pl. et turbae civiles metuuntur; Dukerus. *Motus* duo MSS. non male. — *Detrectationem*, e MS. Harlei. 1, *detractationem* recepit Drakenb. Conf. ad cap. 60, n. 5. — *Telum acerrimum*, vide ad III, 50, n. 1.

2. *Agrestium fuga* passim apud auctores appropinquantis belli indicium, vide ad I, 30, n. 9. Lem. — *Ibi vero* simpl. pro *tum*, ut *ubi* pro *quum*.

in Quintium omnes versi, ut unum vindicem maiestatis romanae intueri; et primores Patrum « dignam » dicere « concionem imperio consulari, dignam tot » consulatibus anteactis, dignam vita omni plena » honorum saepe gestorum, saepius meritorum. Alios » consules aut per proditionem [3] dignitatis Patrum » plebi adulatos, aut acerbe tuendo iura ordinis asperiorem domando multitudinem fecisse: T. Quintium » orationem memorem maiestatis Patrum, concordiae» que ordinum, et temporum in primis habuisse. » Orare eum collegamque, ut capesserent [4] rempu» blicam: orare tribunos, ut uno animo cum consu» libus bellum ab urbe ac moenibus propulsari vel» lent, plebemque obedientem in re tam trepida » Patribus praeberent: appellare tribunos [5] commu» nem patriam, auxiliumque eorum implorare, vasta» tis agris, urbe prope oppugnata. » Consensu omnium delectus decernitur, habeturque. Quum consules in concione pronuntiassent, *tempus non esse causas [6] cognoscendi*; *omnes iuniores postero die prima luce in*

3. *Per proditionem dignitatis Patrum*, vide ad II, 43, n. 5. — Mox gerundia *tuendo* et *domando* male iunguntur sine copula, neque satis aptum est h. l. *domando*, nisi cum Drakenb. acceperis de conatu domandi; Schellerus emendat *quam ante*: malim *aliquanto*. — *Memorem*, vide ad cap. 36, n. 8.

4. *Vt capesserent rempublicam*, v. ad II, 64, n. 3. Verba vero *orare eum collegamque ... oppugnata* non tam verba Patrum esse videntur, quam facta eorum, a Livio narrata. Ceterum longa est h. l. doctaque disputatio Dukeri, qua probabile facit, tribunos plebis iam hoc anno senatui, in quo haec acta sint, interfuisse, isto autem iure post sublatos demum e republica decemviros et restitutam ipsorum potestatem usos fuisse, et antea non nisi vocati fuissent a consulibus.

5. *Appellare tribunos communem patriam*, partem patriae, cuius itaque salus ipsis quoque curanda esset et protegenda. Sed forte legendum *appellare tribunos communi pro patria*, eos alloqui et hortari vel rogare, ut communi prospicerent saluti; ut ap. Cic. ad Div. XII, 28: *senatus pro tua dignitate appellaretur*.

6. *Causas cognoscendi*, sc. *eorum, qui nomina non dedissent* (vide ad I,

campo Martio adessent; cognoscendis causis eorum qui nomina non dedissent, bello perfecto se daturos tempus; pro desertore futurum, cuius non probassent causam: omnis iuventus adfuit postero die. Cohortes sibi [7] quaeque centuriones legerunt: bini senatores singulis cohortibus praepositi. Haec omnia adeo mature perfecta accepimus, ut signa eo ipso die a quaestoribus ex aerario prompta delataque in campum, quarta diei hora mota ex campo sint; exercitusque novus, paucis cohortibus veterum militum voluntate [8] sequentibus, manserit ad decimum [9] lapidem. Insequens dies hostem in conspectum dedit; castraque [10] ad Corbionem castris sunt coniuncta. Tertio die quum ira Romanos, illos, quum toties rebellassent, conscientia culpae ac desperatio irritaret, mora dimicandi nulla est facta.

LXX. In exercitu romano quum duo consules essent potestate pari, quod saluberrimum in administratione magnarum rerum est, summa imperii, concedente Agrippa, penes collegam erat; et praelatus

11, n. 3), quae verba illis repetitis mox adiiciuntur, et forte transponenda sunt. Confer ad IV, 26, n. 6.

7. *Cohortes quaeque sibi centuriones legerunt* ipsae extra ordinem, quod ceteroquin faciebant consules, aut eorum iussu et arbitrio tribuni militum; Drak. Conf. Lips. de mil. Rom. II, 8. — *Cohors* habebat Hastatos, Principes, Triarios: e singulis manipulum unum. Manipulus dividebatur in duos Ordines, sive centurias, quibus singulis praeerat centurio; itaque sex erant in una cohorte centuriones; homines quadringenti triginta quatuor. Manipulus enim Hastatorum et Principum, ex Livio VIII, 8, centum viginti quatuor homines singuli continebant: manipuli Triariorum, centum octoginta sex. Cohors igitur decima pars legionis, et quasi parva legio. — *Signa* militaria *ex aerario prompta*, ubi asservabantur. Conf. IV, 22, et VII, 23; Dionys. l. X, pag. 645. — *Quaestores* urbani habebant curam aerarii, quod in aede Saturni erat.

8. *Voluntate sequentibus*, h. e. sponte, ut V, 17 extr. et al. Conf. ad III, 57, n. 5.

9. *Ad decimum* ab Vrbe *lapidem*, s. milliare.

10. *Castra* Romanorum *castris* hostium *sunt coniuncta*, ut al. *collata*, prope et ex adverso posita.

culis confodere: is finis pugnae equestris fuit. Tunc adorti peditum aciem, nuntios ad consules rei gestae mittunt, ubi iam inclinabatur hostium acies: nuntius deinde et vincentibus Romanis animos auxit, et referentes gradum perculit Aequos. In media primum acie vinci coepti, qua [4] permissus equitatus turbaverat ordines. Sinistrum deinde cornu ad Quintio consule pelli coeptum; in dextro plurimum laboris fuit. Ibi Agrippa aetate viribusque ferox, quum omni parte pugnae melius res geri, quam apud se videret, [5] accepta signa ab signiferis ipse inferre, quaedam iacere etiam in confertos hostes coepit. Cuius [6] ignominiae metu concitati milites, invasere hostem: ita aequata ex omni parte victoria est. Nuntius tum a Quintio venit; victorem iam se imminere hostium castris; nolle irrumpere, antequam sciat debellatum et in sinistro cornu esse. Si iam fudisset hostes, conferret ad se signa, ut simul omnis exercitus praeda potiretur. Victor Agrippa cum mutua gratulatione ad victorem collegam castraque hostium venit: ibi paucis defendentibus, momentoque fusis, sine certamine in munitiones irrumpunt; praedaque ingenti compotem exercitum, suis etiam rebus recuperatis, quae populatione agrorum amissae erant, reducunt. Triumphum nec ipsos postulasse, nec delatum iis ab senatu, accipio: nec traditur causa spreti, aut non sperati honoris. Ego quantum in tanto intervallo temporum coniicio, quum Valerio atque Horatio consulibus, qui praeter Volscos et Aequos Sabini etiam belli perfecti gloriam pepererant, negatus ab senatu triumphus esset, verecundiae fuit pro

4. *Qua* parte *permissus equitatus*, effuso cursu immissus, transmissus, perrumpens. Conf. ad II, 56, n. 1.

5. *Accepta signa*, forte *arrepta*; Drakenb. Maximum profecto militaris audaciae incitamentum. Lem.

6. *Cuius ignominiae metu*, scilic. si signa ab hostibus caperentur.

parte dimidia rerum consulibus petere triumphum: ne, etiam si impetrassent magis hominum ratio, quam meritorum habita videretur.

LXXI. Victoriam honestam ex hostibus partam, turpe domi de finibus sociorum iudicium populi deformavit. Aricini atque Ardeates de ambiguo agro quum saepe bello certassent, multis in vicem cladibus fessi, iudicem populum romanum cepere. Quum ad causam orandam venissent, concilio populi a magistratibus dato, magna contentione actum: iamque editis [1] testibus, quum tribus vocari et populum inire suffragium oporteret, consurgit P. Scaptius de plebe, magno natu; et, *Si licet*, inquit, *consules*, *de republica dicere*, *errare ego populum in hac causa non patiar*. Quum, ut vanum, eum negarent consules audiendum esse, vociferantemque *prodi publicam* [2] *causam* summoveri iussissent, tribunos appellat. Tribuni, ut fere semper reguntur a multitudine magis quam regunt, et dedere [3] cupidae audiendi plebi, ut, quae vellet, Scaptius diceret. Ibi infit, « annum se » tertium et octogesimum agere [4], et in eo agro de

Cap. LXXI. 1. *Iamque editis testibus*, propr. nominibus eorum ab accusatore apud iudicea. Sic et XXV, 3, *testibus datis* (testimoniis prolatis) *priusquam ad suffragium ineundum tribus vocarentur*. Cf. et XXVI, 3. — *De republica dicere*, vide ad II, 64, n. 3.

2. *Prodi publicam causam*, vide ad II, 43, n. 5.

3. *Dedere* id *plebi*, *ut* etc., vide ad III, 58, n. 4.

4. *Annum se LXXXIII agere*, vide Drak. ad h. l. et Dodwell. de cyclis diss. X, §. 96. — *Non iuvenem*, sed *vicesima iam stipendia merentem*, tot annos militantem a primo stipendii anno vel aetatis anno sexto decimo, sive septimo decimo (vide ad III, 57, n. 5), *quum ad Coriolos sit bellatum* (al. *debellatum*), an. Vrb. cond. 261; vide supra II, 33. Ante *vicesima* quidam, at primus Frobenius, infulserunt *sed*, quae particula potius subaudienda: quod magis intelligitur in pronuntiando et si auribus percipiatur, quam dum legimua; Gron. Sic passim *sed* post *non* vel *non modo*, et in affectu, omittitur. Conf. ad I, 25, n. 2; XXII, 25, n. 8; XXII, 27; ad Tacit. Ann. III, 19, 2; Gronov. Obss. IV, 2; id. et Drak. infr. ad VI,

» quo agitur, militasse, non iuvenem, vicesima iam » stipendia merentem, quum ad Coriolos sit bellatum. » Eo rem se, vetustate obliteratam, ceterum suae » memoriae infixam afferre: agrum, de quo ambigi» tur, finium Coriolanorum fuisse, captisque Coriolis » iure belli publicum populi romani factum. Mirari » se, quonam [5] more Ardeates Aricinique, cuius agri » ius nunquam usurpaverint incolumi Coriolana re, » eum se a populo romano, quem pro domino iudi» cem fecerint, intercepturos sperent. Sibi exiguum » vitae tempus superesse: non potuisse se tamen in» ducere in animum, quin, quem agrum miles pro » parte [6] virili manu cepisset, eum senex quoque » voce, qua una posset, vindicaret. Magnopere se » suadere populo, ne inutili pudore suam ipse cau» sam damnaret.

LXXII. Consules quum Scaptium non silentio modo, sed cum assensu etiam audiri animadvertissent, deos hominesque testantes flagitium ingens fieri, Patrum primores arcessunt: cum his circumire [1] tribunos; orare, « ne pessimum facinus peiore exem» plo admitterent iudices, in suam rem litem [2] ver» tendo, quum praesertim, etiamsi fas sit curam

32; XXVIII, 39; XXXVI, 19; XXXIX, 8. Quin et *sed etiam* omittitur post *non modo* vel *non tantum*, ut XLV, 7, n. 3. Confer ad I, 40, n. 1. — Mox forte legendum *ambigatur*.

5. *Quonam more*, quomodo. — *Coriolana re* publica, civitate: quo sensu voc. *res* saepius usurpatur.

6. *Pro parte virili*; vide ad Praefationem, n. 3.

Cap. LXXII. 1. *Cum his circumire tribunos*, qui multitudinem regunt, et Scaptio potestatem dicendi dederant, nisi malis distinguere *circumire* (scil. populum, in concilio illic congregatum), *tribunos orare* etc. Sed Perizonius recte, opinor, emendat *circumire tribus*, ut apud Suetonium, Aug. 56, et eodem sensu supra c. 17 extr. *circumire plebem*: nam populus romanus, vel tribus erant iudices; unde et infra, *Vocatae tribus iudicaverunt* etc.

2. *In suam rem litem vertendo*, agrum, de quo litigaretur (*controversum agrum* XXIX, 31), vel, ut mox dicitur, *rem controversiosam* ut

» emolumenti sui iudici esse, nequaquam tantum » agro intercipiendo acquiratur, quantum amittatur » alienandis iniuria sociorum animis. Nam famae » quidem ac fidei damna maiora esse, quam quae » aestimari possent. Hoc legatos referre domum: hoc » vulgari: hoc socios audire: hoc hostes. Quo cum dolo- » re[3] hos? quo cum gaudio illos? Scaptione hoc[4] concio- » nali seni assignaturos putarent finitimos populos?

dubiosus forte XLV, 36, n. 1, certe ap. Gell. III, 3; V, 10), *sibi adiudicaret*. Hinc et mox *interceptor litis alienae*, qui rem, de qua inter alios lis est, iis seu ab iis intercipit, et in suam rem vertit, vel sibi vindicat, ut *praedae interceptor fraudatorque* IV, 50 pr. et *urbes intercipiantur* a Romanis, ereptae Graecis XXXIII, 31, n. 2.

3. *Quo cum dolore hos* socios, *quo cum gaudio illos*, scil. hostes? Sic inverso ordines *hos* ad remotius et *illos* ad propius spectat subiectum, ut XXII, 22, n. 13; XXIV, 29, n. 2; XXX, 30, n. 9; XXXIX, 38, 53; et *qui* IV, 58, n. 5; et XXI, 31, n. 6. Confer ad IV, 35, n. 1; Tacit. Ann. II, 77, 1; Gron. Obss. III, 16; Sanctii Minerv. II, 9, et ibi Perizon.; Cortius ad Sallust. Iug. cap. 18, §. 9, et ad Plinium, epist. pag. 80.

4. *Scaptione hoc* flagitium iudiciumque infame *assignaturos*, attributuros (ut XXVIII, 42, et XXXV, 31), *finitimos populos*, nec potius universo populo romano, qui ad id ipse propensus fuerit, non inductus a tali homine, *concionali sene? Concionalis*, al. *concionarius* et *concionator*, homo otiosus (quales esse solent *senes*) et turbulentus *maximeque popularis*, *qui omnes rumorum et concionum ventos colligere* (Cic. Cluent. 28), assidue concionibus interesse, et in iis temere vociferari et turbas excitare solet, studiose rumores captans atque res, quibus conciones perturbare, agitare plebem et aliis invidiam faciendo ipse eminere possit. Hinc *senatus clamor prope concionalis*, et *concionalis hirudo aerarii*, *misera ac ieiuna plebecula* apud Cic. ad Quint. Fr. II, 5, et ad Att. I, 16. Hi sunt *otiosi urbani* infr. V, 20; *forensis factio* vel *forensis turba*, et *humiles*, *quibus per omnes tribus divisis* Appius *forum et campum*, conciones in foro et comitia, in campo Martio habenda, *corrupit* IX, 46; *circumforanei*, *subrostrani*, *subbasilicani* etc. Conf. ad cap. 68, n. 3; XXII, 34, 38; Sil. VIII, 243 sqq. et Gron. Obss. II, 14, et de pec. vet. IV, 9, ubi etiam recte forsan suspicatur, verbum *putarent* h. l. esse scholion delendum, quale passim orationibus infinitivis inseruerint corruptores. Idem coniicit *hic* pro *hoc*, et h. l. ita interpretatur: an Romani, a disceptantibus Aricinis et Ardeatibus iudices capti, *finitimos* illos *populos*, i. e. aliquantam eorum possessionem, *Scaptio*, i. e. Scaptio suadente, in illius gratiam cuicumque *assignaturi* essent? Sed neminem eo sensu dixisse *assignare aliquem alicui*, neque obvia illa *donare* et *condonare aliquem ali-*

» Clarum[5] hac fore imagine Scaptium: populum romanum quadruplatoris et interceptoris litis alienae personam laturum: quem enim hoc privatae rei iudicem fecisse; ut sibi controversiosam adiudicaret rem? Scaptium ipsum id quidem, etsi praemortui[6] iam sit pudoris, non facturum ». Haec consules, haec Patres vociferantur; sed plus cupiditas, et auctor cupiditatis Scaptius valet. Vocatae tribus iudicaverunt agrum publicum populi romani esse. Nec abnuitur[7] ita fuisse, si ad iudices alios itum foret: nunc haud sanae quidquam bono causae levatur dedecus iudicii; idque non Aricinis Ardeatibusque, quam Patribus romanis, foedius atque acerbius visum. Reliquum anni quietum ab urbanis motibus et ab externis mansit.

cui (vide ad II, 35, n. 5) ad hoc genus loquendi probandum sufficere, iam monuit Dukerus.

5. *Clarum hac fore imagine Scaptium* venusta translatione pro hunc hominem ignobilem et sine imagine eiusque iure (insigni nobilitatis), hoc iudicio, cuiusque auctor foret, tanta, qua valeret, auctoritate et incremento agri publici, non minus nobilem ac celebrem (certe apud plebem romanam) fore, quam si multas haberet imagines; hanc actionem ei fore argumentum ingens gloriae, omnemque eius turpitudinem casuram in *populum romanum*. Conf. Gronov. l. l. Similiter apud Sallust. Iug. 81, Marius dicit, dona militaria et cicatrices esse suas imagines, suam nobilitatem. — *Quadruplator* propr. delator s. calumniator, hinc qui malitiose et lucri faciendi causa, aut false saltem ius sive interpretatur, sive dicit. — Quadruplatores erant delatores criminum publicorum: in qua re quartam partem ex damnatorum bonis, quos detulerant, consequebantur. Alii dicunt *quadruplatores* esse eorum reorum accusatores, qui convicti quadrupli damnari soleant, ut aleae. etc.

6. *Etsi praemortui iam sit pudoris*, eum iam amiserit, post tot flagitia. Epitheton simul ad senectutem eius spectat. Conf. ad cap. 62, n. 5.

7. *Nec abnuitur*, non negaverim, nec negaverit facile quisquam (ne litigantes quidem), *ita fuisse*, hunc agrum publicum fuisse populi romani, eique adiudicandum, *si alii iudices*, quam Romani, a partibus essent sumpti eumque populo romano adiudicassent; sed iudicem sibi vindicare rem controversam, semper turpe est, neque *dedecus iudicii* talis *levatur*, minuitur (vide ad III, 21, n. 5), *causae bono*, bonitate, iustitia, iure, quo sibi rem vindicare possit: quia neminem in sua causa iudicem esse decet.

TABVLA

RERVM QVAE IN HOC PRIMO VOLVMINE CONTINENTVR.

VOLVMINIS PRIMI FINIS.